DE

ORATIONE CHRISTIANA

IMPRIMATUR.

Z. Liénard, Vic. Gen.

Atrebati, die 15 Julii 1896.

LAURENTII BRANCATI

ORDINIS MIN. S. FRANCISCI CONV.

S. R. E. CARDINALIS DE LAURÆA

DE ORATIONE

CHRISTIANA

EJUSQUE SPECIEBUS

OPUSCULA OCTO

EDITIO NOVA



MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVI

47992

PRÆFATIO

HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

ORATIONEM christianam commendare debitisque efferre laudibus supervacaneum videbitur, quum sacræ Litteræ, Ecclesiæ Patres, necnon vitæ spiritualis Magistri ejusdem necessitatem inculcare, emolumenta celebrare, usum docere omni data opportunitate nitantur. « Primum, ait S. Bernardus, ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat consideratio ; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat ; postremo, divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert[1]. » Idcirco nemo, opinor, mirabitur si sæpius viri tum doctrina tum virtutibus conspicui libros de oratione sapientia refertos reliquerint, omnemque curam suam atque industriam in tradenda ratione et praxi orationis contulerint. Post multos alios, qui hanc provinciam susceperunt, magnam sibi famam comparavit Eminentissimus Laurentius Brancatus, Cardinalis de Lauræa. « Ipsius *Opuscula octo de Oratione christiana ejusque speciebus,* ait

1 Bern. *De consideratione,* lib. I, c. 7, n. 8.

Michael a S. Joseph, ascetarum manibus teruntur, lectitantur, et a vitæ spiritualis Magistris ut certa oracula suscipiuntur [1]. »

Longum esset omnia elogia, quibus liber sapientissimi Cardinalis abunde cumulatus fuit, recensere. Magno in loco apud æquos rerum æstimatores, imo instar omnium erit quod de insigni opere suffragium tulit perdoctus Lambertini, postea Benedictus Papa XIV. Is porro, in libris *De canonizatione Sanctorum*, pluribus de oratione mentali ejusque gradibus copiose disputatis, graviter addit : « Hæc a nobis relata sunt atque desumpta ex opere supra citato Cardinalis de Lauræa, quum nullum alium invenerimus qui materiam orationis clarius, subtilius et tutius explicaverit [2].» Digna sane commendatio, cui calculum adjiciet diligens quisque lector. Nostri siquidem auctoris methodus non tantum dilucida est, sed etiam mira facilitate cum brevitate conjuncta longe excellit ; scripsit enim, ut singulari modestia ipse fatetur, « in tironum orantium gratiam. » Quæ tamen verba ita accipi non debent quasi prima tantum orationis communis elementa hic traderentur : totum quippe hoc argumentum, pro sua pietate et peritia, accurate complexus est enucleateque peroravit acutissimus theologus. Agit successive in octo opusculis unico volumine comprehensis : 1° *de oratione christiana generatim ;*— 2° *de oratione mentali ;* — 3° *de oratione contemplativa ;* — 4° *de vita activa et contemplativa ;* — 5° *de causis, effectibus ac proprietatibus contemplationis acquisitæ ;* — 6° *de*

[1] *Bibliographia critica*, tom. III, pag. 175 (Matriti, 1741).
[2] Lambert. *De canon. Sanct.*, lib. III, c. 16, n. 8.

dispositionibus requisitis ad vitam contemplativam; — 7° *de contemplatione infusa et supernaturali;* — 8° *de unione mystica animæ contemplativæ cum Deo.* Et, quod votis omnibus in prædicatoribus expetebat Concilium Tridentinum, has graves et sæpe perarduas quæstiones enarrat semper auctor « cum brevitate et facilitate sermonis [1] ». Opportunum itaque non minus quam solidæ devotioni fructuosum visum est eximii ac perrari voluminis novam editionem publici juris facere. Quod consilium vehementer probavit Reverendissimus Cartusianorum Pater Generalis, voluitque tractatum *de oratione* typis cartusianis denuo commendari, non immerito persuasus ex ejusdem lectione multum boni in vitæ asceticæ et contemplativæ studiosos posse derivari.

Faxit Deus ut labor noster aliquid præstet ad uberiorem effusionem *spiritus gratiæ et precum* [2] *!*

B. D.

1 Sess. 5, *De reform.*, cap. 2.
2 Zach. XII, 10.

COMMENTARIUS

IN VITAM CARDINALIS LAURENTII BRANCATI DE LAURÆA[1].

Frater Laurentius Brancati, Cardinalis *Lauria* nuncupatus, nomen Joannis Francisci in baptismate sortitus fuerat. Honestis, licet pauperrimis, parentibus natus est die 10 aprilis anni 1612, ex Marcello Brancati, neapolitano causidico, et Dorothea Serubbia. Patria illi fuit Lauria, dicta etiam Lauræa, quæ pagus est provinciæ basilicatæ episcopo Policastrensi in spiritualibus subjectus. Is episcopus, postquam Joannes Franciscus in studiis humanioribus adoleverat, clericalem illi contulit tonsuram anno ejus decimo quinto, servitiumque assignavit ecclesiæ sancti Jacobi cum certo stipendio, ut sic facilius in eadem civitate studia bene cœpta naviter prosequeretur; sed, quum in adversam valetudinem inciderit, atque morbus gravissime urgeret, votum nuncupavit D. Francisco seraphicum induendi habitum si superviveret. Hinc voti compos factus, inter Minores Conventuales admissus fuit die 2 julii anni 1630. Anno vero sequenti 1631, expleto probationis anno, abdicatoque Joannis Francisci nomine, alterum Fratris Laurentii assumpsit, votisque illius Ordinis se solenniter obstrinxit.

1 Ex editione *Opusculorum* Laurentii Brancati, Cardinalis de Lauræa, Romæ impressa anno 1770, tom. I. Adnotationes interdum adjecimus ex Hurter, ut plurimum, desumptas in *Nomenclatori literario recentioris theologiæ catholicæ*, tom. II, col. 345 et sqq. (Œniponte, 1893.) Ceterum vita nostri Cardinalis Romæ prodiit anno 1699, typis Barnabo.

Ut vero sapientia et consilio in dies proficiebat, Romam advocatur in cœnobium SS. Apostolorum, atque in collegium S. Bonaventuræ erectum a Sixto V. Emenso studiorum curriculo, laurea doctorali insignitur et titulo magisterii. Ut vero alios edoceret, Neapolim missus est, ibique plures per annos præcepta exposuit philosophiæ frequentissimis auditoribus; inde Florentiæ biennio theologiam docuit; at vero Ferrariæ triennium non absolvit, ob bellum quod tunc ardebat Venetos inter et Barberinos. Postremo summa cum laude Bononiæ docuit.

Sed crescente in dies sui nominis existimatione, Romam iterum advocatur, et Secretarius generalis et sui Ordinis Adsistens renuntiatur, cum titulo Provincialis Hiberniæ. Triennio in hoc munere exacto, Guardianus eligitur romani conventus, ubi postquam annum præfuisset, Albanum secessit[1]. Ibi librum composuit magni tunc habitum, cui nomen *Commentaria doctrinæ scotisticæ,* eamdemque doctrinam auctoritate sacræ Scripturæ, SS. Patrum et Conciliorum interpretabatur, subtilique explicatione illustrabat. Hujus operis laudatorem invenit præ ceteris Fabium, Cardinalem Chisium, qui postea Pontificatus apicem ascendit sub nomine Alexandri VII. Hinc Frater Laurentius romani archigymnasii theologus assumitur; quo in munere alium librum edidit, cui titulus *Epitome sacrorum.*

Sed, evecto ad Apostolatum dicto Cardinali Chisio, statim consultor S. Inquisitionis Frater Lauria nuncupatur, et Congregationi sacrorum Rituum adscribitur. Inde Examinator synodalis atque episcoporum, et Præfectus Collegii de propaganda fide renuntiatur. Maxima cum laude difficillimis hisce muneribus perfunctus est. Gravissimis in rebus eum persæpe consulebat Alexander VII, nec vero

1 Prævalentibus quibusdam æmulis, ait Hurter. Ibi, indulta liberiori quiete, totum se studiis dedit, atque, mandante Patre Catalano, Ordinis Generali, commentaria meditatus est doctrinæ scotisticæ, quæ magna sui nominis fama Romæ absolvit. Hæc commentaria constant octo voluminibus in folio (Romæ, 1653-1682). Paulatim volumina prodierunt, non semper servato ordine logico materiarum.

dumtaxat in quæstionibus theologicis aut dogmaticis, sed in controversiis etiam inter Sanctam Sedem ceterosque catholicos principes intercedentibus.

Negotium præ ceteris suscepit episcopatuum in Lusitania vacantium, quorum electionem enixe efflagitabat lusitanus Orator, licet ab Hispanis mordicus oppugnatam. Consilium Lauriæ Lusitanis favebat, et quia maxime Dei servitio congruebat, auctor erat Pontifici ne diutinam vacationem ecclesiæ illæ paterentur ; inclinabatque ut electio fieret a romano Pontifice, omissa etiam regia nominatione ; lusitanus vero Orator annuebat. Licetque concordia iniri non potuerit, attamen Lusitaniæ Rex adeo probavit consilia Lauriæ, ut ei pensionem annuam duorum millium aureorum exhibuerit, quam licet iterum oblatam constantissime recusavit. Hinc existimationem etiam sibi conciliavit ipsius Regis Catholici, cujus Orator, Petrus Aragonius, parem, regio nomine, pensionem obtulit Lauriæ vel episcopatum regiæ nominationis, sed incassum, quia simili semper modestia regias respuit elargitiones.

Propterea apud Pontificem majori in dies pollebat gratia et auctoritate ; et, licet mors intervenerit Alexandri VII, qui maximi Lauriam faciebat, parem tamen existimationem est assecutus apud Clementem IX, qui illum aliis titulis auxit et Congregationi adjecit Indulgentiarum et sacrarum Reliquiarum [1]. Gratissimus vero fuit Clementi X, quem in minoribus etiam habuit amicum et familiarem [2] ; et, dum a secretis esset S. Congregationis Episcoporum et Regularium, ad eum crebro ac perurbane conveniebat.

1 Tantis licet implicatus negotiis, exercitia nunquam deseruit claustralia, assiduus diu noctuque in choro, eoque usu retento etiam Cardinalis electus per trimestre quo remansit in conventu usque dum habitatio pararetur condigna Cardinali.

2 Pontifex factus, Clemens X Lauriæ arguebat timorem, quod infrequens ac trepidus ad solium accederet, mandans ei serio et in virtute obedientiæ, ut secum ageret quasi cum Cardinali Alterio, non Pontifice, amico, non domino.

Grandem tamen auri vim ipse congesserat, non tam ex multiplici munerum suorum proventu, quam ex librorum lucro quos in dies edebat. Hinc suo ære maximaque impensa pene a fundamentis instauravit basilicam SS. XII Apostolorum, monasterium auxit, bibliothecam ditavit, ut inscriptio testatur et statua illi a confratribus erecta in secundo claustro, ut perenne grati animi monumentum exstaret.

Anno tandem ætatis suæ septuagesimo, ab Innocentio XI Presbyter Cardinalis pronuntiatur die primo septembris, 1681, sub titulo *Sancti Augustini*[1]. Pluribus adscriptus fuit Congregationibus, et Sanctæ Sedis bibliothecarius effectus est. Interfuit comitiis Alexandri VIII et Innocentii XII, in cujus conclavi cœperat ægrotare. Obiit die 30 novembris, 1693[2]. Titulum *Sancti Augustini* die 1 decembris, 1681, in alium immutavit *SS. XII Apostolorum.*

Idem cœnobium SS. Apostolorum ex asse heredem in-

1 Nuntio exaltationis suæ recepto, conjectis in cœlum oculis, suspirans exclamavit : *Domine, ne sit mihi, quæso, honor iste momentaneus in æternam confusionem!* Hanc ipsam vocem sæpenumero in pontificalibus repetere auditus est. Indutus purpura, laborem non exuit, sed potius ad Dei gloriam et Ecclesiæ utilitatem conduplicavit, ut fidem faciunt tot libri ab eo in purpura etiam elaborati; inter quos eminent *Opuscula tria de Deo,* et *Opuscula octo de Oratione christiana,* quæ non immerito tanquam maturitatis ingenii Lauriæ fructus habentur. Orationes quas religiosus frequentabat in claustro, purpuratus minime laxavit; imo consuetam meditationem adjecta quotidie ultra solitum hora adauxit. Quamlibet secundam feriam venerationi Scalæ sanctæ destinavit, gradusque omnes de genu piissime confecit. Recitatione diurni officii ecclesiastici absoluta, laudes adjiciebat Virginis Deiparæ; psalmos item omnes quos a gradibus et pœnitentiæ vocant, una cum aliis orationibus et hymnis a se concinnatis. Mensa ipsi frugalis erat, sacris lectionibus piisque colloquiis, non lautis ferculis, abundans. Omnibus omnia factus, nullo hominum habito delectu, facillimas adventantibus præbuit aures, et, si posset, etiam auxilium, sin minus, certe solatium. Ita Hurter, *loc. cit.*, col. 347.

2 Cum unus illorum qui moribundo adsistebant pluribus eum ad constantiam excitaret, quod scilicet vitæ cursu in honorem Dei et salutem proximi fideliter exacto amplissimum in cœlo præmium laboris et meriti exspectandum esset, modeste reposuit : « Non merita, Pater, non merita, sed dona gratis data commemoranda sunt, sine quibus ut nihil sumus, sic nihil possumus. »

stituit ; in cujus ecclesia sepultus est, cum hac brevi nota, quam ipse sibi paraverat :

OSSA
FR. LAURENTII BRANCATI
DE LAURIA

Quam tamen confratres, ejus heredes, auxerunt adjectis titulis et dignitatibus ab ipso possessis, in hac, quæ sequitur, forma :

OSSA FR. LAURENTII
PRESBYTERI CARD. BRANCATI DE LAURIA
MIN. CONVENT.
BIBLIOTHECARII APOSTOLICI
BASILICÆ ISTIUS PRIUS TUTELARIS
POSTEA TITULARIS
ORATE PRO EO

Libros plures evulgavit [1], nempe :

Epitome canonum omnium... usque ad Alexandrum VII, Romæ, 1695 [et alibi sæpe, in-fol. [2]] ;

De operationibus Dei in prædestinatione, reprobatione et gratia actuali [3], Romæ, 1687 [1770 ; Rotomagi, 1705, in-4°] ;

1 In catalogo infra descripto tituli plurium operum nonnihil immutati sunt. Genuinos titulos, quantum nobis licuit, in notis restituimus.

2 *Epitome canonum omnium,* qui in conciliis generalibus et provincialibus, in Decreto Gratiani, in Decretalibus, in epistolis et constitutionibus rom. Pontificum usque ad nostra tempora [Alexandrum VII] continentur, ordine alphabetico disposita.

3 *Opuscula tria de Deo quoad opera prædestinationis, reprobationis et gratiæ actualis,* in commodum tironum S. Augustini doctrinæ studiosorum elucubrata. Editio Rotomagensis, aut Romana anni 1770, præfertur.

De Oratione christiana [1] contra Quietistas et errores nuper invectos Michaelis Molinei [Romæ, 1685, deinde Brixiæ, Venetiis, in-4°] ;

Concordia Evangeliorum [opusculum in-18] ;

Commentaria doctrinæ scotisticæ [2] ;

Commentaria in librum III^m Sententiarum, in tomis quatuor, *de virtutibus in genere* [3], etc. — *De beatitudinibus, gratia habituali, gratiis gratis datis, et specialiter de miraculis,* volum. quinque, Romæ, 1682 ;

Commentaria in librum IV^m Sententiarum, in quibus de sacramentis in genere et in specie, Romæ, 1683 ;

Disputationes duæ, erutæ ex Commentariis, una de decretis Ecclesiæ, altera de proponente legitime res fidei ;

Oratio laudis ad SS. Trinitatem, Romæ, 1695 ;

Oratio ad Jesum Christum et ad omnes cives cœlestes, Romæ, 1688 ;

Index alphabeticus rerum et locorum omnium ad Annales Cardinalis Baronii, opus posthumum, Romæ, 1694.

[1] *Opuscula octo de oratione christiana ejusque speciebus,* in tironum orantium gratiam edita ab eorum amantissimo Fratre Laurentio Brancato... Cardinali de Lauræa.

[2] An opus hic descriptum revera aliud sit ac celeberrimus tractatus *de Incarnatione,* nobis est incompertum.

[3] *Commentaria in libros III et IV Sententiarum Doctoris subtilis,* in ultima forma quam a suo auctore receperunt, complectuntur octo tom. in-fol. [sæpius 9 vol.], in quibus proinde agit *de Incarnatione,* quæ disputatio ceteris præfertur ; *de virtutibus theologicis et cardinalibus, de virtutis heroicæ natura et signis ejusdem in specie ; de spiritualibus donis, gratia habituali, gratiis gratis datis,* præcipue *de miraculis,* quæ maxime inserviunt Congregationibus Rituum ; *de sacramentis in genere et specie ; de novissimis, deque statu parvulorum,* quem tractatum « eruditissimum » vocat Norisius in suis *Vindiciis Augustinianis,* cap. III, § 5. Est hic commentarius solidus et doctus, sed admodum rarus et carus. Sic iterum Hurter, col. 348 et sq.

PRÆFATIO

IPSIUS AUCTORIS

OPORTET semper orare et non deficere[1]. Orationi instate[2]. Sine intermissione orate[3].

Priora verba Salvatoris quidem sunt, posteriora autem sunt Doctoris Gentium Ecclesiam instruentis; at si juxta rigorem litteræ dicta ista intelligantur, impossibile jugum important : in quo sensu intelligentes Euchitæ seu Messalini, in eum errorem lapsi sunt quod continuo tenetur homo orationi vacare.

At sancti Doctores considerantes aliud Salvatoris dictum : Jugum enim meum suave est, et onus meum leve[4], *et quod* mandata ejus gravia non sunt[5], *benigne verba illa explicarunt. Aliqui dixerunt juberi frequentiam orandi, alii perseverantiam. Glossa ordinaria in locum Lucæ dicit : Semper canonicis horis quotidie secundum morem Ecclesiæ : vel quia justus secundum Deum omnia gerit : vel semper orat, qui semper agit bene; nec desinit orare, nisi dum desinit justus esse.*

S. Hieronymus in locum ad Thessalonicenses, Sine intermissione orate, *dicit : Si jugiter non potes lin-*

1 Luc. XVIII, 1.— 2 Coloss. IV, 2.— 3 Thess. V, 17.— 4 Matth. XI, 30. — 5 I Joann. V, 3.

gua, saltem corde, sicut Moysi tacenti dicitur : Quid clamas ad me [1] ?

S. Augustinus exponit de vitæ æternæ desiderio : « *In ipsa ergo fide, spe et caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nosipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobisipsis innotescamus, et ad hoc augendum nosipsos acrius excitemus. Dignior enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc et quod ait Apostolus :* Sine intermissione orate, *quid est aliud quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus, et oremus semper* [2]. » *Et super illud,* Domine, ante te omne desiderium meum [3], *ait :* « *Ipsum enim desiderium tuum, oratio tua est : et si continuum desiderium, continua oratio ; non enim frustra dixit Apostolus :* Sine intermissione orate. *Numquid sine intermissione genuflectimus, corpus prosternimus aut manus levamus ut dicat :* Sine intermissione orate ? *Aut si sic continuate dicimus nos orare, hoc, puto, sine intermissione non possumus facere. Est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium. Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare desti-*

[1] Exod. XIV, 15. — [2] Aug. *Ep.* 130, al. 121, c. 9. — [3] Ps. XXXVII, 10.

teris. Qui tacuerunt ? De quibus dictum est : Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum [1]. *Frigus caritatis, silentium cordis est ; flagrantia caritatis, clamor cordis est. Si semper manet caritas, semper clamas ; si semper clamas, semper desideras. » Sic S. Augustinus* [2].

S. Bonaventura dicit : « Stude semper expendere tempus tuum aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione, aut in servitiis ; non enim cessat orare, qui non cessat benefacere [3]. »

Quovis ergo modo loca illa benigne intelligantur, necessitatem aliquam orandi, pro aliquo saltem tempore, innuunt. Quamobrem ab amicis sæpe rogatus ut de sancto hoc exercitio, de speciebus orationis, et de modis orandi, ac de subjectis capacibus instructionem aliquam ederem, libenter annui ; et octo brevia Opuscula (rudi quidem mihi consueto stylo) de sancto omnis generis orationis exercitio, ex sacræ Scripturæ et mysticorum regulis, ad Dei gloriam et fidelium tironum beneficium, conscripsi. Deo gratias. Gratanter excipe Opuscula hæc, amice Lector, et si quid boni in iis legeris, Deum lauda, a quo omne bonum ; si quid autem minus gratum, ignosce : feci quod potui. Vale, et meliora fac, et doce me, ut tibi et Deo gratias agam.

1 Matth. XXIV, 12. — 2 *Enarr. in Ps.* XXXVII. — 3 Bonav. *In reg. nov.*, c. 2.

MONITUM AD LECTOREM

Prælaudati hujusce operis vetus exemplar nobis a Clarissimo majoris Seminarii Lavalensis Rectore oblatum, ab ipsoque concinno proœmio et brevi doctissimi Cardinalis Vita adauctum, typis nostris, Reverendi Patris nostri Generalis jussu, mandavimus. In hac nova editione imprimis studuimus librum Cardinalis de Lauræa, sententiis quidem refertum, sed simplici et, ut ipse Auctor humiliter fatetur, rudi paululum stylo exaratum, omnino genuinum illibatumque, correctis tamen corrigendis, servare. Singulas ex sacra Scriptura citationes diligenter juxta Vulgatam Editionem recognovimus. In conferendis innumeris SS. Patrum aliorumque scriptorum excerptis cum recentioribus ac probatissimis editionibus, haud mediocris adhibita fuit cura ; et textus rite recognitos usitatis inclusimus signis, si perpaucos tantum excipias, quos vel indagandi copia defuit, vel non immutandos suasit ratio. Eximium itaque Cardinalis librum, quantulocumque nostro labore de novo editum, confidenter sacri Ordinis nostri alumnis offerimus, minime dubitantes quin assidua illius lectione ac meditatione, tam solide instruantur in viis contemplationis quam tuto dirigantur. Præstet Pater ipse luminum, a quo descendit omne donum perfectum, ut, cœlestis hujus doctrinæ pabulo enutriti, et piæ devotionis eruditi affectu, discamus perfecte et sine intermissione orare.

Cartusiæ S. Mariæ de Pratis,
In Solemn. Nativitatis B. V. M., 1896.

OPUSCULUM PRIMUM

DE

ORATIONE CHRISTIANA

CAPITULUM PRIMUM.

QUID ET QUOTUPLEX SIT ORATIO.

Definitio.

ORATIO, ex S. Augustino, seu auctore libri *De spiritu et anima* [1], et ex Damasceno [2], quos omnes mystici sequuntur, est *ascensio mentis ad Deum,* id est elevatio quædam intellectus ad Deum. Ex S. Basilio, est *collocutio cum Deo.* Omnis etenim fidelis homo orans, vel gratias agit Deo de beneficiis, vel aliquid petit ab illo, etiamsi vocaliter humano modo id facit, conjungens mentem cum ore ; alioquin ut psittacus loqueretur cum Deo. Hos autem sic sine intentione et attentione orantes improbat Deus per Prophetam : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [3]. De mentali vero evidens est quod sit elevatio mentis ad Deum, ut mox dicetur. Et quamvis ad Sanctos quoque, Angelos, et beatissimam Virginem sæpissime dirigamus orationes mentis, ad Deum tamen terminative, quia eos oramus tanquam Deo caros et amicos, ut ab eo pro nobis intercedant quod poscimus. Primario autem orationes ad Deum diriguntur ex Christi oraculo : *Quum oratis, dicite : Pater noster, qui es in*

[1] *De spiritu et anima,* cap. 50 — [2] *De fide orth.,* lib. III, cap. 24. — [3] Is. XXIX, 13 ; Marc. VII, 6.

cœlis, sanctificetur, [1] etc. Et ideo hanc Orationem, quæ dominicalis dicitur, parentes tenentur docere filios in ea lingua qua possunt; et consulitur a Conciliis [2].

Divisio. Oratio, prima sui divisione, dividitur in *vocalem* et *mentalem,* et quælibet earum in suos gradus. Mentalis, in *meditativam* et *contemplativam,* et quælibet istarum in suas partes seu gradus.

Dividitur in *publicam* et *privatam*. Prima est, quæ fit a ministris Ecclesiæ nomine Ecclesiæ; secunda, quæ fit a qualibet persona privata, sive pro se, sive pro aliis.

Hæc autem omnibus nota sunt, et probatione aut declaratione non indigent.

Dividitur oratio, tam vocalis quam mentalis, tam publica quam privata, in tres alias species, scilicet, *laudis, gratiarum actionis,* ac *petitionis*. Et ad omnes istas nos hortatur utriusque Testamenti Scriptura. De prima leguntur cantica aliqua, et plures Psalmi laudatorii et alii invitantes ad laudandum Deum: *Confitebor tibi, Domine* [3]; *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit* [4], etc.; *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium* [5]. De secundis plura pariter sunt exempla: *Laudate, pueri, Dominum* [6]; *Laudate Dominum de cœlis* [7]; *Laudate Dominum, omnes gentes* [8]; *Confitemini Domino, quoniam bonus* [9], etc.

Oratio gratiarum actionis nobilissima est, quia ex virtute gratitudinis procedit; ideo Deus instituit sacrificium offerendum pro gratiarum actione [10]; et Salvator, quum aliquod grande miraculum patrabat, semper Deo gratias agebat, ut quum resuscitavit Lazarum [11], quum sacramentum Eucharistiæ instituit [12], et sic de aliis; et Paulus docet, nos debere Deo gratias agere, et sæpe id replicat [13].

Oratio petitionis, cui maxime competit nomen hoc, sæ-

[1] Matth. VI, 9; Luc. XI, 2. — [2] Conc. Tolet. IV, cap. 10; Mogunt. I, can. 45. — [3] Ps. IX, etc. — [4] Luc. I, 68. — [5] Ps. CXLIII. — [6] Ps. CXII. — [7] Ps. CXLVIII. — [8] Ps. CXVI. — [9] Ps. CV, etc. — [10] Lev. VII, 12. — [11] Joann. XI, 41. — [12] Matth. XXVI, 27. — [13] II Cor. I, 11; IV, 15; Ephes. V, 4, 20, etc.

pissime in sacro textu reperitur, et facta et consulta. Legatur sacra Scriptura. Nam sancti Patres continue orabant Deum in suis necessitatibus, petentes sibi necessaria, ut Abraham, Isaac, Jacob, Prophetæ, etc. Et Christus petendum a Deo præcipit : *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* [1]. *Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se* [2]. Et in Oratione dominica docuit nos ut septem petamus a Patre cœlesti; et ideo, tam Ecclesia pro omnibus, quam singuli homines pro se et pro aliis, petunt a Deo spiritualia ac temporalia bona.

Et omnes has tres orationis species seu partes sancta Mater Ecclesia continuo in usu habet; et in hymno *Gloria in excelsis* simul unitæ sunt : laudatur enim Deus, gratiæ ei aguntur, et beneficia ab eodem petuntur.

CAPITULUM II.

DE NECESSITATE ORANDI.

ORANDUM esse Deum sacræ Litteræ docent. *Non impediaris orare semper* [3], id est quotidie. Salvator ait : *Sic ergo vos orabitis : Pater noster* [4], etc. Item : *Oportet semper orare, et non deficere* [5]. *Omni tempore orantes* [6]. Et adeo necessarium esse ad salutem putarunt Euchitæ seu Messaliani, ut errantes dixerint solam orationem sufficere ad salutem. Sic refert Theodoretus [7]. Econtra Pelagius dixit, nullo modo esse necessarium ad salutem orare, sed solas vires naturales sufficere ad salutem [8].

De necessitate orandi innumeri loquuntur. At ego Chrysostomum, doctorem eximium, in libro primo *De orando Deum* [9], sic dicentem lego : « Quisquis non orat Deum,

[1] Matth. VII, 7. — [2] *Ibid.* 11. — [3] Eccli. XVIII, 22. — [4] Matth. VI, 9. — [5] Luc. XVIII, 1. — [6] *Ibid.* XXI, 36. — [7] *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 10. — [8] S. Aug. *De hæres.* 88. — [9] Alias *De precatione*, orat. I.

nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et vita carens, expersque sanæ mentis. » Et post multa digna subdit : « Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio, cum virtute degere, et hujus vitæ cursum peragere. » Et in libro secundo [1] ait : « Jam vero, si quis dicat animæ nervos esse deprecationem, mea quidem sententia, verum dixerit. Quemadmodum enim corpus nervis cohæret, currit, vivit, stat et compactum est, adeo ut si nervos incideris universam corporis harmoniam dissolveris ; itidem animæ per sanctas preces sibi constant et compinguntur ac pietatis cursum facile peragunt. Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris ac si piscem ex aqua extraxeris. »

Concilium Viennense generale decrevit, orationem semper esse necessariam cuilibet homini, etiam perfectissimo [2]; et Concilium Toletanum [3] statuit, Orationem dominicam qualibet die esse recitandam ; negligentes vero jejuniis plectendos.

Quum autem præceptum orandi sit affirmativum, et sic obliget semper, sed non ad semper, oritur dubium quando obliget, maxime quum Salvator dicat : *Oportet semper orare* [4]. Quod quidem, ut glossæ omnes ibi explicant, non intelligitur de continuatione orationis, quia hoc esset impossibile ; sed intelligitur de frequentia orandi, vel, ut ait S. Augustinus [5], intelligitur de perseverantia orandi, ut obtineamus a Deo quod petimus.

Tempora orandi.

Tempora autem determinata orandi ex Dei præcepto nemo assignavit ; sed omnes de oratione tractantes dicunt esse tempus gravis necessitatis spiritualis, ut mortis, tentationis, susceptionis sacramentorum ; at omnium primum esse tempus in quo quis incipit pollere usu rationis, tunc enim incipit se ordinare ad finem, et per consequens ad media sine quibus finis haberi nequit, quorum unum præcipuum est oratio.

[1] *De precat.*, orat. II. — [2] Clementin. lib. V, tit. 3. — [3] Conc. Tolet. IV, c. 10. — [4] Luc. XVIII, 1. — [5] Serm. 36 *De verbis Domini ;* al. Serm. 115.

An vero præceptum orandi sit de vocali aut mentali oratione : dicendum quod, — excepto Ecclesiæ præcepto, quæ publicam orationem ac privatam aliquam ob fidelium communionem (ut postea dicam) fieri præcipit, — liberum cuique est orare vocaliter aut mentaliter, ex Dei præcepto ; et sic quisque orandi præcepto divino satisfaciet, tam oratione laudis et gratiarum actionis, quam petitionis, si voce menti unita, vel sola mente sine voce id faciat.

Verum adverto lectorem quod ego in hoc opusculo non loquor ex professo de oratione præcepti, sed de oratione supererogationis et consilii, licet incidenter aliquod verbum dixero de oratione an cadat sub præcepto et necessitate simpliciter ; quia meus scopus est ut tirones alliciam ad profectum, perfectionem et unionem cum Deo, de quibus non præceptum, sed consilium Dei est : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [1].

CAPITULUM III.

DE LOCO ET MODO ORANDI.

Loquor hic de orante privato, non publico, et de modo non orationis, sed orantis quoad situm et habitum corporis, id est, an genuflexus semper, an stans vel cubans aut sedens vel ambulans possit quis orare.

De loco orandi.

De loco, ratio dubitandi est, quia Salvator aliquando de templo dicit : *Domus mea domus orationis est* [2] ; aliquando dicit : *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum* [3]. De situ autem corporis, ratio dubitandi est, quia nusquam præscribitur situs seu positio corporis ad orandum necessaria, et legimus Salvatorem modo stantem modo genibus flexis orasse. Ad situm autem reducuntur omnes gestus et actus qui

De situ orantis.

[1] Matth. v, 48. — [2] Luc. xix, 46. — [3] Matth. vi, 6.

fieri possunt in oratione : de quibus omnibus summarie pro tironum simplici notitia loquar.

Pro oratione privata non est determinatus locus.

Dico primo : Pro oratione privata, seu privatæ personæ, non est determinatus locus orandi, licet ecclesia sit locus apprime aptus.

Christi verba et exempla.

Probatur prima pars, primo ex dicto Christi, qui et templum et cubiculum dicit ad orandum apta. Secundo, Salvator ipse in diversis locis oravit, in templo, in monte, in deserto Bethsaidæ, et Ephrem, in deserto *Quarantena* dicto, in Bethaniæ solo, et campo quum Lazarum resuscitavit, in cœnaculo quum sacramentum Eucharistiæ instituit, in horto, et in Cruce. S. Joannis Baptistæ exempla.

S. Joannes Baptista in deserto per annos fere viginti quatuor oravit, et postea in campo, et ipse et discipuli prope Jordanem, ubi cum ipsomet Christo oravit, et vidit columbam de cœlo descendentem, et super Christo manentem, et Patrem divinum dicentem audivit : *Hic est filius meus dilectus* [1]. Tertio, Patres veteris Testamenti templa non habebant pro toto tempore legis naturæ, et in campis erigebant sibi altaria, orabant ac sacrificabant, ut legitur de Abel et Cain, de Noe, Abraham, Isaac, Jacob et Moyse, usque dum factum fuit tabernaculum in deserto Sin. In novo Testamento, — quousque Apostoli et sancti alii potuerunt aliquas domos in oratoria deputare, et postea in quarto sæculo ecclesias publice ædificare, — in cryptis et campis orabant. Et tot myriades anachoretarum in desertis orabant! Patet ergo locum omnem esse orationi aptum. Ratio autem S. Augustini [2], cur omnis locus aptus sit, est quia Judæorum tempore tota terra Gentilitatis errore polluta erat, ideo in templo sacrificia offerenda et vota reddenda, et non alibi, Deus præcepit ; at post Christi adventum, per eum universa terra expiata est, ideo locus omnis orationi aptus est.

Veteris Testamenti Patrum exempla.

Apostolorum exempla.

S. Augustini documentum.

Cur Christus dixit orandum in cubiculo.

Ad objectum autem quod in cubiculo sit orandum, clara est responsio ex eodem Evangelii loco, ubi Christus dam-

[1] Matth. III, 17. — [2] *De Cruce et Latrone*, in App. 155, al. *de Tempore* 130.

nat Pharisæos, qui in plateis orabant ut viderentur ab hominibus [1] et gloriam vanam acquirerent; et ob hanc causam in publico orandum non est, sed in cubiculo, et qui gloriam humanam fugiunt, in abditis orant. At ea cessante, ubilibet orari potest. Ideo fideles in cœtu ecclesiarum et oratoriorum publicorum orare consueverunt, etiam Apostolorum tempore, ut ex Actibus Apostolorum habetur [2].

In templis orandum.

Probatur secunda pars, primo quia, ut dixi, Salvator dicit, speciali loquendi modo, templum esse orationis locum [3]. Ipsemet templum frequentavit. Et Apostoli post Ascensionem non cessarunt frequentare templum ad orandum; nam *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam* [4].

Exempla Christi et Apostolorum.

Cur in templo orandum.

S. Joannes Chrysostomus [5] commendat, quod fideles in templo orent hac ratione, quod ibi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur. Est enim ibi concordia fidelium, conspiratio, copula amoris et caritatis. Præsunt sacerdotes, ut infirmiores populi orationes complectantur suis validioribus, et simul in cœlum evehantur.

Aliud motivum suadens ut in ecclesia oretur, est, quia ibi imagines Christi, beatæ Virginis et Angelorum ac Sanctorum, et sanctissimæ Eucharistiæ præsentia excitant ad mentis elevationem ac devotionem.

Nihilominus in locis omnibus extra ecclesiam possunt fideles orare, ut scripsit Nicolaus primus ad Bulgaros [6]; et major fidelium pars, excepta auditione Missæ, quæ in ecclesia facienda est, in propriis cubiculis orant ne ab hominibus videantur.

Situs corporis in orando.

Secundo, de situ corporis orantis dico, quod genuflexus, vel stans, vel sedens, vel cubans, pro suo posse quis orare potest.

Christi exempla.

Probatur primo quia nemo hucusque situm aliquem

[1] Matth. VI, 5. — [2] Act. I, 14, etc. — [3] Luc. XIX, 46. — [4] Act. III, 1. — [5] *De incomprehensibili Dei natura*, hom. 3. — [6] *Ad consult. Bulgar.*, cap. 74.

particularem dixit necessarium ad orandum ; secundo exemplo Christi, qui modo genuflexus, modo erectus orabat ; nam in horto *positis genibus oravit* [1], alias vero erectus, ut in monte [2], et dum suscitavit Lazarum [3], et quando petiit a Patre : *Pater, clarifica nomen tuum* [4], etc. ; in his enim orationibus non legitur quod genua flexerit.

Genuflexo orandum.

Apostoli interdum genuflexi orabant. Patet de Petro, Paulo, etc., ut in Actibus [5]. Et hic mos erat etiam inter Judæos, quia petentes a Christo aliquam gratiam sanctitatis genuflectebant ei [6]. Machabæi ad crepidinem altaris provoluti orarunt [7]. Salomon, completa ædificatione templi, utroque genu in terram defixo, manus expandens ad cœlum oravit [8]. De Jacobo fratre Domini legitur quod adeo assiduus erat in orando flexis genibus ut camelorum pellis durities in ejus genibus orta esset. Et ideo communior situs corporis in orando est cum genuum flexione. De Paulo id habetur [9].

Stando etiam orari potest.

Sed etiam stando orari potest. De publicano Salvator dicit : *A longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori* [10]. De sanctis Patribus, Abraham, Isaac, Jacob, Moyse et Prophetis legimus quod oraverint, sacrificia obtulerint, et alia devota opera fecerint ; at non legimus quod genibus flexis id fecerint, ideoque ad minus stando ea fecisse oportuit. De quibusdam sanctis monachis legimus stantes orare consuevisse, et hoc eo studio ut facilius somnum excuterent, qui in alio corporis habitu solet advenire. De abbate Moyse, abbate Joanne et abbatis Elpidii discipulo Sisinio scribit Marulus [11], stantes orare consuevisse.

De multis legitur.

Sedendo etiam orari potest.

De orantibus sedendo pauca quidem exempla invenio, sed duo tantum, eaque celebria ; unum Moysis, alterum Christi Domini.

[1] Luc. XXII, 41. — [2] Matth. XIV, 23. — [3] Joann. XI, 41, 42. — [4] *Ibid.* XII, 28. — [5] Act. IX, 40 ; XX, 36, etc. — [6] Matth. XVII, 14 ; Marc. I, 40, etc. — [7] II Mach. X, 4. — [8] III Reg. VIII, 54. — [9] Ephes. III, 14. — [10] Luc. XVIII, 13. — [11] *De religiose vivendi instit.*, lib. II, c. 1.

De Moyse habemus in Exodo [1], quod quum, in deserto Raphidim, Josue et populus pugnaret cum Amalecitis, Moyses in vertice collis stans orabat, et dum manus levabat, vincebat Josue ; dum eas remittebat, superabat Amalech. Quod cernentes Aaron et Hur, qui ei adsistebant, tulerunt lapidem, et posuerunt subter eum, in quo sedit, et sustentabant manus ejus ex utraque parte, ne laxarentur, et sic obtenta fuit victoria, sedente et orante Moyse. Et ideo sic docet populum de legis observantia : *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo ; et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens* [2] ; quasi dicat : in omni situ corporis et in omni loco potest homo meditari legem Dei et magnalia ejus, eumque laudare ac precari ; ut ipsemet fecerat per annos quadraginta in deserto, stans vel sedens vel ambulans prout urgebat necessitas.

Moyses sic oravit.

In omni situ orari potest.

De Salvatore autem habemus quod in ultima cœna, instituens sacramentum Eucharistiæ, oravit ; quia elevans oculos in cœlum, gratias agens, benedixit, fregit, deditque, etc. Sed discumbebat cum discipulis, inquiunt Matthæus [3] et Lucas [4], ideoque sedens id fecit. Quod inde confirmatur, quia quum dixisset : *Unus vestrum me traditurus est* [5], et Joannes rogatu Petri interrogare vellet Dominum : *Quis est qui tradet te* [6] ? recubuit super pectus Jesu ; et prius dicit textus : *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus* [7]. Sedebat ergo quum hæc fecit. Et in eodem situ hymnum dixit [8], quum post cœnam, sicut moris erat, gratias egit.

Christi exemplum.

Sedens instituit Eucharistiam, et sacrificavit.

Etsi autem omnis habitus seu situs corporis ad orandum sufficiat, nihilominus decentior est si cum genibus flexis oretur a privatis. Et sic in usu fuisse legimus in lege Moysis. Daniel per diem genua flectens Deum adorabat [9]. Michææ sexto dicitur : *Curvabo genu Deo excelso* [10]. Et

Melius est ut flexis genibus oretur.

[1] Exod. xvii, 11, 12. — [2] Deut. vi, 6, 7. — [3] Matth. xxvi, 20. — [4] Luc. xxii, 14. — [5] Matth. xxvi, 21. — [6] Joann. xxi, 20. — [7] *Ibid.* xiii, 23. — [8] Matth. xxvi, 30. — [9] Dan. vi, 10. — [10] Mich. vi, 6.

Deus commendat eos qui genu non flexerant ante Baal : *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal* [1], quia genuflexio est summæ adorationis signum. Unde Isaias, prædicans futuram Gentium conversionem, præ ceteris inquit : *Mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua* [2], quod quidem in lege evangelica verificatum videmus. Irenæus et Tertullianus ex Apostolorum tempore id cœpisse dicunt.

Ecclesia diverso situ utitur in oratione.

Verum tamen est, quod Ecclesia in omnibus divinis Officiis, Missæ, Horarum canonicarum, Rogationum, etc., statione, sessione, genuflexione, et deambulatione (ut in processionibus) orando utitur ob peculiaria mysteria, et in Paschate præsertim statione ob mysterium Resurrectionis.

In terra strati plures orarunt.

Aliquando stratos in terra ob humilitatem legimus plures orasse. Nobile exemplum habemus de legione tota Christiana, quæ sub Marco Aurelio sic orans victoriam obtinuit.

S. Augustini sententia de situ corporis in oratione.

Tandem de situ corporis in oratione servando dignum est ut S. Augustinum audiamus ; is enim dicit [3] : « Ad orandum quomodo corpus constituatur exemplis admonemur non esse præscriptum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam et stantes oramus, sicut scriptum est : *Publicanus de longinquo stabat* [4] ; et flexis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus [5] ; et sedentes, sicut David et Elias. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis : *Lacrimis lavabo per singulas noctes lectum meum* [6]. » Et sic in omni constitutione corporis, dum Deus vocat, orari potest, dummodo mens sit ad Deum elevata. Et quadam vice vidi quemdam Dei servum, supra lecti tabulam sedentem et parieti innixum, extaticum ; a quo postea audivi Deo in omni situ vocanti obediendum esse.

Etiam jacendo orari potest.

[1] III Reg. XIX, 18 ; Rom. XI, 4. — [2] Is. XLV, 24. — [3] *De divers. quæst. ad Simpl.*, lib. II, q. 4. — [4] Luc. XVIII, 13. — [5] Act. VII, 59 ; XX, 36. — [6] Ps. VI, 7.

CAPITULUM IV.

DE ALIIS CORPORIS GESTIBUS IN ORATIONE PERMISSIS.

Alii plures pietatis ac devotionis actus in oratione fieri solent, de quibus aliqua dicere non erit incongruum, ne quis eos cernens miretur aut scandalum patiatur.

Junctis manibus interdum oratur.

Primus actus est junctis simul manibus orare. In usu Ecclesiæ est, ut patet de duplici oratione quæ dicitur *Memento,* quæ fit pro vivis ante consecrationem, et pro defunctis post eam; de *Introitu,* tam in ingressu ante altare, quam in altari; de *Gloria, Evangelio, Credo,* etc. Et consuetum quidem pluribus est sic orare. At nullum est peccatum, ut Græci quidam putabant, si non eo ritu oretur; sic enim Nicolaus primus ad Bulgarios scribit: « Dicitis quod Græci fateantur quod, in ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum. Hoc ut fieret nusquam præceptum invenitur; ac per hoc, nisi fiat, peccatum non est; nam quidam faciunt hoc, quidam aliud genus humilitatis; nec illud est peccatum, nisi forte quis pertinaciter recusaverit facere quod omnes viderit facientes. Verum et hoc quum fit, non nisi humilitatis gratia fit, ut revera scriptum est: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*[1]. Proinde, sive hoc, sive aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus[2]. » Et laudat postea junctis manibus orare hac ratione, quia in Evangelio, qui reprobantur, ligati manus et pedes reperiuntur[3]: « Quid aliud illi agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi quodammodo Domino dicunt: Domine, ne manus meas ligari præcipias, ut mittas me in tenebras exteriores; quoniam ecce ego

Si non oretur sic, non est peccatum.

Sed laudabile est si fiat.

[1] Eccli. xxxv, 21. — [2] Nicol. I. *Ad consult. Bulgar.*, cap. 54. — [3] Matth. xxii, 13.

jam eas ligavi, et ecce jam in flagella paratus sum [1]. » Sic Nicolaus.

Erectis manibus interdum oratur.

Alii manibus erectis cœlum versus aliquando orant. Et hic ritus ex apostolica traditione habetur; nam Paulus ait : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus* [2]. Et Tertullianus inquit : « Nos vero non attollimus tantum manus, sed etiam expandimus, et dominica Passione modulantes et orantes confitemur Christo [3]. » Et postea inferius : « Atqui cum modestia et humilitate adorantes, magis commendamus preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed moderate et probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto, etc. [4] » Idem Tertullianus inquit : « Hinc in cœlum suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus, etc. [5] » Utroque ergo modo, et junctis et expansis manibus, orari potest. Sic S. Dominicum et S. Franciscum orasse legimus.

Pectoris tunsione interdum oratur.

Alius in orando, isque frequens ritus, est tunsio pectoris, quæ et in Missa ad *Confiteor,* ad *Agnus Dei* et ad *Domine non sum dignus,* exercetur, et in privatis pariter orationibus in usu est. Qui quidem ritus pariter ex traditione apostolica habetur, estque signum displicentiæ, doloris ac pœnitentiæ alicujus mali. Ex Evangelio videmus commendatum factum Publicani, qui *percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori* [6]. Et post Christi crucifixionem Judæi quidam dolentes de excessu illo, *revertebantur percutientes pectora sua* [7]. Quem ritum S. Cyprianus valde commendat. Et Nicolaus ait : « Pectus percutimus, significantes videlicet quod nequiter gessimus displicere nobis, et ideo antequam Dominus feriat, et antequam ultio extrema veniat, commissum pœnitentia digna punire debemus [8]. »

Ex traditione habetur.

Lacrimando aliqui orant.

Alius orandi ritus, sed paucis datus, est lacrimarum effusio; sic enim orasse multos legimus in sacro textu.

[1] Nicol. I. *loc. cit.* — [2] I Tim. II, 8. — [3] Tertull. *De oratione,* cap. 11, al. 14. — [4] *Ibid.* cap. 13, al. 17. — [5] *Apologet.,* cap. 30. — [6] Luc. XVIII, 13 — [7] *Ibid.* XXIII, 48. — [8] Nic. I. *Ad consult. Bulgar.,* cap. 54.

Ad sic orandum Judith hortabatur populum in obsidione Bethuliæ : *Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam,* [1] etc. Lacrimans orabat David : *Lacrimis meis stratum meum rigabo* [2] *; Percipe lacrimas meas* [3] *; Posuisti lacrimas meas in conspectu tuo* [4] *;* et alias plures. Ezechias in grandi illa obsidione Jerusalem per Sennacherib cum exercitu centum octoginta quinque millium militum, cilicio indutus, orans cum lacrimis, exauditus est, quia Dei virtute nocte una milites omnes suffocati periere [5]. Et plura alia suppetunt veteris Testamenti loca de oratione lacrimis conjuncta. In novo adest exemplum Magdalenæ [6]. De Sanctis multa exstant in eorum historiis exempla. S. Pater Franciscus ita assiduus fuit in orando cum lacrimis, ut sicut narrat S. Bonaventura in illius vita : « Ejus oculi jam caligaverant, non senectute, sed lacrimis. »

S. Script. exempla.

S. Franciscus assidue lacrimando orabat.

An vero velato, vel nudato capite in ecclesiis orandum sit, discutiendum est. Utroque modo utitur Ecclesia in publicis orationibus juxta Cæremonialis regulas, ut in Horis canonicis, processionibus, etc. Sed opertorium capitis non est profanum, quo clerici utuntur in foro et in domibus, sed peculiare et ecclesiasticum biretum, vel parvum pileolum ad capitis defensionem ; quo etiam laici uti possunt orando, et Missæ aliisque divinis Officiis assistendo privati homines. Humilius autem ac sanctius est, si salus permittat, ut nudato penitus capite oretur ; sic enim orasse legimus multos qui capite consperso cinere orabant [7].

An capite nudato orandum.

Aliquando operto capite ministri Ecclesiæ orant.

Sanctius est ut privati nudato capite orent.

De hoc orandi ritu late loquitur Paulus, ubi de viris et mulieribus in ecclesia orantibus sic loquitur : *Omnis vir orans aut prophetans* (id est psallens) *velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum* [8]. Et infra : *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et*

Cur mulieres velato, viri vero nudato capite orant.

[1] Judith VIII, 17. — [2] Ps. VI, 7. — [3] Ps. XXXVIII, 13. — [4] Ps. LV, 9. — [5] IV Reg. XIX ; Eccli. XLVIII ; Is. XXXVII, etc. — [6] Luc. VII, 38. — [7] Judith IV, 16 ; VII, 4 ; IX, 1 ; Esth. XIV, 2, etc. — [8] I Cor. XI, 4, 5.

gloria Dei est; mulier autem gloria viri est[1]. Et inferius : *Debet mulier habere potestatem* (id est velamen) *supra caput propter Angelos*[2]. Varie explicatur hic locus *propter Angelos,* non quidem ne Angeli moveantur ad libidinem, ut senserunt Tertullianus, Clemens et alii, quia hic est error; sed, vel quia Angeli sunt testes pudicitiæ mulierum, et ipsi in ecclesiæ custodia sunt, et ita Chrysostomus et Theodoretus; vel quia hoc in loco Angelorum nomine intelliguntur viri probi ac devoti, ita Clemens, libro tertio *Hypotyposeon*[3]; vel quia Angelorum nomine intelliguntur sacerdotes et episcopi, qui in Apocalypsi vocantur Angeli, — ita S. Anselmus et S. Thomas, — ante quos mulieres velatæ incedere debent, ne illi moveantur ad libidinem. Quomodocumque intelligatur, in ecclesia mulieres debent comparere ac manere velato capite, et sic orare; viri vero nudato capite. Non loquor hic de monialibus, quæ ob humilitatem et sui abjectionem deturpant ob Deum caput, illud tondendo, et nihilominus illud velant ob honestatem; quod antiquum est in Ecclesia, ut notat Tertullianus in libro *De velandis virginibus.* Imo in capite decimo septimo refert arabicas feminas, nedum capite, sed et tota facie velatas incedere. Utinam et inter omnes Christianos mos iste vigeret!

Cur propter Angelos mulieres in ecclesia velant caput.

Multæ rationes, ex multis Sanctis desumptæ.

De orantibus ergo in ecclesia, dico : [viri non] nisi detecto capite, vel ad summum, si necessitas urget, aliquo pileolo utentes, orare debent; feminæ velatæ. At in privatis domibus vel alibi, si possint, idem servare deberent; sin minus, ut possunt.

Et quia de externis gestibus corporis ad orationem necessariis loquor, dicam hic quod in capitulo *De præparatione* foret dicendum. Oraturus ergo omnium primo salvifico Crucis signo, invocans sanctissimam Trinitatem, munire se debet a fronte ad pectus et brachiorum summitatem, inquiens : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

In oratione faciendum signum Crucis.

[1] I Cor. XI, 7. — [2] *Ibid.* 10. — [3] Apud Œcum. super I Cor. XI, 10.

Antiquus mos est.

Mos iste signandi se antiquus est in Ecclesia, et cum ea post Christum in Cruce passum incepit. Imo Tertullianus[1] et S. Hieronymus[2] referunt Christianos ad omnem actum consuevisse Crucis signum adhibere. Et Eusebius inquit Christianos in castris Gentilium imperatorum detectos fuisse tales, eo quod ad cibum et potum Crucis signum adhibebant. Et ideo Ecclesia non solum sacramenta omnia Crucis signo perficienda statuit[3], sed et Missam et canonicas Horas sic incipere consuevit; vexillum enim religionis christianæ est, in quo nos gloriari oportet[4], et illum qui in eo pependit præ oculis semper habere, illum invocare, et in eo confidere. Hinc est quod vivificum hoc signum, nedum in omni sacro loco et in quolibet altari ad orandum exponitur, sed et in omni privata Christianorum domo pendens conspicitur, ut beneficiorum a pendente in eo acceptorum continuo recordemur, gratias ei agamus, eumque offendere timeamus. Et ad hoc factum innuendum puto dictum in Deuteronomio *: Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die*[5]. Hoc ergo salutari signo ante omnia munire se debet oraturus, et humili corde sanctissimam Trinitatem invocare.

In Sacramentis perficiendis, et in divinis officiis, Ecclesia utitur signo Crucis.

Cur omnes tenent Crucem cum Christo in ea pendente.

CAPITULUM V.

DE PRÆPARATIONE AD ORATIONEM.

Oratio, vel satisfactoria vel meritoria.

Advertendum diligenter est, quod vel sermo est de oratione satisfactoria tantum, vel de fructuosa ac meritoria Deoque grata. Prima est illa quæ vel fit a clericis vel aliis ratione Ordinis, beneficii, etc., vel imposita a confessario, vel obligata ex eleemosyna. Hæc oratio pure satisfactoria, si orans non curat de fructu et merito de

[1] *De Corona*, cap. 3. — [2] Ad Eustochium. — [3] Cap. *Numquid non omnia*, 10, dist. 5, de Consecrat. — [4] Galat. VI, 14. — [5] Deut. XXVIII, 66.

Satisfactoria oratio fieri potest in quocumque statu animæ.

condigno, — quod nullus fidelis deberet facere, — sufficienter fit, si attente ac devote fiat cum affectu in Deum, in quocumque statu reperiatur orans. Et de hoc nequam non curo loqui ; non curavit facere in gratia.

Fructuosa et meritoria facienda in statu gratiæ.

Si vero sit sermo de fructuosa ac Deo grata oratione et meritoria, duplex requiritur ad eam præparatio, remota una, proxima altera. Prima est bene morigerata vita a vitiis capitalibus remota, ac devotio, quæ aliud non est nisi *humilis voluntas placendi Deo, eique parendi in omnibus præceptis divinis et ecclesiasticis*. Proxima vero dispositio plura requirit. Primo invocationem Dei, ut illuminet, ut adjuvet ad faciendam orationem ipsi gratam, et cum spirituali fructu. De hac loquitur Apostolus : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [1].

Præparatio ad hanc secundam, quæ debet esse.

Proxima dispositio ad orandum meritorie.

Glossa ad verbum *postulat* dicit : « Facit nos postulare ; » et propterea pro recitantibus Officium divinum Urbanus octavus præscripsit oratiunculam illam ante initium Officii dicendam : « Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum. Munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus. Intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente ac devote hoc Officium recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. Amen. »

Conditiones præparationis proximæ.

Examen conscientiæ.

Secunda conditio præparationis proximæ pro oratione meritoria, est examen diligens conscientiæ, cum dolore peccatorum quæ adsunt, et proposito firmo non peccandi de cetero cum auxilio divinæ gratiæ. Si enim mortale adsit, confessio cum attritione, vel contritio cum voto confitendi præmittenda est. Nam in libro Proverbiorum habetur : *Orationes justorum exaudiet* [2]. Isaiæ primo sic loquitur Deus : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam ; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* [3]. Deinde monet quid agere debeant ante orationem, ut fructum ex

Ideo injustitia deponenda.

[1] Rom. VIII, 26 — [2] Prov. XV, 29. — [3] Is. I, 15.

ea suscipiant, et exaudiantur : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere perverse, discite benefacere... Venite, et arguite me ;... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur,* [1] etc. Munditia igitur de peccato debet orationem præire. Unde Jacobus apostolus ait : *Multum valet deprecatio justi assidua* [2]. Et in capitulo quarto dicit : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis* [3].

Actus fidei, spei et dilectionis prærequiritur.

Tertium requisitum in præparatione pro oratione meritoria sunt aliqui actus fidei, spei, et affectus seu dilectionis erga Deum. Oraturus credere debet, implicite saltem, Deum sibi esse præsentem, quia cum eo locuturus est; ad ipsum enim suam orationem directurus est: igitur apprehendere illum, et credere, saltem implicite, debet sibi præsentem esse. Sperare debet se fore exaudiendum si petit, et gratum se fore si Deum laudat vel gratias ei agit; alioquin frustra operaretur. Debet pium aliquem affectum erga Deum elicere. Quæ omnia ex sacro textu habemus : *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est* [4]. Et Salvator de spe ait : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* [5]. Pia autem in Deum affectio aut devotio orationi essentialis est; orans enim cum Deo intendit et cupit uniri, ejusque benevolentiam et dilectionem acquirere. Igitur cum humili affectu debet ad Deum accedere. In humanis enim id experimur, quum principis alicujus, vel cujusvis majoris nostri, amicitiam, benevolentiam aut favorem optamus adipisci, tunc ad eos accedere conamur humiles, bene affecti ac devoti.

Pia affectio in oratione necessaria, et quare.

Præparatio ad resistendum tentationibus.

Quartum requisitum in præparatione ad orandum præscribitur in Ecclesiastico : *Ante orationem præpara animam tuam ; et noli esse quasi homo qui tentat Deum* [6]. Lyranus [7] ait quod hæc præparatio animæ consistit in hoc ut orans faciat totum sibi possibile, ut Deo in oratione placeat. Id

[1] Is. I, 16-18. — [2] Jac. V, 16. — [3] *Ibid.* IV, 3. — [4] Hebr. XI, 6. — [5] Matth. XXI, 22. — [6] Eccli. XVIII, 23. — [7] Super text. cit.

est, præter ea quæ dicta sunt, cavere debet a distractione voluntaria, a cogitationibus extraneis, et attendere quantum potest ad ea quæ dicit, si vocaliter orat, vel mentaliter meditatur aut contemplatur : de quibus loquar infra.

Hanc autem præparationem ad orationem, qui bene facere ac fructuose vult, exsequatur ; et ideo ad species orationis accedamus.

CAPITULUM VI.

DE ORATIONE VOCALI.

Definitio.

ORATIO vocalis est *ascensio seu elevatio mentis ad Deum sensibilibus vocibus excitata.*

De vocali oratione sæpe fit mentio in sacro textu : *Voce mea ad Dominum clamavi ; voce mea ad Dominum deprecatus sum* [1]. Salvator noster ea usus est [2]. Apostoli quoque sic orarunt, et sic orare Ecclesiam docuerunt [3]. Propterea omnia divina Officia, Horæ canonicæ, Missa, litaniæ, et omnia sacramenta vocaliter perficiuntur ; et fideles omnes sic orare palam est.

Cur necessaria oratio vocalis.

Triplici autem ex motivo oratio vocaliter fit, quum tamen posset sola mente fieri, quia Deus intuetur cor, et cogitationes hominum absque hominum vocibus cognoscit. Primum ergo motivum cur oratio fit vocaliter, est quia anima Dei Spiritu inflammata prorumpit in corpus cui connexa est ; dicitur enim : *Lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea* [4] ; et : *Ex abundantia cordis os loquitur* [5]. Quisque enim in se experitur quod, in casu magnæ lætitiæ, nequit secretum cordis comprimere, sed in voces cantationesque prorumpit. Secundum motivum orandi vocaliter, est quia homo ex anima et corpore

Plura motiva cur orandum vocaliter.

[1] Ps. CXLI, 2, etc. — [2] Matth. XXVI, 39 ; Marc. XIV, 36, etc. — [3] I Cor. XIV — [4] Ps. XV, 9. — [5] Matth. XII, 34 ; Luc. VI, 45.

constat, ideoque cum utraque parte debet obsequi Deo. Tertium motivum orandi vocaliter, est ut mens orantis facilius et aliquando suavius excitetur ad devotionem et affectum erga Deum, si private orat; si autem publice oret, et præsertim si ut minister Ecclesiæ, vocaliter oret, id facit ut audientes excitet ad devotionem, et ad collaudandum Deum. Et hac de causa, inquit Chrysostomus [1], conveniunt in ecclesia ad orandum Christiani, ut sacerdotum aliorumque ministrorum cantantium verbis, ad Dei cognitionem, recordationem et dilectionem excitentur. Concilium Tridentinum docet in Missæ sacrificio multa recitari elatiori voce, quia exterioribus adminiculis sustolluntur mentes ad divinarum rerum meditationem [2]. Quod patet etiam ex campanarum et organorum sono, quo fideles ad devotionem, pietatem et affectum in Deum, ut experientia docet, excitantur. S. Bonaventura id docuit in *Breviloquio* : « Dominus voluit nos non tantum orare mentaliter, verum etiam vocaliter, ad nostri affectus excitationem per verba, et ad recollectionem cogitationum per sensum verborum [3]. »

Per externa sensibilia excitatur homo ad orationem.

Digna atque salubris humanæque infirmitati idonea est vocalis oratio, et qui eam despiciunt despiciendi sunt, et a Catholicorum, imo et omnium Christianorum cœtu ablegandi, ut Christianarum traditionum ac rituum inimici.

CAPITULUM VII.

AN VOCALIS ORATIO CADAT SUB PRÆCEPTO.

Ratio dubitandi.

DUBITANDI ratio est, quia licet, ut supra dixi, detur præceptum divinum orandi, nusquam tamen hoc præceptum explicite videtur determinatum ad orandum

[1] *De incomprehensibili Dei nat.*, hom. 3. — [2] Sess. 22, *De sacrif. Missæ*, c. 5. — [3] *Breviloq.*, p. 5, cap. 10.

vocaliter, — præscindendo nunc a præcepto Ecclesiæ directo ad clericos circa divina Officia, — quia præceptum Christi de orando impleri potest cum oratione mentali, quæ sicut difficilior, ita et perfectior, ut dicetur infra cum Apostolo. Nihilominus existimo ex traditione Ecclesiæ præceptum hoc orandi vocaliter cuilibet Christiano capaci impositum esse; omnis enim Christi actio nostra instructio est, Christus autem pluries oravit vocaliter, et rogatus ab Apostolis : *Doce nos orare,* respondit : *Quum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum,* [1] etc. Dicere autem proprie vocalis actio est. Non nego quod mentaliter quoque recitari potest *Pater noster ;* tamen non videtur Christum de hoc modo recitandi tunc fuisse locutum, sed de vocali recitatione ; quia apud Matthæum, dicit Salvator : *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici... Sic orabitis : Pater noster, qui es in cœlis,* [2] etc. Et brevem formulam locutione promendam composuit. Loqui autem est vocaliter fari. Dicto ergo et facto Christi, sicut colligitur præceptum orandi, sic et modus, nempe vocalis, non quidem hunc solum præscribens, quia ipse spiritu etiam seu mente sola crebrius oravit, sed docens fideles modum hunc facilem orandi, omnibus, etiam simplicibus, proportionatum.

Præceptum ex traditione Ecclesiæ, Christi exemplo et verbis.

Ex praxi universalis Ecclesiæ, quæ non solum in publicis, sed etiam in privatis Officiis ac spiritualibus exercitiis, vocaliter orare ab initio consuevit, hodieque in omni loco prosequitur, colligitur Domini præceptum esse ut hoc etiam modo oretur. Quod docuit etiam Senonense Concilium [3] et Moguntinum [4]. Sic orabat publicanus a Domino multum laudatus apud Lucam, dicens : *Deus, propitius esto mihi peccatori* [5]. Sic oravit Petrus cum aliis Apostolis in electione duodecimi Apostoli post casum Judæ : *Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris,* [6] etc.

Ex praxi Ecclesiæ.

[1] Luc. XI, 1, 2. — [2] Matth. VI, 7, 9, — [3] Senon. c. 7. — [4] Mogunt. c. 43. — [5] Luc. XVIII, 13. — [6] Act. I, 24.

Hinc est quod parentes ac magistri necnon et parochi invigilant, ut pueri, statim ac ad usum rationis pervenerunt, discant ac sæpe recitent orationes vocales plures, primumque omnium dominicam, et angelicam, necnon et Apostolorum Symbolum, etc. Nec puto Christianum aliquem, imo nec Mahometanum reperiri, qui aliquoties vocaliter non oret Deum, vel laudando vel gratias ei agendo vel bonum aliquod ab eo petendo : quod quidem dictamen a Deo, imo a natura a Deo condita, quum commune sit, provenire existimo.

Parentes, etc. sic docent parvulos orare, et omnes fere homines sic orant.

Tandem quia oratio suam etymologiam ab oris ratione, ut multi volunt, desumit; oratio enim est quasi *oris ratio*. Ideoque omnis homo cujuscumque sectæ ore Deum laudat, eique gratias agit, et bona ab eo petit, et hoc nedum ex traditione, sed lumine naturali facere quisque experitur.

Ex etymologia orationis.

CAPITULUM VIII.

QUÆNAM SINT FORMULÆ ORANDI.

Supponendum semper est, quod ab initio diximus, quod oratio, sive vocalis, sive mentalis (de qua postea), vel est laudis, vel gratiarum actionis, vel petitionis. Quærimus autem hic, an dentur aliquæ formulæ præscriptæ, sive ad laudandum Deum aut Sanctos, sive ad gratias ei agendum, sive ad beneficia petendum. Supponendum secundo, quod, ut sæpe dictum est, oratio quælibet ex his tribus vel est publica, id est facienda a ministro Ecclesiæ, vel privata, id est a qualibet privata persona facienda. Et posita hac distinctione, facilis est solutio.

Triplex oratio, laudis, petitionis et gratiarum actionis.

Oratio, vel publica vel privata.

Dicendum ergo, quod pro oratione publica, a ministris Ecclesiæ facienda, jam statutæ sunt formulæ orandi, tam pro laudibus et gratiarum actionibus, quam pro petitionibus. Patent omnes ex Breviario Romano, Missali et

Pro Ecclesiasticis statutæ formulæ orandi.

Ex Missali ac Breviario ac Rituali habentur.

Rituali; et pro eis regulandis præscriptum est Cæremoniale et Pontificale; pro modulando vero cantu, Antiphonarium et Graduale. His ergo orandi publice formulis respective uti debent ecclesiastici.

Ritus Romanæ Ecclesiæ tenendi.

Quod si in regione aliqua vel religione ritus aliquis varius exsistit, dummodo ab Ecclesia Romana toleretur, parum refert, quia in substantialibus supponitur cum ea convenire. Verum quidem est quod Romana Ecclesia consuetudines aliarum Ecclesiarum quæ fidei et bonis moribus contrariæ non sunt, tolerat [1]; melius tamen esset si omnes Ecclesiæ consuetudinem Romanæ Matris sequerentur, ut docet Innocentius primus [2]. Ritus enim Ecclesiæ Romanæ ab omnibus servandi sunt[3]. At quum Ecclesia vel permittat vel toleret, tolerari possunt.

Formulæ orandi pro privatis variæ.

Dicendum secundo, quod licet pro private orantibus aliquæ formulæ orandi, tam pro laudibus et gratiarum actionibus, quam pro petitionibus, præformatæ sint, multumque idoneæ; tamen quilibet sic private orans potest alias formulas pro libito suo sibi formare, eisque uti, si sanæ doctrinæ consonæ sint.

Formulæ laudandi Deum.

Prima pars patet. Nam pro laudando Deo multæ adsunt formulæ, vel a sanctis Prophetis vel ab Ecclesia conceptæ; multi enim Psalmi, et multa in sacro textu pro hac functione adsunt, ut: *Laudate Dominum de cœlis* [4]; *Lauda, anima mea, Dominum* [5]; *Confitemini Domino quoniam bonus* [6], et alii multi similes Psalmi. Item et cantica: *Benedicite, omnia opera Domini, Domino* [7]; *Benedictus Dominus Deus Israel,* [8] etc., pro commodo et devotione laudantis apta. Sic etiam pro actione gratiarum sunt alii Psalmi et cantica, nedum præfata, sed alia, quibus laudatur Deus, et gratiæ ei aguntur; et unusquisque ex Psalmis potest pro suo libito Psalmos hujus tenoris seligere; sed *Te Deum laudamus* aptius omnibus est. Tandem pro ora-

Formulæ agendi gratias.

[1] Can. *Quemadmodum* 9. dist. 12. — [2] Can. *Quis nesciat* 11. dist. 11. — [3] Gelas. I. *Epist.* IX, 9. — [4] Ps. CXLVIII. — [5] Ps. CXLV. — [6] Ps. CV, CVI, CXVII. — [7] Dan. III, 57-88. — [8] Luc. I, 68-79.

tione petitionis nobilissimæ et efficaces adsunt in sacro textu; et omnium facilior et nobilior, substantialia beneficia petenda continens, est Oratio dominica. Adsunt Psalmi plures : *Miserere mei, Deus, secundum magnam* [1]..., et alii eodem verbo incipientes [2]. Item : *De profundis* [3] ; *Deus misereatur nostri,* [4] etc. Item pro triplici hac orationum specie multæ formulæ ab Ecclesia sunt conceptæ, graves et faciles et breves, ut sunt : *Te Deum laudamus ; Deus, cujus misericordiæ non est numerus,* etc. Plures quibus Deus simul laudatur, et pro beneficiis semper, ut videre est, etiam rogatur, eique gratiæ aguntur, ut est hymnus : *Gloria in excelsis Deo.*

Orationes petitionis.

Pro triplici orationum specie, multæ formulæ.

Probatur modo secunda pars, quod nempe orans et præfatis et aliis orandi formulis uti potest pro suo libito, et prout Deus ei inspiraverit, quum præsertim omnes private orantes, vulgari et materno idiomate orare soleant; et sic aliis loquendi phrasibus ac modulis utantur, tam in laudando quam in gratias agendo et petendo. Et quo simplicius, eo melius faciunt; simplicitatem enim cordis Deus respicit.

Privatorum variæ formulæ.

CAPITULUM IX.

DE ORATIONIS DOMINICÆ PRÆSTANTIA.

Oratio hæc præstantissima censenda est; tum quia a sapientissimo magistro Dei Filio composita, nobisque commendata, quum dicit : *Sic vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis* [5], etc.; tum etiam quia per eam, et Deum confitemur nostrum Patrem, eum laudamus, et potissima nobis necessaria concise et compendiose ab eo postulamus. Quæ omnia brevissime explicabo :

Cur Oratio dominica præstantissima.

[1] Ps. L. — [2] Ps. LV; LVI. — [3] Ps. CXXIX. — [4] Ps. LXVI. — [5] Matth. VI, 9.

Cur Deus Pater noster.

Quum dicimus : *Pater noster,* fatemur illum nostrum creatorem et spiritualem parentem, qui per gratiam nos adoptivos filios in Spiritu facit ; et eodem tempore ejus misericordiæ viscera, quibus nos et corporaliter et spiritualiter genuit, ad nos exaudiendum commovere conamur.

Cur, qui es in cœlis.

Dicimus : *Qui es in cœlis,* et confitemur, quod, licet per immensitatem sit in toto mundo, ut per Jeremiam dicit : *Cœlum et terram ego impleo* [1] ; tamen, ut objectum beatificum in cœlo empireo, quod super omnes est cœlos, Angelis et aliis Beatis, quos glorificat, evidenter apparet et videtur ; nam legimus in Propheta : *Cœlum mihi sedes est* [2], et in Psalmo : *Dominus in cœlo paravit sedem suam* [3].

Cur, sanctificetur.

Dicimus : *Sanctificetur nomen tuum.* Per hoc petimus ut Deus dona sua spiritualia, et merita ac perseverantiam in eis nobis concedat, per quæ sanctum suum nomen, nempe potentia, sapientia, et bonitas, ac misericordia, etc., sancta et gloriosa sint confitenda, ac maxima declaranda.

Cur, adveniat regnum tuum.

Dicimus : *Adveniat regnum tuum.* Per quod duo petimus : et quod Deus in nobis regnet per gratiam, quia Salvator dicit : *Regnum Dei intra vos est* [4] ; et quod concedat nobis beatitudinem, quæ regnum Dei dicitur, quia justis in die Judicii Salvator dicet : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* [5]. Hæc dico regna, unum in præsenti sæculo, alterum in futuro petimus, dicentes : *Adveniat regnum tuum.*

Cur, fiat voluntas tua.

Dicimus : *Fiat voluntas tua.* Per quod petimus, quod in omni nostra actione, non nostra inordinata voluntas, sed voluntas Dei impleatur ; id est, ut faciamus quæ Deus præcipit, non quæ nos vellemus ex nostra fragilitate et prava concupiscentia.

Cur, sicut in cœlo et in terra.

Dicimus : *Sicut in cœlo et in terra.* Pluribus modis exponitur : primo pro cœlo intelligitur spiritus, et pro terra caro, sensus scilicet ; et sic petimus ut Deus faciat nos exsequi suam voluntatem, tam in actibus pure spiri-

[1] Jer. XXIII, 24. — [2] Act. VII, 49, ex Is. LXVI, 1. — [3] Ps. CII, 19. — [4] Luc. XVII, 21. — [5] Matth. XXV, 34.

tualibus, quam in sensitivis et portionis inferioris. Ita Tertullianus et S. Augustinus. Vel per cœlum intelliguntur justi, et per terram peccatores; et sic petimus ut Deus faciat quod omnes, tam justi quam peccatores, exsequantur Dei voluntatem. Ita Cyprianus. Tertio, per cœlum seu in cœlo intelliguntur Angeli ac Beati, et per terram seu in terra, omnes viatores; et sic oramus quod Deus concedat nobis gratiam, ut, sicut Beati ne minimum quidem deviant a voluntate Dei, sed in omnibus sunt ei conformes, sic faciamus et nos. Ita Lyranus. Quæ quidem petitionis explicationes omnes ingeniosæ sunt, sed magis placet tertia.

Multiplex sensus hujus petitionis.

Dicimus : *Panem nostrum supersubstantialem,* alii legunt cum Matthæo et Ecclesia tenet, *quotidianum, da nobis hodie*. Plura de hac petitione dicenda sunt. Primo, quod nomine *panis* aliqui intelligunt totum id quod necessarium est ad victum et vestitum, et omne aliud pro sustentatione vitæ; quæ quidem quotidie necessaria nobis sunt, et ex Dei misericordia obtinemus. Alii dicunt nos petere panem supersubstantialem, qui est supra corporalem, id est omnia media supernaturalia perducentia ad vitam æternam, inter quæ sunt sacramenta. Hæc enim bona et media supernaturalia sunt cibus quo spiritualiter anima nutritur, et perducitur ad æternam vitam. Alii, inter quos S. Ambrosius, per hunc panem supersubstantialem intelligunt sacramentum Eucharistiæ, in quo continetur Christus qui, ut ipsemet docuit, est panis vitæ [1]. Qui ergo *Pater noster,* recitat intendat hunc triplicem panem a Deo petere.

Cur panem nostrum quotidianum petimus.

Multiplex sensus de pane quotidiano.

Dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et S. Lucas dicit : *Dimitte nobis peccata nostra* [2], quod idem significat. Per hoc magna petimus, scilicet quod nostras culpas mortales et veniales condonet, inducet nos ad earum dolorem atque confessionem, dum acciderit ex fragilitate eas committere.

Cur, dimitte nobis debita nostra.

[1] Joann. VI, 35. — [2] Luc. XI, 4.

Et præterea petimus ut dimittat nobis pœnas temporales, quæ remanent solvendæ post remissionem culparum mortalium, pro quarum pœnarum remissione indulgentias lucrari studemus. Petimus ergo a Deo ut nobis inspiret, et nos adjuvet ad facienda ea opera quæ pro earum etiam temporalium pœnarum remissione sunt necessaria.

Notandum quid facere debet hæc petens.

Sed orans advertere debet, quod petit sibi remitti offensas Deo illatas, sicut ipse remittit offensas sibi illatas ab hominibus. Debet ergo et ipse dimittere et condonare illas offensoribus; alioquin contra se orat, quod scilicet, si et ipse non dimittit, nec Deus dimittat sibi. Et ideo Salvator ait apud Matthæum : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum* [1]. Offensæ ergo nobis factæ remittendæ sunt, si cupimus quod Deus dimittat eas quas Majestati suæ intulimus.

Debet dimittere aliis.

Cur dicimus : ne nos inducas in tentationem.

Dicimus : *Et ne nos inducas in tentationem.* Per quod maxime nostræ miseriæ necessariam rem petimus; quum enim mundi, carnis et dæmonis tentationibus continuo simus obnoxii, petimus a Deo ne permittat nos induci in tentationem, id est a tentatione vinci et juxta eam peccare, consentientes tentationi decepti, aut cedamus illi; quod accidit quum Dei adjutorio deserti sumus; ideo continuo vel frequenter sic orandum est, ex S. Augustino [2]; et : « Qui ad orationem non vadit, ad tentationem vadit, » ait S. Petrus Chrysologus [3].

Cur, sed libera nos a malo.

Dicimus : *Sed libera nos a malo.* Per quod petimus liberari ab omni malo, tam animæ quam corporis. Sed primum principalius petimus, quod saluti animæ et æternæ vitæ assecutioni nocet, et reddit nos gehennæ filios. Unde S. Cyprianus ait : « Quando dicimus, *libera nos a malo,* nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari,

[1] Matth. v, 23, 24. — [2] Epist. 121, al. 130, *ad Probam.* — [3] Serm. 43, *de orat., jejun. et eleem.*

quando semel protectionem Dei adversus malum petamus; qua impetrata, contra omnia quæ diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti [1]. »

Ecce quanta est hujus orationis præstantia, qua Deum laudamus, et omnia nobis salutaria ab eo postulamus.

CAPITULUM X.

QUINAM SINT ORANDI.

Non erit nostris tironibus inutilis rei istius notitia, ut sciant ad quos et quomodo orationes fidelium dirigendæ sint.

Oratio quid significet.

Adverto ergo (et recolo pluries dicta, quia utilia et necessaria sunt), quod quamvis verbum hoc, *oro,* pro principali significet idem ac *peto* seu *rogo* ac *postulo,* tamen significat etiam loqui, sive vocaliter, sive mentaliter tantum, laudando, vel gratias agendo, aut petendo. De triplici hac oratione nunc quærimus cui dirigenda est, num Deo soli, num Angelis sanctis, num beatæ Virgini et aliis Beatis, an etiam animabus purgantibus in purgatorio existentibus.

Oratio cui dirigenda.

Modus orandi inter homines.

Adverto secundo, quod sicut in humana politia et gubernio duplicis generis sunt personæ quas oramus : quædam principales, a quibus emanant gratiæ tanquam a fonte et domino, ut sunt principes, sive reges, sive alii domini provinciarum et locorum; quædam vero personæ sunt mediatores, quas oramus ut pro nobis intercedant aliquid a principibus; at interdum et sæpe ipsos principes immediate rogamus : sic in supernaturali politia ac regimine discurrendum et faciendum est; adest enim summus et supremus, isque solus monarcha, Deus optimus maxi-

Interdum ministros, interdum principes oramus.

[1] S. Cypr. *Lib. de Orat. dom.*, 27.

mus, omnia regens omniaque creata disponens; adsunt mediatores, inter quos primarius Christus Dominus, ut homo, beata Virgo, Angeli, et animæ Sanctorum. Videbimus ergo an et quomodo omnes præfati orandi sint, tam petendo quam laudando et gratias agendo.

Deus orandus est.

Dico primo : Deus, id est sanctissima Trinitas, primo et principaliter orandus est, tanquam sanctissimus et omnium supremus Dominus, omniumque donorum temporalium ac spiritualium et æternæ vitæ largitor, et præmiorum ac suppliciorum distributor.

Lumen naturæ hoc dictat.

Hæc assertio facillime probatur. Primo, lumine naturæ notum est Deum primam omnis creaturæ causam et Dominum esse, ut Paulus ait : *Invisibilia ipsius (Dei) a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas*[1]. Igitur lumen naturæ dictat ad eum recurrendum tanquam creatorem omnium et conservatorem. Sic faciebant philosophi ethnici, licet nescirent quis sit iste Deus. Secundo, ex lumine fidei. Revelatum siquidem est ad Deum recurrendum, laudando, gratias agendo et beneficia petendo. Legi potest tota sacra Scriptura, Pentateuchus, liber Josue, liber Judicum, libri Regum, Psalterium, et ceteri omnes, in quibus ad Deum directæ omnes orationes leguntur, tam laudis quam petitionis et gratiarum actionis. In novo Testamento idem comprobatur ex Evangelio, ex Actibus Apostolorum, ex Epistolis Pauli, et ex aliis canonicis, et ex Apocalypsi. Tandem, ex Ecclesiæ praxi, quæ licet Sanctos venerandos et invocandos doceat, eosque invocet atque oret, ut mox patebit, dum tamen Orationes seu Collectas ad Deum dirigit, ut videre est in Breviario ac Missali, ad Patrem dirigit; nam Orationes concludit sic : Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus. Et dum aliquando in litaniis et versiculis Sanctos invocat, precatur ut Deum pro nobis orent.

Ex lumine fidei.

Ex praxi Ecclesiæ.

[1] Rom. 1, 20.

Ratio autem hujusmodi praxis perpetuo, et a mundi initio cœptæ, est hæc quam tradit S. Jacobus : Quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* [1]. Et Actibus dicitur : Deus *non longe est ab unoquoque nostrum ; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* [2]. Igitur quum Deus sit primum principium, prima causa productiva et conservativa omnium creaturarum spiritualium et corporalium, omniumque habituum spiritualium supernaturalium, ac omnium illuminationum et inspirationum seu gratiarum actualium conducentium ad salutem, sitque remissor peccatorum, remunerator præmiorum, ac largitor gloriæ ; item salutis, et vitæ temporalis, bonorumque etiam spiritualium dator : ad ipsum pro iis obtinendis debemus oratione recurrere, et pro acceptis gratias agere, eumque semper laudare.

Cur sic oratur.

Dico secundo : Christus Dominus orari potest, et orandus est simpliciter, et ut Deus-homo, et ut homo-Deus. Primo modo tanquam causa principalis ; secundo modo ut advocatus, intercessor ac mediator.

Christus Dominus orandus : et quomodo dupliciter orari potest.

Prima pars probatur : Ecclesia, et fideles privati, Christum orat, petendo ab eo quæ petit alias a Deo ; ab hoc enim petit remissionem peccatorum, quæ per gratiam fit. Hanc petit a Christo in hymno *Gloria in excelsis Deo*, inquiens : « Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram : qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. » In versiculis Primæ dicimus : « Christe, fili Dei vivi, miserere nobis : Exsurge, Christe, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. » In benedictione secundi nocturni dicimus : « Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ. » Ex Missali multæ Collectæ ad Christum diriguntur, verbi gratia in Dominica prima Adventus : « Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre... » Alia similis est in quarta Dominica ; in festo Corporis Christi : « Deus, qui nobis sub sacramento mi-

Christus oratur ut Deus.

[1] Jac. I, 17. — [2] Act. XVII, 27, 28.

rabili Passionis tuæ memoriam reliquisti...; » in Cathedra S. Petri : « Deus, qui beato Petro Apostolo tuo ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti...; » et similes multæ aliæ orationes, quibus ad Christum ut Deum recurrimus. Et in litaniis dicimus : « Christe, audi nos; Christe, exaudi nos. »

Oratur etiam ut homo-Deus.

Probatur secunda pars, quod interdum oratur Christus ut homo-Deus : quum scilicet eum invocamus per ea quæ ut homo fecit aut passus est, verbi gratia in litaniis : « Per Nativitatem tuam; per Baptismum et sanctum jejunium tuum; per Crucem et Passionem tuam; per mortem et sepulturam tuam; per sanctam Resurrectionem tuam; et per admirabilem Ascensionem tuam. » His ergo loquendi formulis precantes, Christum hominem-Deum oramus. Et in hymno *Te Deum laudamus* dicimus : « Judex crederis esse venturus; te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. »

Non oratur Christus ut intercedat.

Et quamvis Christus, ut homo, sit advocatus noster apud Patrem, id est apud SS. Trinitatem, et consequenter apud seipsum, ut Deum, ut ait Joannes : *Filioli..., si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*[1], etc.; tamen non solet Ecclesia orare Christum ut intercedat et advocet pro nobis, sed oramus eum tanquam Dominum, Principem ac Judicem, qui immediate potest conferre beneficia quæ petimus. Quod autem, ex summa pietate, Christus, qui mediator fuit redimendo per humilem et pauperem ac meritis plenam vitam, et per sanguinis effusionem, cruciatus, et ignominiosam mortem, nunc quoque pro nobis mediator sit, offerendo Patri sua merita ac mortem, de fide est, tum ex modo dictis, tum etiam ex Epistola ad Romanos : *Christus..., qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*[2]; et ad Hebræos : *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*[3]. Et Concilium Tridentinum docet Sacrificium Missæ, quod a sacer-

Christus nunc etiam mediator est.

[1] I Joann. II, 1, 2. — [2] Rom. VIII, 34. — [3] Hebr. VII, 25.

dotibus nunc fit, a Christo offerri Patri, sic : « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit [1]. » Etsi ergo posset quis Christum invocare et orare, ut pro se apud Patrem intercedat, tamen nec fieri congruum est; quia præcisio facienda esset, considerando illum ut hominem qui deberet se orare ut Deum, quod absonum esset. Ideo absolute, ut Dominus, orandus est.

Oramus Deum ut propter Christum nos exaudiat.

Verum tamen est, quod possumus orare Deum, id est sanctissimam Trinitatem ; — hæc enim semper intelligitur nomine Dei ; — possumus, inquam, Deum orare, ut per Christum, id est propter ejus merita, nos exaudiat ; et ideo Ecclesia omnes Orationes concludit sic : *Per Christum Dominum nostrum*. Nam ipse fuit causa meritoria omnium donorum ac mediorum quæ nobis sunt necessaria ad bene ac meritorie operandum, et ad vitam æternam [2]. Et ex Concilio Ephesino, Christus in cœlo offert Patri fideles ut sacrificium [3].

Personæ Trinitatis singillatim orari possunt.

Dico tertio : Oratio dirigi potest nedum ad sanctissimam Trinitatem uniter, ut fit quando dirigitur ad Deum simpliciter, non explicando Personas, sed potest etiam dirigi ad singulas Personas, distincte eas apprehendendo, vel etiam nominando, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum Sanctum.

Quando oratur Trinitas unitive.

Probatur et declaratur prima pars de Trinitate ; fides enim docet quod una est natura divina, una sapientia, unus intellectus, una voluntas, una potentia, una sanctitas, unum supremum dominium ; et sic de aliis perfectionibus in omnibus Personis, ratione unitatis naturæ divinæ, quæ in concreto Deus est. Et quum opera Trinitatis ad extra sint indivisa, quia ab una et eadem potentia procedunt, creaturæ orantes ad Trinitatem dirigere debent orationem, si aliquid petunt, eique gratias agere debent, si accipiunt, eam denique laudare. Hoc autem sufficienter

[1] Conc. Trid. Sess. 22, c. 2. — [2] *Ibid.* Sess. 6, c. 7 et 16. — [3] Ep. Cyrilli ad Rog.

adimplent quum Deum concipiunt eumque orant; quia supponitur quod in trinitate Personarum credunt unum esse Deum, creatorem cœli et terræ, etc., et omnium bonorum datorem, conservatorem, justificatorem ac remuneratorem, et credunt Trinitatis Personas esse unum Deum, cum Concilio Carthaginensi secundo [1] et Pelagio Papa I [2]. Unde Ecclesia, licet aliquando oret laudando explicite Trinitatem, gratias ei agendo, vel ab ea beneficia petendo, ut in Missa et Officio Trinitatis : « Benedicta sit sancta Trinitas..., Gloria tibi, Trinitas, etc. » pluries; et in litaniis : « Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis, etc.; » tamen in aliis Dominicis et Festis explicite in Orationibus eam non nominat, sed Deum, implicite intelligens tres Personas in uno Deo. Omnes siquidem Orationes, sive petitionis, sive laudis, sive gratiarum actionis, sic incipiunt : *Deus, qui ; Omnipotens sempiterne Deus,* etc.

Personæ singillatim orari possunt, et sæpe orantur.

Probatur secunda pars de Personis singillatim. Primo, in litaniis sic invocantur : « Pater de cœlis Deus; Fili, Redemptor mundi, Deus; Spiritus Sancte, Deus; » deinde : « Sancta Trinitas, unus Deus. » Secundo, de tribus Personis singillatim sunt tres articuli fidei distincti. Tertio, in hymno *Te Deum* distincte singulæ Personæ laudantur. Canticum *Benedicite omnia opera Domino* sic concluditur : « Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu; » qui versus in Officio Trinitatis pluries replicatur. Ad Deum sub nomine Patris Oratio dominica dirigitur. Ad Deum sub nomine Filii dirigitur, in hymno *Gloria in excelsis Deo*, petitio : « Domine Fili unigenite, Jesu Christe. » In Missa defunctorum Offertorium dirigitur ad eumdem : « Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas, etc. » Et sic aliæ orationes, ut in secunda conclusione. Ad Spiritum Sanctum dirigitur hymnus *Veni creator Spiritus*, qui totus ad illum terminatur; ad illum pariter Sequentia Pentecostes : « *Veni, Sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium,* etc. » Insuper multæ piorum orationes

[1] Conc. Carth. II. can. 1. — [2] Pelag. I., *Epist.* 1; al. 16.

sunt compositæ, dicendæ ante vel post Missam, una directa ad Patrem, altera ad Filium, tertia ad Spiritum Sanctum ; possunt ergo distincte quoque laudari, invocari, et gratiarum actionibus sanctificari.

Ratio cur sic orari possint distincte.

Ratio autem cur sic, quum omnes sint unus Deus, una sanctitas, una causa, idem producens ad extra, est quia cuilibet Personæ attribuitur specialiter aliqua ex divinis perfectionibus ex modo essendi earum, licet sit omnibus communis ; et sub illa invocatur, oratur et laudatur : Patri enim, qui est a se, tribuitur potentia ; Filio, qui producitur per actum intellectus, cujus proprium est scire et sapere, tribuitur sapientia ; Spiritui Sancto, qui producitur per voluntatem, cui competit amare et donare, tribuitur amor et donum : et sic quasi cum distinctis privilegiis, licet omnibus sint communia, distincte invocantur.

Attributio quarumdam perfectionum, licet communium tribus.

CAPITULUM XI.

AN ANGELI ET SANCTI SINT ORANDI.

Sensus quæsiti.

Suppono, ut in præcedenti, quod sermo hic est de oratione terminata ad Angelos et Sanctos cum Deo in cœlo regnantes, qui possunt pro nobis intercedere, ut fides docet.

Diverso modo orantur Sancti ac Deus.

Suppono secundo, quod diverso modo orandi sunt Sancti ac Deus, loquendo de oratione petitionis, quia Deus oratur ut Dominus, potens ex se gratias et beneficia conferre ; Sancti autem et Angeli orantur, ut Deum pro nobis orent, et sicut mediatores ad obtinendum a Deo id quod petimus. At non sic est de oratione laudis et gratiarum actionis ; quia istæ orationes congrue possunt dirigi et terminari ad Angelos et Sanctos, quibus gratiæ agi possunt de beneficiis per eos a Deo obtentis ; et eorum virtutes, martyria, pœnitentiæ, etc. laudantur, ut ex concionibus et sermonibus doctorum constat.

Sancti Angeli orandi, ut intercedant pro nobis.

Dico primo : Angeli sancti orari possunt, ut pro nobis intercedant. Hæc assertio clare patet primo ex litaniis, in quibus invocamus : S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis; et rogamus non quidem ut præstent nobis beneficia quæ postulamus, sed quod orent pro nobis Deum, ut ea concedat; secundo, ex pia fidelium praxi, qui Angelis suis custodibus se quotidie solent commendare, dicentes : « Angele Dei, qui custos es mei... » Ipsi enim offerunt orationes nostras Deo, ut habetur in libro Tobiæ; dicit enim Angelus : *Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos..., ego obtuli orationem tuam Domino*[1]. Zachariæ primo, Angelus precabatur pro populo Judaico : *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es*[2] ? Igitur orari possunt Angeli, ut pro nobis orent Dominum.

Angeli offerunt orationes nostras Deo.

Sancti orari possunt.

Dico secundo : Sancti omnes orari possunt, ut pro nobis intercedant a Deo quod petimus. Patet hoc ex Ecclesiæ praxi; in litaniis enim omnes invocantur : omnium primo beata semper Virgo, deinde Patriarchæ et Prophetæ, hinc Apostoli nominatim, postea Martyres, Pontifices, Doctores, Confessores, et Virgines, etc. Et in festo omnium Sanctorum, in antiphona ad *Magnificat*, invocantur primo Angeli, deinde omnis Ordinis spiritus, postea omnis ordinis Sancti; et orantur ut pro nobis intercedant.

Sancti orant pro nobis.

Quod omnes ipsi Sancti orent pro nobis, ex sacro textu et ex Conciliis habemus. Nam Onias, summus sacerdos, jam pridem defunctus, apparuit Judæ Machabæo, revelans se orare pro populo; et ostendit eidem Jeremiam pariter mortuum orantem pro populo, inquiens : *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei*[3]. Et nihilominus isti adhuc Beati non erant.

Cur Hebræi non orabant sanctos Patres et prophetas.

Ratio autem cur Hebræi sanctos Patres non orabant, nec Deus jusserit eis aliquando aut permiserit ut eos ora-

[1] Tob. XII, 12. — [2] Zach. I, 12. — [3] II Mach. XV, 12-14.

rent, fuit quia adhuc Beati non erant, et ideo nec duliæ adoratione capaces. Postquam vero cum Christo ad cœlum ascenderunt, eos Ecclesia adorat et orat.

Antiquum dogma de orandis Sanctis.

Neque dogma hoc est novum in Ecclesia, et a Tridentino adinventum, quod Sancti orandi sunt, et quod ipsi pro nobis orent, sicut blaterant hæretici; quia S. Petrus promittit se post mortem oraturum pro fidelibus[1]. Et in Apocalypsi : *Viginti quatuor seniores ceciderunt ante Thronum coram Agno, habentes... phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; et cantabant canticum novum*[2], etc. Et martyrum animæ orabant : *Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum*[3], etc.

Validum argumentum.

De quo argumento scripsit primus omnium Origenes[4]. S. Hieronymus inquit : « Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti ; quanto magis post coronas, victorias et triumphos[5] ! » Unus Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam ; et Stephanus, imitator Domini sui et primus martyr Christi, pro persecutoribus veniam deprecatur[6]. Et postquam cum Christo esse cœperunt, minus valebunt? Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas[7]. Et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est pro iis qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, et mutire poterit?

S. Augustinus, in Psalmum LXXXIII, ait : « Dominus noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis ; omnes martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi quum transierit gemitus noster. » Adde quod frustra in Ecclesia per totum mundum Christianum eligerentur patroni et protectores regnorum, provinciarum omniumque civitatum, quibus fideles se commendant, nisi possent eos ad sui patrocinium invocare, et illi apud Deum intercedere.

1 I Petr. I, 15. — 2 Apoc. V, 8, 9. — 3 *Ibid.* VI, 10. — 4 *In Cant.*, lib. 3. — 5 Hieron. *Lib. contra Vigilantium.* — 6 Act. VII, 59. — 7 *Ibid.* XXVII, 24.

De animabus purgatorii quid dicendum.

De animabus in purgatorio exsistentibus, an orationes ad eas dirigi possint, ipsæque pro nobis orare queant, dubium est. At existimo non posse, nec eas pro nobis orare, nec consequenter nos ad eas pro intercessione recurrere [1]. Ratio eadem adduci potest quæ de Patribus olim in limbo exsistentibus allata est; et licet ipsorum aliqui, ut Onias et Jeremias, Deo volente, orarent pro populo Hebraico, ut supra diximus, at ipsi non orabantur; quia scilicet Beati adhuc non erant, esto non essent in pœnis sensus, sed in sola, licet temporali, pœna damni. Quanto minus orari possunt animæ purgantes, quæ in pœnis et damni et sensus, esto temporalibus, sunt? Imo, et ipsæ indigentes intercessione nostra apud Deum, clamant : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei* [2]. Et pro eis oramus, et suffragiis Sacrificiorum, eleemosynarum, jejuniorum aliarumque mortificationum actibus eas adjuvare conamur. Adde quod, quum Beatæ non sint, orationes nostras non viderent, nec scirent; hic enim favor Beatis Deum videntibus eoque fruentibus conceditur.

Objecta hæreticorum diluta.

Nec deterreat tironem quod dicunt hæretici, non posse nos orare Sanctos, nec eos posse pro nobis Deum orare, quia præjudicaretur merito Christi mediatoris omnium. Siquidem in maximam cedit Christi gloriam, quod fideles a se redempti, et suo merito etiam glorificati, et Deo cari,

1 Tacendum non videtur, in hac novissima editione, sententiam contrariam, ab omnibus fere theologiæ dogmaticæ professoribus, haud immerito nunc propugnari.

« Prævaluit, inquit Jungmann, ut valde probabilis, opposita sententia, cui suffragantur maxime Bellarminus (*De Purgatorio*, l. II, c. 15), et Suarezius (*Disput. 47*, sect. 2, n° 9), videlicet animas Purgatorii, tum pro seipsis, tum pro viventibus, posse orare ac beneficia a Deo impetrare. »

Sic concludit Suarezius : « D. Thomæ opinio contemnenda non est, licet alia satis pia sit et verisimilis. Præsertim quia D. Thomas, nec constanter, nec absolute oppositum docet, sed comparative ait : Magis esse in statu, in quo pro eis oretur, quam orandi. Unde, practice, non dubito quin honeste possint a nobis orari animæ illæ, et quod possimus etiam fructum aliquem talium orationum, media illarum intercessione, sperare. »

2 Job XIX, 21.

et pro quibus illud quoque meritum obtinuit ut possent pro aliis intercedere, id exsequantur, et Deus pro sua benignitate ipsos exaudiat.

Nec secundo deterreat quod Sancti, a nobis distantes, nequeant nos audire aut videre. Etenim duplici modo potest Deus facere ut audiant aut videant, vel revelando eis orationes nostras, earum species eis infundendo, vel in sua divina essentia illas eminenter continente ostendendo. Ita ex Magistro Sententiarum docet Alexander de Hales : « Orationes nostræ tribus modis innotescunt Sanctis, scilicet revelatione, et denuntiatione angelica, et inspectione et intuitione in speculo Trinitatis [1]. » Idem docet S. Thomas [2], et ante eos docuerant S. Gregorius Magnus [3], et Beda in Lucæ capitulo decimo sexto, ubi de Lazaro et Abraham ac Epulone. Alii omnes utuntur exemplo Prophetarum, qui ex revelatione vident absentia.

CAPITULUM XII.

DE IIS QUI POSSUNT ORARE.

Omnes ratione utentes orare possunt

Dico quod omnis rationalis creatura potest orare, si habet usum rationis.

Probatur ex lumine naturæ.

Probatur primo : Lumine naturæ notum est, quod omnes utriusque sexus homines, sive fideles sive infideles, necessitatibus aliquibus, sive corporalibus sive spiritualibus, premi se cognoverunt et cognoscunt ; et ad numen aliquod pro deo habitum, recurrisse ac recurrere scimus, licet in electione numinis seu dei erraverint infideles. Item, scimus eosdem eidem numini gratias egisse, [ipsum] sacrificiis honorasse, laudasse, et beneficia ab eo petiisse. Igitur certum est omnes ratione utentes orare posse.

[1] P. 4, q. 92, m. 1, art. 4. — [2] 4 Sent., dist. 45, q. 3, art. 1. — [3] *Moral.*, lib. XII, cap. 21.

Ex praxi fidelium.

Probatur secundo ex praxi fidelium, tam veteris quam novi Testamenti, qui orationi vacarunt et vacant. Tertio,

Ex Christi præcepto.

ex Christi præcepto : *Oportet semper orare, et non deficere* [1]. Neminem excludit. Quarto : omnes viatores indi-

Ex necessitatibus.

gent aliquibus bonis, imo omnium etiam quæ possident conservatione, ut vitæ salutis tam corporalis quam spiritualis, et auxiliorum ad bene operandum. Et S. Joannes Chrysostomus ait : « Omnes Dei mendici sumus ; ac misericordiæ illius fores assidue pulsare nos convenit, ut gratiam obtineamus in tempore opportuno. » Igitur nemo excluditur ab exercitio orandi.

Sancti orare possunt tam in vita quam post mortem.

Dico secundo : Sancti, tam in vita quam post mortem, orare possunt.

Prima pars evidens est; imo isti plus omnibus orare consueverunt. Patet de Sanctis veteris Testamenti, Abraham, Isaac, Jacob, Moyse, David, Prophetis ac Joanne Baptista. De Sanctis novi Testamenti patet ex toto Actorum Apostolorum libro, in quo frequentissimæ orationes Apostolorum leguntur. Comprobatur ex vitis sanctorum monachorum aliorumque confessorum ac mulierum, quæ vitæ sanctitate floruerunt; omnes enim nedum vocali orationi, sed mentali meditativæ, et alii etiam contemplativæ sedulam navarunt operam et navant. Quod Sancti orent post mortem in cœlo, jam in præcedenti capitulo ostensum est.

Angeli orant.

Dico tertio : Angeli in cœlo possunt orare pro nobis, et orant.

Ex Sacr. Script.

Probatur ex Tobiæ libro, alias allato loco. Angelus Raphael ait : *Manifestabo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos..., ego obtuli orationem tuam Domino* [2]. Igitur orant. Item, Zachariæ primo habetur : *Angelus Domini dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est. Et respondit Domi-*

[1] Luc. XVIII, 1.— [2] Tob. XII, 11.

nus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria [1]. Ex Apocalypsi habetur : *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei ; et datæ sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus venit, et stetit ante altare ; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo* [2]. Idem docuerunt omnes Patres græci ac latini, quod videlicet Angeli pro nobis orant Deum : Origenes [3], Chrysostomus [4], Theodoretus [5], Ambrosius [6]. Et Augustinus ait : « Angelos videtur postulare, ut pro eo deprecentur ; aut certe Sanctos, ut pro pœnitente orent [7]. » Et in libro meditationum [8] deprecatur Angelos, Michael, Gabriel, Raphael et omnes Choros Angelorum, ut pro se orent. Idem omnes Doctores docuerunt. Tandem ex Ecclesiæ praxi, quæ in litaniis post beatam Virginem invocat sanctos Angelos, ut pro nobis orent : et quilibet probus, imo et improbus Christianus, quotidie suo Angelo custodi se commendat, ut Deum pro propriis indigentiis sublevandis oret.

Ex SS. Patribus.

Ex Ecclesiæ praxi.

Dico tandem, quod Christus ut homo pro nobis orat ; et licet aliqua de hoc argumento supra diximus de iis qui orandi sunt, alia plura dicemus nunc, quum loquemur de iis qui orare possunt, et orant.

Christus pro nobis orat.

Probetur ergo nostra thesis : Salvator ipse, qui toto vitæ tempore pro nobis oravit, discessurus ex hoc mundo ad cœlum, dicit : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis* [9]. Et Paulus ad Romanos ait : *Christus Jesus..., qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis* [10]. Et in Epistola ad Hebræos dicit : *(Christus Pontifex) semper vivens ad interpellandum pro nobis* [11]. Et in Epistola prima Joannis habetur : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum ; et ipse*

Ex Scriptura probatur.

1 Zach. I, 12, 13. — 2 Apoc. VIII, 24. — 3 *In Lucam*, hom. 23. — 4 Hom. 3 in Epist. ad Hebræos. — 5 In cap. I Zach. — 6 *Lib. de Viduis.* — 7 *Adnot. in Job* XIX, Miseremini. — 8 *Lib. meditat.*, cap. 4. — 9 Joann. XIV, 16. — 10 Rom. VIII, 34. — 11 Hebr. VII, 25.

Patres etiam hoc docent.

est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi[1]. Theodoretus ait : « Quas a nobis accepit primitias Patri ostendens, et eas ab omni reprehensione aversas Patri demonstrans, per illas nobis salutem petit. Et hoc quidem quantum ad humanitatem poscit; ut Deus enim non petit, sed suppeditat[2]. » S. Hieronymus in eumdem locum ad Romanos inquit : « Interpellat pro nobis, ut cum ipso simus, ubi ipse est. Dicunt Ariani, quod qui interpellatur interpellante sit major. Quibus respondendum est, Deum oblivionem non pati, ut pro ipsis commoneatur semper quos ipse elegit; sed in hoc interpellare eum dicitur, dum semper Patri hominem quem suscepit quasi nostrum pignus ostendit et offert, ut verus pontifex et æternus[3]. »

A pari, quia orabat pro nobis quum esset viator.

Confirmari potest a pari : Christus dum esset viator, et erat Deus, et erat beatus quoad animam ; et tamen continue orabat pro nobis. Ergo idem facere nunc regnantem, ut hominem, non repugnat.

CAPITULUM XIII.

QUID ORANDUM SIT, ET QUOMODO.

Notandum est, quod licet sit in libera potestate hominis poscere a Deo quod sibi placet, non tamen semper ordinate et convenienter petit; et ideo inquit in sua Epistola Jacobus : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis*[4]. Videndum ergo quæ possunt licite et bene peti.

Multi conqueruntur quod non obtinent ea quæ petunt.

Notandum secundo, quod plerique, ignari mysteriorum divinorum, conqueruntur quod non obtinent omnia quæ a Deo petunt vel immediate vel mediate per Sanctos; quod esse videtur contra promissionem Christi apud Matthæum

[1] I Joann. II, 1, 2. — [2] Theodor. *Interpretat. Epist. ad Rom.*, cap. VIII, 34. — [3] Hier. *Comment. in Epist. ad Rom.*, cap. VIII, 34. — [4] Jacob. IV, 3.

et Lucam : *Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis*[1] : quum tamen instanter petentes non obtinent; ideo

Petendum a Deo quod redundat in gloriam ejus, et salutem animæ et corporis.

Dico : Orando petendum est a Deo quod redundat in gloriam Dei et in salutem animæ atque corporis, non vero quod confert ad explendum inordinatas concupiscentias.

Prima pars probatur : Primo, ex dictis de Oratione dominica; Christus enim docet nos per eam petere quæ conferunt in Dei gloriam et animæ salutem; ergo hæc petenda sunt. Secundo, idem Salvator docet verum ordinem orandi : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis*[2]. Sic explicant Patres : quærite vitam æternam, seu beatitudinem, Dei gratiam, virtutes et bona opera; hæc enim omnia ad eam conducunt. Tertio, idem Salvator inquit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*[3]. S. Gregorius Magnus ait : « Nomen filii Jesus est; Jesus autem salvator seu salutaris dicitur; ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod ad veram salutem pertinet... Pensate ergo petitiones vestras. Videte si in nomine Jesu petitis, id est si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu, Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus postulatis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius deprecatur sibi dari alimentum. Et quidem quum hæc desunt, ab omnipotenti Deo petenda sunt; sed meminisse debemus quod ex mandato ejusdem Redemptoris accepimus[4] : *Quærite primum regnum Dei*[5].»

Christus id docet.

Necessaria ad salutem primo petenda sunt.

Secunda pars probatur. Jacobus, in citato capitulo quarto, refert causam, cur orantes petunt, et non accipiunt : quia, ait, petitis, *ut in concupiscentiis vestris insumatis*[6].

Quæ non sunt petenda.

1 Matth. VII, 7; Luc. XI, 9.— 2 Luc. VI, 31-33. — 3 Joann. XVI, 23. — 4 Matth. VI, 33.— 5 Greg.Mag. *Hom. 27 in Evang.* — 6 Jac. IV, 3.

Hæc ergo nequeunt a Deo peti. Unde S. Gregorius, ubí supra, dicit male istos petere, quia, ait, « quisquis sic orat (id est, prohibita petens), suis precibus contra Deum pugnat ; unde et sub Juda specie dicitur : *Fiat oratio ejus in peccatum* [1]. Oratio autem in peccatum est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur [2]. » Beda, in eum Jacobi locum, dicit : « Male petit qui, jussa Domini contemnens, a Domino beneficia superna desiderat..., et qui amisso amore supernorum, infima tantum quærit bona percipere, et hæc non ad sustentationem humanæ fragilitatis, sed ad redundantiam liberæ voluptatis, quod est velle insumere in concupiscentiis [3]. » Cassianus docet a Deo non petendas opes, delicias, honores, robur, potentiam et similia, sed spiritualia aç æterna, et etiam temporalia necessaria, sed prius illa, sic : « Deus nihil caducum, nihil vile, nihil temporale vult a se æternorum conditore postulari. Itaque magnificentiæ et munificentiæ ejus maximam irrogabit injuriam quisquis, sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare ; et offensam potius quam propitiationem judicis sui vilitate orationis incurret [4]. » S. Basilius dicit : « Munificentissimus et augustissimus Rex noster est, et indigne fert quandocumque quis exiguum a se petit; multo magis si ea petimus quæ minime conveniunt [5]. » S. Augustinus ait : « Advertsus utilitatem salutis non petimus in nomine Salvatoris [6]. » Et dicit : « Non petimus in nomine Magistri quidquid petimus præter regulam ipsius magisterii [7], » id est præter formam qua nos docuit orare. Et alibi dicit quod Salvator inquiens, *Si quid petieritis Patrem,* illud solum intelligit quod ad salutem et vitam æternam pertinet, cujus comparatione reliqua nihil sunt [8]. Et loquens de Oratione dominica ad Probam inquit : « Si per omnia sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nihil in-

Qui male petunt.

Spiritualia petenda sunt primo.

Quando petitur, vel non petitur in nomine Christi.

[1] Ps. CVIII, 6. — [2] Greg. Mag. *Hom. 27 in Evang.* — [3] Beda, *Super Epist. cathol.*, in Jac. IV. — [4] Cassian. *Collat.* IX, c. 24. — [5] Basil. *Constit. monast.*, cap. I. — [6] Aug. *in Joann.*, Tract. 73. — [7] *Ibid.* — [8] *Ibid.*, Tract. 102.

venies quod non ista contineat, et concludat oratio[1].» Non tamen omnia diserte continet, sed ea quæ potissimum ob oculos sunt habenda.

Etiam temporalia necessaria peti possunt.

Dico tertio : Orantes petere possumus a Deo etiam temporalia nobis necessaria ad bonum finem, et utilitatem nostram, vel proximorum honestatem.

Probatur exemplis Sanctorum ; aliqui enim unum, alii aliud ejusmodi bonum a Deo petierunt orando. Salomon petiit a Deo sapientiam, ut posset populum Judaicum recte gubernare : *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum*[2] ; quæ petitio Deo placuit, et affluenter concessit quod petebat. Ideo Jacobus in sua epistola ait : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat ; et dabitur ei*[3].

Temporalia ob bonum finem peti possunt.

Peti potest ob bonum finem liberatio a morbis. Sic fecit Ezechias rex, ut incumberet destructioni idololatriæ totaliter. Peti potest prorogatio vitæ ob bonum finem. Sic fecit Jonas in ventre piscis, ut iret ad prædicandum in Niniven. Et alia innumera exempla sacræ Scripturæ veteris ac novi Testamenti adduci possunt de his petitionibus, de liberatione morborum, periculi mortis, et resuscitationis, quæ acceptæ Deo fuerunt, et effectus suos obtinuerunt.

Peti potest victoria de oppressoribus.

Peti potest victoria de injustis oppressoribus, et aliis inimicis, non quidem in vindictam, sed ob bonum proprium liberationis a molestia, a malis corporis ac fortunæ, et ob bonum pacis. Sic oravit Moyses contra Amalecitas, sic Josue, Gedeon, David, Ezechias, Machabæi, et alii innumeri.

Omnia bona, etiam temporalia, peti possunt ob finem bonum redundantem in Dei gloriam.

Uno verbo dicam, omnia bona, et commoda, etiam temporalia ad victum, vestitum, salutem, honorem ac dignitatem ceteraque similia, vel necessaria, vel etiam commoda, possunt a Deo immediate vel mediantibus Sanctis peti ob finem bonum redundantem in Dei honorem, et proprium aut proximorum honestum bonum. Propterea, ut orans liberet se a scrupulo an licite petat, nec ne etiam si sibi

[1] Aug. Epist. 121, al. 130, cap. 12. — [2] III Reg. III, 9. — [3] Jac. I, 5.

videantur honesta ea quæ petit, quum a propria passione possit decipi, sic potest petere : Hoc oro, Domine, dummodo sit in gloriam tuam, et salutem animæ meæ, vel proximi : alioquin supplico, ne concedas.

Quomodo petendum a Deo.

Humiliter petendum.

Debet orans in petendo humiliter se divinæ voluntati conformare, ut scilicet faciat Deus quod sibi placet, concedendo vel non concedendo, exemplo Christi Domini, qui in horto, procidens in faciem suam ter, toties oravit ut transiret calix Passionis, at totidem vicibus addidit : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* [1]. Ad nostram instructionem id ferme sancti Patres docent, ut pluries pro aliquo obtinendo Deum oremus, et ut ejus voluntati conformemur in obtinendo vel non obtinendo.

Conformatio ad Dei voluntatem necessaria oranti.

Discrete petendum.

Debet pariter orans in petendo cavere ne indiscreto zelo aliquid petat, ut fecerunt Jacobus et Joannes, apud Lucam. Videntes quod Samaritani non receperunt Christum inde transeuntem, indignati dixerunt : *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos?* At Christus dixit : *Nescitis cujus spiritus estis* [2].

Non petendum ex ambitione.

Neque orans petere aliquid debet ex ambitione, ut iidem duo fratres, mediante matre, petierunt sedere unus ad dexteram, alter ad sinistram in regno Christi ; quibus responsum est : *Nescitis quid petatis* [3].

Quæ pro nobis petimus, possumus etiam pro proximis petere.

Quidquid autem pro nobis a Deo orantes petimus, possumus pro proximis petere, sive spectet ad salutem animæ, sive sint temporalia, honesta tamen et statui personarum decentia, et pro Dei gloria.

[1] Luc. XXII, 42. — [2] *Ibid.* IX, 54, 55. — [3] Matth. XX, 22.

CAPITULUM XIV.

DE ORATIONIBUS JACULATORIIS, ET QUÆ SINT.

De orationibus istis quæ jaculatoriæ a sanctis Patribus appellantur, utpote omni personarum statui valde commodis, quia breves et nervosæ, breviter aliqua dicam; ore enim et mente fieri possunt.

Quid sit hæc oratio jaculatoria.

Oratio jaculatoria sic dicitur quia est velut quoddam jaculum a corde hominis emissum erga Deum quasi volans, et cito transiens, verbi gratia hæc : *Deus, in adjutorium meum intende ;* vel : *Deus, adjuva me ;* vel : *Parce mihi, Domine ;* vel : *Illumina me, Domine.*

Jaculatoriæ orationes commendantur.

S. Augustinus, in epistola ad Probam, commendans has orationes inquit : « Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio [1]. » S. Joannes Chrysostomus ait : « Si per intervalla crebris precationibus teipsum accendis, non dabis occasionem diabolo, nec ullum ad cogitationes tuas aditum... Ingemisce amare, revoca ad memoriam peccata tua, suspice in cœlum, dic in mente : *Miserere mei, Deus,* et absolvisti precationem [2]. »

Exempla e Scriptura desumpta.

Harum brevium orationum exempla omnibus commoda in sacra Scriptura, præsertim in Psalterio, habemus, quibus commode uti possunt fideles ; verbi gratia ista :

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum [3].

Domine, ne in furore tuo arguas me [4].

In te, Domine, speravi ; non confundar in æternum ; in justitia tua libera me [5].

1 Aug. Epist. 121, al. 130, cap. 10. — 2 Chrysost. *de Anna,* serm. IV, 5, 6. — 3 Ps. VI, 3. — 4 *Ibid.,* 2 ; XXXVII, 2. — 5 Ps. XXX, 2 ; LXX, 1, 2.

Inclina, Domine, aurem tuam, accelera ut eruas me. Esto mihi, Domine, in Deum protectorem, ut salvum me facias [1].

Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte [2].

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te [3].

Perfice, Domine, gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea [4].

Sub umbra alarum tuarum, Domine, protege me [5].

Domine adjutor meus et Redemptor meus [6].

Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me [7].

De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me [8].

Ad te, Domine, levavi animam meam ; Deus meus in te confido, non erubescam [9].

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me [10].

Respice in me, Domine, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego [11].

Vide humilitatem meam, Domine, et dimitte universa delicta mea [12].

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te [13].

Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus [14].

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me [15].

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ [16].

Adjutor meus et protector meus tu es ; Deus meus, ne tardaveris [17].

Domine, miserere mei ; sana animam meam, quia peccavi tibi [18].

[1] Ps. xxx, 3. — [2] Ps. xii, 4. — [3] Ps. xv, 1. — [4] *Ibid.*, 5. — [5] Ps. xvi, 8. — [6] Ps. xviii, 15. — [7] Ps. xxi, 20. — [8] *Ibid.*, 11. — [9] Ps. xxiv, 1, 2. — [10] *Ibid.*, 4. — [11] *Ibid.*, 16. — [12] *Ibid.*, 18. — [13] Ps. xxxii, 22. — [14] Ps. xxxvii, 10. — [15] *Ibid.*, 22. — [16] *Ibid.*, 23. — [17] Ps. xxxix, 18. — [18] Ps. xl, 5.

Exsurge, Domine, adjuva me, et libera me propter nomen tuum [1].

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam [2].

Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam [3].

Averte faciem tuam a peccatis meis, Domine, et omnes iniquitates meas dele [4].

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis [5].

Ne projicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me [6].

Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me [7].

Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam [8].

Deus, in nomine tuo salvum me fac [9].

Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei [10].

Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea [11].

Eripe de inimicis meis, Deus meus ; et ab insurgentibus in me libera me [12].

Exsurge in occursum meum, Domine, et adjuva me [13].

Deus meus, adjutor meus, in misericordia tua salva me [14].

Exaudi, Deus, deprecationem meam ; intende orationi meæ [15].

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri [16].

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua [17].

Domine, ne avertas faciem tuam a puero tuo [18].

1 Ps. XLIII, 26. — 2 Ps. L, 3. — 3 *Ibid.* — 4 *Ibid.*, 11. — 5 *Ibid.*, 12. — 6 *Ibid.*, 13. — 7 Ps. L, 14. — 8 *Ibid.*, 17. — 9 Ps. LIII, 3. — 10 *Ibid.*, 4. — 11 Ps. LVI, 2. — 12 Ps. LVIII, 2. — 13 *Ibid.*, 6. — 14 Cf. Ps. LVIII, 18. — 15 Ps. LX, 2. — 16 Ps. LXVI, 2. — 17 Ps. LXVIII, 17. — 18 *Ibid.*, 18.

Domine, intende animæ meæ, et libera eam [1].

Ego sum pauper et dolens [2], *Deus, adjuva me.*

Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina [3].

Ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me [4].

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum [5].

Inclina, Domine, ad me aurem tuam, et salva me [6].

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias [7].

Deus, ne elongeris a me, Deus meus, in auxilium meum respice [8].

Firmamentum meum et refugium meum es tu, Domine [9].

Domine, semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam [10].

Usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me [11].

Sit nomen Domini benedictum in sæcula [12].

Excita, Domine, potentiam tuam, ut salvum facias me [13].

Ne memineris iniquitatum mearum antiquarum ; cito me anticipent misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis [14].

Adjuva me, Deus, salutaris meus ; et propter gloriam nominis tui libera me [15].

Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus [16].

Protector noster, adspice, Deus ; et respice in faciem Christi tui [17].

Converte nos, Deus salutaris noster ; et averte iram tuam a nobis [18].

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam ; et salutare tuum da nobis [19].

Deus, tu conversus vivificabis nos ; et plebs tua lætabitur in te [20].

[1] Ps. LXVIII, 19.— [2] *Ibid.*, 30.— [3] Ps. LXIX, 2.— [4] *Ibid.*, 6.— [5] Ps. LXX, 1. — [6] *Ibid.*, 2.— [7] Ps. XXX, 3. — [8] Ps. LXX, 12. —[9] Ps. LXX, 3. — [10] *Ibid.*, 14. — [11] *Ibid.*, 18. — [12] Ps. LXXI, 19. — [13] Ps. LXXIX, 3. — [14] Ps. LXXVIII, 8. — [15] *Ibid.*, 9. — [16] Ps. LXXIX, 4. — [17] Ps. LXXXIII, 10. — [18] Ps. LXXXIV, 5. — [19] *Ibid.*, 8. — [20] *Ibid.*, 7.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me ; quoniam inops et pauper sum ego [1].

Lætifica, Domine, animam servi tui ; quoniam ad te animam meam levavi [2].

Domine, suavis es et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te [3].

Domine, magna misericordia tua super me ; et eruisti animam meam ex inferno inferiori [4].

Fac, Domine, mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur [5].

Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat [6] *!*

Domine, tu es spes mea ; altissimum posuisti refugium tuum [7].

Domine, exaudi orationem meam ; et clamor meus ad te veniat [8].

Revela oculos meos, Domine, et considerabo mirabilia de lege tua [9].

Da mihi, Domine, intellectum ; et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo [10].

Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum [11].

Istæ et aliæ similes inservire possunt pro jaculatoriis orationibus.

1 Ps. LXXXV, 1. — 2 *Ibid.*, 4. — 3 *Ibid.*, 5. — 4 *Ibid.*, 13. — 5 *Ibid.*, 17. — 6 Ps. LXXXVIII, 53. — 7 Ps. XC, 9. — 8 Ps. CI, 2. — 9 Ps. CXVIII, 18. — 10 *Ibid.*, 34. — 11 *Ibid.*, 35.

OPUSCULUM SECUNDUM

DE

ORATIONE MENTALI

CAPITULUM PRIMUM.

QUID SIT, ET QUOTUPLEX.

Definitio.

ORATIO mentalis est *ascensio seu elevatio mentis ad Deum, sine sensibili voce.*

Quænam dicuntur mentalia.

Quilibet potest in semetipso experiri, quod omnia quæ vocaliter dicit, potest interne, sine vocali prolatione, dicere, sive laudando Deum, sive ei gratias agendo, sive beneficia ab illo petendo. Quidquid autem interne et mente revolvitur apprehensione, assensu vel discursu, nihil externe exprimendo, mentale dicitur. Alio vocabulo dicitur intentionale; et dicimus regulariter dari actus bonos aut malos in intentione tantum, alios vero etiam in exsecutione. De hac ergo oratione loquimur quæ mente tantum fit.

Duplex mentalis oratio.

Duplex autem est mentalis oratio, quædam consistens in collocutione, quædam in cogitatione seu consideratione. Prima est omnis interna locutio, quam facit anima cum Deo vel Sanctis, sive laudando eum, ut recitans psalmos laudis, *Te Deum,* Symbolum, aut efficiendo actus fidei, assentiendo objectis fidei; sive agendo gratias Deo et Sanctis; sive petendo a Deo et a Sanctis gratias. Hæc

Collocutiva.

oratio appellatur collocutiva mentalis, quia per eam quis cum Deo vel Sancto colloquitur.

Cogitativa seu meditativa.

Secunda vero mentalis oratio dicitur cogitativa tantum, seu considerativa vel meditativa; qua mens seu intellectus non loquitur cum Deo, aut cum Angelo custode, aut cum aliis Angelis vel Sanctis, sed apprehenso aliquo objecto divino seu creato revelato, illud considerat secundùm sua prædicata, passiones, accidentia, circumstantias, etc. ut infra; et circa illud elicit aliquem affectus actum. Et de hac mentali oratione hic loquor.

Mentalis cogitativa duplex.

Hæc præterea considerativa seu cogitativa interna seu mentalis oratio ulterius distinguitur in puram meditativam, et in contemplativam. De earum natura debemus in hoc tractatu distincte et clare loqui; nam plerique, eas non declarantes, fidelium mentes confundunt.

Datur oratio mentalis.

Dico ergo : Datur inter fideles oratio mentalis seu spiritualis, quæ, sine voce, sola mente peragitur.

Non est qui eam neget; sed de modo eam faciendi, et de partibus seu gradibus ejus, et de speciebus illius, adsunt variæ difficultates a nobis gradatim explicandæ.

Probatur ex exemplo Salvatoris, qui sæpe orabat mentaliter.

Probari tamen potest primo, quia Salvator continue orabat, et tamen raro legitur vocaliter, ad informandam Ecclesiam, ut utroque modo oraret. De vocali Christi oratione diximus supra. De mentali probo; nam, et absentibus et præsentibus Apostolis, et eum non audientibus, legimus illum sæpissime orasse. Lucæ sexto : *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei* [1]. Et capitulo nono : *Et factum est, quum solus esset orans, erant cum illo et discipuli* [2]; et tamen non audiebant quid diceret. Et ex eodem : *Ascendit in montem, ut oraret; et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera* [3]. Hoc accidit in monte Thabor; et tamen tres Apostoli præsentes nihil audiverunt. Lucæ undecimo : *Quum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare* [4]. Igitur non audierant quo-

[1] Luc. VI, 12. — [2] *Ibid.* IX, 18. — [3] *Ibid.*, 28, 29. — [4] *Ibid.* XI, 1.

modo orasset. Et Lucæ vigesimo primo notatur quod in diebus docebat in templo, in noctibus vero morabatur in monte Oliveti, ibique orabat[1]. At cur in hoc immoror? Christus enim continuo pro humano genere orabat, offerens Deo omnes suos labores, itinera, jejunia, Passionemque; et hoc ab initio suæ conceptionis, ut de fide supponimus. At erat beatus, continuo videns Deum, ideoque non egebat vocibus ut Deum in se exsistentem oraret. Christus continuo orat.

Tandem apud Matthæum dicit: *Tu autem, quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*[2]. Glossa ordinaria dicit: « Magis videtur percipi, ut inclusa pectoris cogitatione labiisque compressis oret Deum. Cubiculum autem est cordis secretum; ostium, carnalis sensus, per quem hæc exteriora improbe se ingerunt, et turbæ phantasmatum orantibus obstrepunt[3]. » Idem dicit S. Ambrosius, quod cor est cubiculum in quo orandum est, addens: « Hoc orationis cubiculum ubique tecum est, et ubique secretum est, cujus arbiter nullus est nisi solus Deus[4]. » Et sanctus pater Franciscus dicebat: « Corpus est cella, et anima est eremita quæ moratur in cella. Ubique sint, etiam inter homines, ad orandum Dominum et meditandum de ipso apta est. » Christus consulit sic orandum.

Secundo, Paulus ad Corinthios ait: *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente*[5]. Et ad Ephesios inquit: *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis*[6]. Apostolus sic orabat.

Tertio, sancti monachi et anachoretæ in hac oratione mentali maxime exercebantur, ut perspicue in eorum vitis legitur. In hac omnes religiosi versantur. In ea fidelium congregationes aliquantulum vacant. Sancti monachi sic orabant.

Quarto, plurimi sancti confessores, sanctæque virgines ac viduæ in hac oratione excelluerunt; alii quidem in me- Sancti plurimi in oratione mentali exercitati.

1 Luc. xxi, 37. — 2 Matth. vi, 6. — 3 Strab. *Glossa ord.* in text. cit. — 4 Ambr. *Cain et Abel*, lib. I, cap. 9. — 5 I Cor. xiv, 15. — 6 Ephes. vi, 18.

ditatione, alii in contemplatione et meditatione, per quam pervenerunt ad contemplationem ; ut de SS. Benedicto, Basilio, Romualdo, Dominico, Francisco, Bonaventura, Antonio abbate, et Patavino ; et de modernis, SS. Theresia, Joanne de Cruce, Petro de Alcantara certum est. Hi autem et sic orarunt et regulas sic orandi posteris tradiderunt, ut alios taceam, qui libros multos de oratione mentali, et ejus speciebus, scilicet meditatione et contemplatione, ediderunt.

CAPITULUM II.

DE PRÆSTANTIA ORATIONIS MENTALIS.

De oratione mentali in genere.

NOTANDUM est, quod de oratione mentali, in genere accepta, nemo fere loquitur ; sed de speciebus ejus omnes loquuntur, nempe de meditatione et contemplatione, quas quidem sancti Patres et mystici atque ascetici, ut par est, exaltant, ut nos in suis locis ostendemus. Nihilominus placet aliquid de ea dicere in genere, ut gradum postea faciliorem faciamus ad præfatas species, ad meditationem scilicet ac contemplationem, earumque gradus seu species.

Mentalis oratio commendata a sanctis.

Dico ergo : Magnis ac dignis laudibus a sanctis piisque viris extollitur mentalis oratio pro animæ salute ac perfectione, modo sub titulo meditationis, modo sub titulo contemplationis.

David hanc petebat.

Probatur : David hanc petebat a Deo : *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo* [1]. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* [2]. *In matutinis meditabor in te* [3]. *Meditabor in omnibus operibus tuis* [4]. *In justificationibus tuis medita-*

[1] Ps. CXVIII, 34. — [2] *Ibid.*, 18. — [3] Ps. LXII, 7. — [4] Ps. LXXVI, 13.

bor[1]. Et in toto Psalterio per viginti septem vices id replicat, petens donum hoc meditationis, quæ mentalis oratio est. Salvator de Magdalena contemplante dicit : *Maria optimam partem elegit*[2]. Quia, inquiunt interpretes, melior est vita contemplativa quam activa. Causa intrinseca devotionis nostræ, oportet ut sit meditatio vel contemplatio, ait S. Thomas[3] ; utraque autem oratio mentalis est.

Illam Salvator commendat.

De mentaliter orantibus et contemplantibus dicit S. Bernardus[4] : « In hoc arcanum, et in hoc sanctuarium Dei, si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi et sic abscondi contigerit, ut minime eum avocet aut perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilius amoventur, irruentia imaginum corporearum phantasmata ; poterit quidem hic, quum ad nos redierit, gloriari, et dicere : *Introduxit me Rex in cubiculum suum*[5]. » Hoc est quod in Ecclesiastici libro consulitur fidelibus : *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur ; si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*[6]. Ideo David dicebat : *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te*[7]. Et Christus mentalem orationem non obscure commendasse visus est, dum Samaritanæ de oratione loquenti dixit : *Spiritus est Deus ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*[8]. *Nam et Pater tales quærit qui adorent eum*[9].

S. Bernardus mentalem orationem commendat, et valde exaltat.

S. Augustinus ad orationem spiritualem seu mentalem sic invitat : « Transeat ab his exterioribus animus, et transcendat omne quod creatum est ; currat et ascendat, volitet et pertranseat, et in eum qui creavit omnia, oculos fidei dirigat[10]. » Hæc autem sola mente fieri possunt, et non aliter. S. Bonaventura inquit : « Qui vult cum activa vitam contemplativam habere, ut suum Dominum in omni-

1 Ps. CXVIII, 16. — 2 Luc. X, 42. — 3 S. Thom. 2. 2, q. 82, art. 3. — 4 *In Cant.*, serm. XXIII, 16. — 5 Cant. I, 3. — 6 Eccli. XXXIX, 6-8. — 7 II Reg. VII, 27. — 8 Joann. IV, 24. — 9 *Ibid.*, 23. — 10 Aug. *Meditat.*, cap. 27.

bus contempletur, videtur mihi quod via sit brevis et bona, videlicet ut, se totum recolligens, intret in cor suum, et intima cordis ingrediens, se resolvat in Deum, ut nihil nec videat, nec sentiat, nisi Deum [1]. » Hæc autem sola mente fieri possunt. S. Dionysius Areopagita, scribens ad Timotheum, dicit : « Tu autem, Timóthee carissime, pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione qua vales, prætermitte sensus, etc. [2]. » Alia lectio dicit : « Circa mysticas speculationes corroborato itinere, sensus desere. Intentissimo circa mystica spectacula studio linque sensus. Circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque. Intentissima intuendis spectaculis mysticis exercitatione sensus linque [3]. » Ex quibus apparet quanta cura mentalem orationem ei injungat S. Dionysius, mysticæ theologiæ antesignanus. S. Bernardus sic orationi mentali contemplativæ addictus erat, quod, ut de eo dicit Ecclesia, « vix sensibus nisi ad officia pietatis uteretur [4]. »

S. Dionysius Areopagita, loquens de mentali oratione contemplativa, dicit esse sacrificium Deo acceptissimum [5]. Quem secutus S. Thomas ait : « Quanto homo animam suam vel alterius propinquius Deo conjungit, tanto sacrificium Deo magis acceptum offert : unde magis acceptum est Deo quod aliquis animam suam vel aliorum applicet contemplationi quam actioni. » Sic S. Thomas [6].

Argumentum ex fructu orationis mentalis.

Confirmatur ; nam finis ac fructus orationis mentalis est unio cum Deo per cognitionem perfectam quæ de eo haberi potest in via, et per caritatem seu amorem, ac dilectionem perfectam : finis autem operationis eam specificat.

Multi sancti, qui martyrium non potuerunt consequi, orationi mentali se addixerunt.

Confirmatur secundo : Plurimi sancti confessores sanctæque mulieres, qui martyrii ardore flagrabant, quum ex Dei incomprehensibili judicio non fuerint voti compotes, orationi mentali, ut meditationi et contemplationi, tanquam sublimi post martyrium exercitio, se applicarunt, in

[1] Bonav. *Stim. amoris*, p. 2, cap. 7. — [2] Dion. *De myst. theol.*, cap. 1. — [3] *Ibid.*, divers. lect. — [4] *Brev. Rom.* in Festo S. Bern., lect. v. — [5] *Cœlest. Hier.* — [6] 2. 2, q. 182, art. 2, ad 3.

eoque præcellentes, ut fulgentissima lumina toti Ecclesiæ perfulserunt; ut S. Franciscus Assisias, S. Antonius Patavinus, S. Theresia, S. Catharina Senensis, S. Joannes de Cruce, S. Petrus de Alcantara, et alii similes, quorum memoria in benedictione in æternum erit. Præstantissimum ergo dicendum est orationis mentalis studium ac exercitium. At non relinquenda vocalis ab Ecclesia instituta. Præstantia orationis unde procedat.

Hinc est quod regulares omnes, et omnium primo sancti anachoretæ et monachi, huic studio vacarunt, hodieque vacant, ut, quo perfectiori possunt modo, Deo uniantur in via, ut possint eidem perfectissime uniri in patria. At non propterea relinquunt aut parvipendunt vocalem, imo maximi eam faciunt. Quomodo regulares, et primo anachoretæ mentali orationi vacabant.

CAPITULUM III.

AN, QUOMODO, ET QUIBUS SIT NECESSARIA ORATIO MENTALIS.

Necessarium duxi hoc dubium proponere propter quorumdam indiscretum zelum seu errorem, qui cuilibet homini utriusque sexus dicunt orationem mentalem esse ad salutem necessariam absolute et simpliciter. Motivum auctoris.

Adverto quod, ut alias dixi, mentalis oratio dupliciter sumitur: primo, pro attentione mentis quando oratur vocaliter; secundo, pro mentali seu intellectuali actione qua quis, sine voce aut precatione, considerat divinas seu revelatas res, illas meditando vel contemplando. De hac loquimur.

Adverto secundo, quod (ut in scholis notum est) *necessarium* sumitur dupliciter: primo, absolute et simpliciter, et est id sine quo effectus aliquis nequit obtineri, ut in naturalibus cibus ad vivendum, et in moralibus baptismus ad salutem consequendam. Secundo, aliquid est ne- Necessarium dupliciter sumitur.

cessarium secundum quid, seu ad melius et facilius obtinendum effectum, ut in naturalibus cibus melior, et in moralibus consiliorum exsecutio. Ita de oratione mentali discurrendum.

Unus error Illuminatorum.

Adverto tertio, quod inter errores Illuminatorum hæreticorum hic erat unus, quod oratio mentalis est sub præcepto divino, ac sine ea neminem salvari posse ; imo esse quoddam sacramentum, per quod omnia divina præcepta adimplentur ; et qui orationi mentali vacat, esse exemptum ab obedientia superiorum. Et alia plura insana ac erronea orationi mentali conjungebant. At errores illorum omnes, de quibus opportune fiet mentio, cum suis auctoribus, vix exorti, damnati fuere, anno 1623, in quo nati sunt.

Falsa et erronea doctrina.

Oratio mentalis non est absolute necessaria ad salutem.

Dico primo : Oratio mentalis, sumpta pro meditatione vel contemplatione, non est simpliciter et absolute necessaria ad salutem consequendam.

In nulla lege præcipitur ut necessaria simpliciter ad salutem.

Probatur : Nihil dici potest sic necessarium, nisi a Deo fuerit ut tale statutum, præceptum, ac revelatum humano generi ; nusquam autem in lege aliqua, sive naturæ, sive mosaica, sive evangelica, fuit talis oratio sic præcepta : ergo non est simpliciter ad salutem necessaria. Major est manifesta, quia tam salutis collatio quam media ad eam necessaria a Deo, gloriæ Domino, decreta sunt. Minor probatur :

Non in lege naturæ.

De statu legis naturæ ante scriptam, quænam scilicet in ea fiebant et quæ non, non pauca quidem scimus ; et inter illa non legimus hoc præceptum vel traditionem. Legimus quidem Abraham, Isaac, Jacob, Moysen et alios orasse : de Isaac scimus [1] et de aliis putamus mentaliter utique meditatos et contemplatos fuisse Dei magnalia in creatione et conservatione mundi, in beneficiorum largitione, in bonorum remuneratione, et malorum punitione, etc., necnon ipsiusmet Dei perfectiones, infinitatem, æternitatem, immensitatem, omnipotentiam, caritatem, misericordiam, scientiam, et similia ; quia horum notitiam habebant, et quia viri perfecti erant : at nec eis nec aliis

[1] Gen. xxiv, 63.

hoc præceptum fuisse scimus ut necessarium ad salutem. Item inter Gentiles legimus Job meditatum et contemplatum certe fuisse magnalia illa quæ de divinis ac revelatis in suo libro scripsit ; at neque Gentilibus id fuisse præceptum legitur.

A pari arguitur quod non sit absolute necessaria.

Secundo, quia si fuisset necessarium pro lege naturæ, nunc etiam duraret hæc necessitas ; quia lex naturæ, quoad sua principia, nunc durat : et tamen homines non experiuntur in se hoc dictamen de meditando vel contemplando ; ergo non est præceptum naturæ.

Nec in lege Moysis legitur fuisse præceptam.

Quod non sit præceptum legis mosaicæ, ut ad salutem necessarium, probatur percurrendo totum Pentateuchum, in quo decalogus tantum legitur a Deo datus Moysi, intimandus populo ut ad salutem simpliciter necessarius, nec unquam fit mentio de oratione hac mentali meditativa vel contemplativa, cum regulis quibus fit seu fieri debet, ut infra.

Neque in lege evangelica legitur præcepta.

Quod tandem neque in lege evangelica præcepta sit oratio mentalis, ut simpliciter ad salutem necessaria, probatur : In Evangelio non legitur. Imo interrogatus Salvator a quodam : *Quid faciens vitam æternam possidebo* [1] ? respondit : *Serva mandata* [2]. Et illo replicante : *Quæ* ? respondit Dominus narrando præcepta secundæ tabulæ tantum ; quia loquebatur cum Judæo credente in unum Deum, sanctificante Sabbatum, etc. Et alia vice interrogatus a legisperito : *Quod est mandatum magnum in lege* ? dixit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ* [3]. Imo iterum interrogante illo : *Hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest* ? respondit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus* [4]. Nusquam ergo Salvator præceptum istud orationis mentalis meditationis aut contemplationis imposuit.

Ex Christi dictis quæ sunt necessaria ad salutem.

1 Luc. XVIII, 18. — 2 Matth. XIX, 18. — 3 *Ibid.* XXII, 36-40. — 4 *Ibid.* XIX, 20, 21 ; Marc. X, 20, 21 ; Luc. XVIII, 21, 22.

Si necessaria esset, Ecclesia declarasset, alioquin erraret.

Secundo, quia si esset necessaria simpliciter ad salutem, magno errore laboraret Ecclesia, quæ vel nesciret tale præceptum, vel nunquam fidelibus proposuisset servandum, cum salutis jactura.

Tertio, major hominum fidelium pars damnaretur, quia præceptum hoc non servant, neque sciunt in quo consistat.

Quomodo dici potest necessaria.

Dico secundo : Oratio mentalis sub consilio tantum dici potest necessaria, si non explicite, saltem implicite, ut ad perfectionem ordinata.

Prima pars, quod sit sub consilio, probatur ; quia omne opus pietatis, et quodlibet aliud honestum, si non præcipitur, sub consilio tantum est : talia autem sunt omnia supererogationis opera, ut voluntaria paupertas, castitas, obedientia, jejunia, itinera, aliæque macerationes non præceptæ. Quod autem explicite non consulatur patet, quia, ut supra diximus, licet oratio consulatur, imo et præcipiatur, non tamen explicatur mentalis meditativa vel contemplativa.

Explicite non videtur sub consilio evangelico.

Quomodo est sub consilio implicite.

Probatur secunda pars de consilio implicito : datur enim consilium de perfectione acquirenda : *Estote perfecti,* dicit Christus, *sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*[1]; et Paulus : *Æmulamini charismata meliora*[2] ; et in Apocalypsi : *Qui justus est, justificetur adhuc ; et sanctus, sanctificetur adhuc*[3]. Hæc autem mentalis oratio et ipsamet perfectio est, et orantem ad perfectionem et unionem cum Deo disponit, ut de fructu illius dicemus. Igitur sub consilio illo perfectionis acquirendæ, implicite et virtualiter comprehenditur etiam oratio mentalis.

Christi consilium et exemplum.

Confirmatur : Christus Dominus inquit : *Oportet semper orare, et non deficere*[4]. Id autem consilium est, ut suppono, quia non orans semper non peccat. At sub hoc consilio comprehenditur quælibet orationis species, et maxime perfectior, ut est mentalis, ex nuper dictis. Præterea nobis consuluit suo exemplo, ut eum imitaremur :

[1] Matth. v, 48. — [2] I Cor. xii, 31. — [3] Apoc. xxii, 11. — [4] Luc. xviii, 1.

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis [1]. Ipse autem quasi semper, et semper mentaliter, orabat, etiam dum vocaliter id faciebat. Ergo in eo consilio orandi includitur mentalis oratio.

Actus fidei necessarii sunt ad salutem.

Dico tertio : Si pro oratione mentali intelligantur actus interni fidei, spei, caritatis, pœnitentiæ seu doloris peccatorum, propositi non peccandi de cetero, — licet isti non sint proprie orationes mentales, — sunt simpliciter ad salutem necessarii.

Non tamen sunt orationes mentales.

Quod præfati actus, quamvis mentales sint, non dicantur orationes mentales, nemo dubitat; quia mentalis oratio, ex sententia omnium mysticorum, dividitur in meditationem, et contemplationem, ac in gradus alios eis annexos, nempe laudationem, gratiarum actionem ac petitionem ; quia per ejusmodi actus rationalis creatura loquitur cum Deo, et de ejusmodi actibus orandi diffuse mystici tractant. De actibus autem fidei, et aliis ut supra, antecedenter et præsuppositive, tanquam de principalibus fundamentis orantium, ut cum fructu orent, meditentur et contemplentur, et ut salventur, palam est.

Actus fidei ab orantibus supponuntur.

Attentio mentis est necessaria in oratione.

Dico quarto : Si pro oratione mentali intelligatur attentio mentis, quando homo orat et tenetur ex præcepto orare, necessaria est simpliciter illa attentio ut præcepto satisfiat.

Probatur ex S. Augustino : Ex libro *De cognitione veræ vitæ* [2], oratio cordis, non oris tantum, ascendit ad Deum. Et in libro *De spiritu et anima* ait : « Oratio est mentis devotio, id est, conversio in Deum per pium et humilem affectum. Affectus autem est spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio ; nihil enim ita Deum inclinat ad pietatem et misericordiam, quemadmodum purus mentis affectus [3]. »

Dixi, de iis qui tenentur orare, quia, si isti mente non applicant, non solum non merentur, sed neque satisfa-

1 Joann. XIII, 15. — 2 *De cognit. ver. vit.*, cap. 39. — 3 *De spiritu et anima*, cap. 50.

ciunt ; ceteri vero qui non tenentur, si non applicant mente, in vanum laborant. Attentio autem humano modo possibilis sufficit. At neque de ista mentali oratione hic loquor, sed præcise de meditatione et contemplatione, an necessaria sit simpliciter ad salutem.

Sufficit attentio humano modo possibilis.

CAPITULUM IV.

DE ERRORIBUS ET ABUSIBUS FUGIENDIS CIRCA ORATIONEM MENTALEM.

Mens auctoris.

ANTEQUAM ad species orationis mentalis, nempe meditationis et contemplationis, descendamus, earumque praxim et exercitium insinuemus, operæ pretium est aliqua historice et dogmatice advertere, ne fideles, cum salutari medicamento sanctæ orationis, venenum deglutiant, et non solum orationis fructu priventur, sed æternæ damnationis reatum incurrant.

Dæmon semper orationis mentalis persecutor.

Adverto igitur quod humani generis hostis et zizaniorum sator, diabolus, ab initio Ecclesiæ et in progressu, in quolibet campo sanctæ doctrinæ studuit miscere zizania errorum ; et ita prorsus in hac materia per suos sequaces operatus est. Eos ergo referam, ut fideles eos caveant.

Fugiendi errores Euchitarum.

Primi ergo qui circa orationem mentalem errarunt, ex Demetrio Cydonio [1], fuerunt Euchitæ, qui docebant orationem mentalem faciendam capite versus umbilicum deflexo, et eo modo divinam quamdam lucem se videre, ardoremque Sancti Spiritus concipere et per nares efflare debere : brutalis quidem stultitia omnino exsibilanda.

Beguardi et Beguini errarunt.

Alii, ut Beguardi ac Beguini, in Concilio Viennensi damnati, inter alios errores docuerunt hominem contemplativum ita finalem beatitudinem cum omni perfectionis gradu posse in hac vita acquirere, sicut obtinebit in

[1] *Adv. Gregor. Palamam.*

patria ; posse per contemplationem ad talem gradum perfectionis ascendere ut reddatur impeccabilis, et qui ad eum gradum pervenerat non tenebatur ulla bona opera facere ; quod qui ad talem gradum perfectionis pervenerat, spiritum libertatis acquirebat, et sic nulli humanæ obedientiæ obligatus erat ; quod contemplativus ad eam perfectionem perveniens nec etiam ad elevationem sanctissimæ Eucharistiæ deberet reverentiam exhibere, eo quod aiebant imperfectionem esse, quod altitudo contemplationis pro indigno ducebat ad mysterium humanitatis Christi descendere. Alios eorum errores non refero, quia ad rem non faciunt, omnes tamen exsibilandi.

Fugiendi errores eorum.

Alii, ut refertur in *Chronicis Fratrum Minorum*[1], reprehensi a sancto viro Fratre Hugone Pansiera, docebant, orationem mentalem seu contemplationem hoc modo faciendam : Homo quoad intellectum alienus debet esse ab omni cogitatione rerum corporalium et spiritualium, et sperare ac exspectare debet cogitationes illas quas Deus ei imprimet ac infundet, quamvis demonstrari aut sciri nequeat quomodo hoc fiat. Quo vero ad corpus debet homo rectus stare, strictis labiis retinens quantum potest respirationem ; et statim incipiet sentire mutationem aliquam in corpore ; et interdum non sentiet angustiam, interdum vero prorumpet in magnas voces, at non semper eodem modo ; interdum cadet in terram retrorsum, interdum in faciem, interdum tandem in actus irrationales prorumpet ; et quod quando corpus tale aliquod patiebatur, signum erat quod homo ille incipiebat contemplari. Interrogatus Frater Hugo an hic modus orandi bonus esset, respondit doctrinam hanc irrationabilem ac bestialem esse, et quatuor assignavit rationes. Prima est, quod homo vacans perfectioni non debet se alienare ab omni cogitatione et operatione corporali et spirituali ; quia indiget sacramentis, quæ corporalia sunt, et actibus virtutum, quæ spirituales sunt. Secunda ratio, et redit in idem,

Alii aliorum errores.

Ineptiæ aliorum.

Optime reprehensi et exsibilati ut brutales.

Frater Hugo dicit hæc esse irrationabilia et bestialia ; et quatuor rationes assignavit.

[1] *Chron. F. Min.*, p. 2, lib. 7, cap. 26.

quia in via perfectionis sunt necessaria opera virtutum corporalium, ut, verbi gratia, opera misericordiæ corporalis, susceptio sacramentorum, et actus fidei, spei et caritatis.

Intellectus teneri non debet suspensus ab omni operatione.

Tertia ratio, quia si homo detinet intellectum suspensum ab omni operatione, se exponit illusioni dæmonis, qui sine ulla resistentia immittere in eo poterit perversas cogitationes; ac propterea anima quærens Deum per contemplationem debet semper cogitationem aliquam spiritualem habere, et valde periculosum est aliter facere : alias operationes corporeas, strictioris retentionis halitus, etc., esse vanas, improprias, orationi mentali indecentes, et diabolicis insidiis adinventas. Quarta ratio Fratris Hugonis, eaque observanda, est quia, inquit, impossibile est quod

Rationes notandæ.

anima ita se suspendat ut nihil cogitet. Ideo consulit ut saltem de humilitate Christi vel alia re divina cogitet. Dicit tandem valde cæcum esse qui putat suo labore ac industria pervenire posse ad statum raptus vel elevationem corporis aut animæ, ad revelationes vel prophetias vel perfectam altitudinem spiritus. Hæc et alia diffusius Frater Hugo.

Illuminatorum errores.

Alii et similes primis et alios plures circa orationem mentalem errores docuerunt; et de anno 1623, Hispali in Hispania detecti sunt dicti « Illuminati, » sed verius cæci. Primus eorum error est quod oratio mentalis divino præcepto injuncta sit, tali pacto quod per eam solam omnia divina et humana præcepta adimpleantur; secundus, quod oratio est sacramentum quoddam, sub accidentibus videlicet mentalis hac virtute pollens; vocalis vero exigui sit momenti; tertius, quod homines huic orationi dediti, non sunt ad laborem manuum nec ad alia corporalia exercitia adstringendi; quartus, quod nulli superiori sit obediendum, nec prælato nec patri nec marito, quoties præcipiunt aliquid orationem mentalem impediens; quintus, quod nullus, absolute loquendo, consequi poterat virtutis secretum, nisi illis magistris ut discipulus se subjiceret; sextus, quod nemo poterat salvari nisi orationem faceret eo modo quo ipsi magistri faciebant; septimus,

quod perfecti non egent operari virtutum opera; octavus, quum ad gradum illum perfectionis pervenerint, nec debent conciones audire, nec imagines adspicere, nec de divinis loqui ; nonus, quod oratio mentalis et abstinentia nequeunt diu simul consistere, neque miraculose, eo quod oratio et amor Dei multum extenuant; ideo lautis cibis utendum erat, ut quis ad orationem aptior esset; decimus, quod orans ita se colligere in Dei præsentia teneatur, ut nec discurrat, nec meditetur, nec in Jesu Christi Passione, et multo minus in ejus sanctæ humanitatis cognitione immoretur; undecimus, quod nullo modo unquam utendum sit imaginibus, ut quis se ad orandum colligat, quum ipsa tantum blandimenta et illecebræ censeantur; duodecimus, posse hominem ad talem gradum perfectionis ascendere ut Sanctorum intercessione non egeat, ideo nec invocare eos debeat; decimus tertius, quod a quovis ex eorum « Illuminatorum » numero semper ac singulis horis videri possit id quod ab ipso jam semel in oratione visum fuit. Hæc sunt quæ fanatice hæretici illi dixerunt, conspurcantes sanctum mentalis orationis exercitium. Sed merito luerunt pœnas; alii enim comparentes ad Tribunal sancti Officii, publice abjurarunt; alii contumaces, et postea capti, pertinaces, obstinati ac impœnitentes, capitis pœna plexi sunt.

Fanaticorum hominum punitio exemplaris.

Novissime, de anno 1656, nefarii quidam prodierunt, qui sanctum mentalis orationis exercitium maculare tentarunt, multos ex præfatis erroribus ac hæresibus ab orco revocantes, aliosque errores aliasque hæreses proprio marte præfatis addentes; quorum præcipui auctores, cum abjuratione prævia, diversis pœnis mulctati sunt; et novæ sectæ finem imponere diligentissime curatum est. Ut autem omnes ab iis caveant, aliquas eorum propositiones hic referre decrevi, quæ ad rem pertinent, alias omittendo :

Aliorum errores qui maculare tentarunt orationem mentalem.

Cavendæ eorum doctrinæ perversæ hic relatæ.

Orationem mentalem ita esse cuilibet homini necessariam ut sine ea nemo salvari possit. Quod oratio vocalis respectu mentalis est parvi momenti, et velut furfur re-

spectu farinæ, et sicut palea respectu tritici. Quod oratio mentalis, si uniatur cum vocali, perdit vim suam, sicut si vinum misceatur cum aqua. Quod si ab Episcopo vel alio Superiore prohibeatur alicui oratio mentalis, non est eis obediendum, neque si sub excommunicatione jubeat. Quod, quo tempore facienda est oratio mentalis, uxor non tenetur obedire viro aliquid præcipienti quod orationem impediat. Si Superiores vellent eos reformare, parendum non est, quia non sunt capaces suorum principiorum ; ipsi autem fanatici reguntur a Spiritu Sancto. Quod in Missa, dum elevatur Sanctissimum, non debent in illud adspicere, sed inclinare caput versus terram, quia digni non erant adspicere. Quod illi qui exsequi nesciunt orationem mentalem non sunt in statu salvationis. Prohibebant usum imaginum sanctarum. Quod orationi mentali vacantes, vel peccare non possunt, vel difficillimum est quod peccent. Alia plura effutierunt de potestate et dignitate directorum hujus exercitii orationis mentalis, ab eis maculatæ et tot insaniis conspurcatæ, quæ nunc referre opus non est. Et damnati fuere auctores, ac doctrinæ præfatæ.

Indigna prorsus dogmata.

Alia plura indigna docebant.

Qui ergo a Deo vocatur ad exercitium orationis mentalis, sive meditationis sive contemplationis, hæc omnia et similia fanatica et inepta, a dæmone prorsus adinventa, fugere debet, et simplicibus regulis, ex sacra Scriptura et ex sanctis Patribus decerptis, et a Dei servis in usu hucusque positis, inhærere. Ideo ante tractatus de meditatione et contemplatione, quæ solæ sunt species orationis mentalis, impietates istæ positæ sunt, ut sciant fideles quid vitare debeant in sancto orationis exercitio ; dicitur enim in Psalmo : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui*[1].

Monitio pro orantibus.

Errores isti relati sunt, ut fideles ab eis caveant.

Alia vero mala leviora vitanda, quæ occurrere possunt in sancto hoc exercitio, in progressu tractatuum insinuabuntur, ut sacrificium hoc laudis, quod in Psalmo David

Alia vitanda in progressu dicentur.

[1] Ps. LIX, 6.

jubet Deo immolandum [1], purum, immaculatum et Deo placens immoletur. Ideo ad species orationis mentalis explicandas, Deo duce, descendimus, et primo de meditatione, quæ facilior, notior et communior est, agemus ; unde sit prima quæstio :

CAPITULUM V.

QUID SIT MEDITATIO, ET IN QUO CONSISTAT.

Definitio meditationis generalis.

ADVERTO quod meditatio generaliter sumpta, ut philosophis, theologis, ac etiam rhetoricis communis, sic definitur : *est attenta et sedula rei alicujus in mente revolutio et agitatio.* Et sic quilibet apprehendens rem aliquam, et mente considerans eam secundum ejus partes, naturam, passiones et cetera accidentia et circumstantias, sive theologus, sive philosophus, architectus, rhetor, et quivis alius considerans sua negotia, dicitur meditari. Et sic meditans non sistit in uno cogitationis actu, sed per plura circa rem apprehensam discurrit, ut quilibet in semetipso experiri potest, quod est valde notandum. At de hac generali meditatione hic non loquimur, sed de religiosa meditatione rerum cœlestium seu divinarum ac revelatarum, quæ convenit cum generali in aliquibus, et differt in objecto et annexis multis.

Quid sit.

Definitio meditationis religiosæ.

Dico primo : Religiosa meditatio est attenta et sedula alicujus rei revelatæ cogitatio, circa rem illam et ejus accidentia et circumstantias se extendens, cum amoroso affectu circa rem ipsam, atque Deum rei illius auctorem.

Particulæ definitionis declarantur.

Declaratur et probatur evidenter ex consensu omnium qui et meditationi vacarunt et libros de ea ediderunt, ut

[1] Ps. XLIX, 14.

Qui de meditatione scripserunt sic explicant.

sunt S. Bernardus, Richardus et Hugo de S. Victore, S. Bonaventura, in toto libro *De meditatione Vitæ Christi,* S. Theresia, S. Joannes de Cruce, S. Petrus de Alcantara, Gerson, etc. Omnes isti docent, meditationem esse cogitationem seu considerationem attentam alicujus mysterii fidei, vel cujuslibet rei revelatæ; discursivam tamen seu procedentem de una re in aliam. Verbi gratia, meditatur quis Nativitatem Christi, mente cogitat *qui* est qui nascitur, et considerat quod sit Deus qui homo factus est, et de hoc miratur; considerat *locum,* quod sit in stabulo, loco fœtido, et miratur; considerat *tempus,* quod in medio hiemis, et miratur; considerat *paupertatem,* quod, vilibus pannis involutus, jacet in præsepio, et miratur; considerat eum, sine virginitatis maternæ præjudicio, et sine dolore ejusdem, ex utero prodiisse, et miratur; considerat Deum sic pro humano genere humiliatum, atque alia quæ in illius Nativitate acciderunt: et tandem ex horum consideratione, affectus amorosi actum, prout Deus inspirat, in Christum natum, et in Deum hæc patrantem, elicit. Hæc est vere et proprie meditatio, cum pluralitate actuum circa plura objecta annexa principali objecto. Et per hoc differt, ut dicemus, a contemplatione, quæ non est discursiva, sed in uno simplici et fixo intuitu rei meditatæ seu sine meditatione apprehensæ consistit, ut dicam postea. Et differt ab omni alio philosophicæ ac artificiosæ meditationis genere; quia istæ sunt cogitationes et considerationes rerum profanarum, nostra autem religiosa meditatio est de rebus revelatis, et creditis per fidem. Differt etiam a theologicis speculativis meditationibus; quia licet sint de revelatis et creditis rebus, sunt tamen sine amoroso affectu illis annexo, ad quem tendit meditatio; qua de causa Seraphicus S. Bonaventura totam theologiam suam ad affectivam ordinavit, ut compertum est, ut semper in ea meditaretur. Unde sponsa ait: *Introduxit me in cellam vinariam; ordinavit in me caritatem*[1]; quia, dicit Apo-

Exemplum meditationis.

Plures actus in meditatione intercedunt.

Differt per hoc a contemplatione.

Differt a meditatione philosophica.

Differt etiam a ceteris speculationibus etiam theologicis.

1 Cant. II, 4.

stolus, *finis præcepti est caritas*[1], ut de affectiva dicam in suo loco.

Semper in Ecclesia viguit meditatio.

Dico secundo : Semper in Ecclesia fidelium utriusque Testamenti viguit in multis meditatio seu meditativa oratio.

Probatur ex lectione sacri textus. De Isaac, adveniente Eliezer de Mesopotamia cum Rebecca illius futura sponsa, dicitur quod meditabatur in agro[2] ; Isaac enim, ex quo fuerat in victimam destinatus, assidue orationi vacabat. Moyses ex Dei mandato præcepit Josue ut sæpe meditaretur præcepta legis, sive sedens in domo, sive exsistens in itinere[3]. Et Deus ipse illi præcepit ut sæpe meditaretur volumen legis[4]. David ait : *Beatus vir qui... in lege Domini meditabitur*[5] ; et in toto Psalterio per viginti septem vices loquitur de meditatione operum et mandatorum Dei. In Proverbiis quater fit mentio de meditatione divinarum rerum. Paulus, postquam multa consilia et præcepta imposuit Timotheo, dicit : *Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus*[6]. Et ipse Paulus inquit : *Orabo spiritu, orabo et mente ; psallam spiritu, psallam et mente*[7]. Et Apostoli omnes, qui a Christo tot præcepta et consilia audierant, tot virtutes ac miracula ab eo fieri viderant, et tot injurias, cruciatus, Passionem ac mortem perpeti, et post Resurrectionem tot gloriosa gesta exsequi usque ad Ascensionem in cœlum, et missionem Spiritus Sancti, quomodo poterant non meditari continuo tot magnalia, et in Christi, ac sanctissimæ Trinitatis, quam ab eo didicerant, amorem non diffundi ? Inverisimile, imo impium est oppositum opinari.

Sæpe in Psalmis fit mentio de meditatione.

In Apostolis meditatio.

Præterea, de oratione meditativa, sub vocabulo *considerationis,* fit mentio in sacra Scriptura : *Considera mirabilia Dei*[8]. Et certe inverisimile est, quod primi Parentes ceterique amici Dei, tam pro lege naturæ quam pro mosaica, quum Dei et operum ejus distinctam habuerint cognitio-

Sub voce considerationis fit sæpe mentio de meditatione.

1 I Tim. I, 5. — 2 Gen. XXIV, 63. — 3 Deut. VI, 7. — 4 Josue I, 8. — 5 Ps. I, 1, 2. — 6 I Tim. IV, 15. — 7 I Cor. XIV, 15. — 8 Job XXXVII, 14.

nem, ea non fuerint meditati persæpe, et suum amorosum affectum in eum non direxerint et tenerrime dilexerint.

Ex monachorum praxi meditatio.

Deinde, ex praxi apostolicorum discipulorum, jam inde ab initio Ecclesiæ, ut Dionysii, Timothei, Hierothei, et postea monachorum Basilii, Antonii, Benedicti ac sociorum, necnon anachoretarum et religionum omnium, et collegiorum tam regularium quam sæcularium, evidens est meditativam orationem in Ecclesia viguisse ac vigere in multis.

Corollarium de natura meditationis.

Hinc ergo breviter collige, quod meditatio religiosa seu spiritualis aliud non est quam actus mentis seu intellectus quo attente cogitatur seu consideratur aliquod objectum revelatum, discurrendo per partes et accidentia ejus, cum aliquo affectu circa tale objectum, vel Deum, si objectum sit aliquid creatum. Exempla talium considerationum innumera in Sanctorum libris invenies, ut in duobus meditationum S. Augustini, in libro S. Bonaventuræ, *De meditatione Vitæ Christi*, et aliis fere innumeris.

Libri multi de ea tractantes.

Notandum.

Quæ autem præparatio ad eam requiratur, qualis attentio, qualis affectus, et qui sunt gradus ejus, ut quis in ea proficiat, dicentur postea ; maxime autem advertendum est, quod sicut dicam dari duos gradus seu ordines orandi et orantium mentaliter, sive meditando sive contemplando, unum vulgarem, seu communem omnibus hominibus, alium specialem et proprium eorum qui perfectionis viam calcant, ut postea ostendam ; ita duo præparationum ad meditationem et contemplationem dantur genera. Pro primis sufficit præparatio quam dixi in primo Opusculo [1] requiri ad omnem fructuosam orationem ; pro secundis ostendam requiri multo majorem et difficiliorem.

Meditatio et præparatio duplex.

[1] *De orat. Christ.*, cap. 4 ; supra p. 15-18.

CAPITULUM VI.

AN MEDITATIO DIFFERAT A CONTEMPLATIONE, ET PER QUID.

Aliqui confundunt meditationem cum contemplatione.

Hujus dubii solutio omnino necessaria est; quia video aliquos nec ignaros, imo insignes viros, in hac re hallucinatos, dixisse non differre meditationem a contemplatione.

In uno sensu idem sunt contemplatio et meditatio.

Adverto quod, si contemplatio sumatur philosophice aut grammaticaliter, quælibet interna seu mentalis cogitatio alicujus rei vel negotii dicitur contemplatio et meditatio, ut notat S. Bernardus, dicens: « (Meditationem) quandoque cogitationem quandoque contemplationem solemus quasi proprio nomine nuncupare[1]. » At si theologice et mystice sumatur contemplatio, ut sumunt spirituales et mystici, maxima differentia est inter eam et meditationem, imo regulariter incipientes a meditatione incipiunt spiritualem vitam, et si cum Dei auxilio perseverant et proficiunt, a meditatione transeunt ad contemplationem. Sed de his postea. Differentia autem pro tironibus clara assignanda est, ut sciant meditari et contemplari.

In sensu theologico differunt.

Incipientes spirituales a meditatione incipiunt.

Contemplatio duplex, acquisita et infusa.

Adverto secundo, quod, ut fusius in suo loco dicetur, contemplatio theologica duplex est, quædam acquisita et naturalis dicta, non quia solis naturæ viribus acquiratur et exerceatur, sed quia licet semper cum gratia Dei, hæc tamen gratia interdum communis est etiam meditanti eam petenti; quædam dicitur infusa seu supernaturalis, quæ ex specialissima Dei gratia paucis, imo paucissimis a Deo conceditur. De hac non loquor nunc, quia nulla dari potest facilis de illa instructio, sed de prima, pro qua

1 S. Bern. *Hom. de duobus discip.*

exercenda et acquirenda Sancti in ea etiam periti, ut postea dicam, regulas plures pro ejus adeptione tradiderunt.

Differentia inter meditationem et contemplationem

Dico ergo : Inter meditationem et contemplationem, etiam acquisitam, theologice sumptas, magna et lata est differentia.

Richardus de S. Victore assignat convenientiam et differentiam inter eas.

Probatur ex supradictis, cum Richardo de S. Victore dicente : « Unam eamdemque materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Multum inter se invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quandoque in materia conveniant. De una siquidem eademque materia, aliter cogitatio, aliter meditatio, longeque aliter agit contemplatio. Cogitatio per devia quæque lento pede, sine respectu præventionis, passim huc illucque vagatur. Meditatio per ardua sæpe et aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit; meditatio incedit, et ut multum currit; contemplatio autem omnia circumvolat, et quum voluerit se in summis librat. Cogitatio est sine labore et fructu; in meditatione est labor cum fructu; contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio [1]. »

Multa notanda.

Sic Richardus : igitur maxima est inter eas differentia.

Auctor quidam assignat aliam differentiam.

S. Bernardus, seu alius pro eo, in tractatu *De scala claustralium,* ait : « Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. Oratio est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, et bonis adipiscendis. Contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans [2]. » Et dans exemplum de meditatione, dicit quod, verbi gratia, postquam quis legit hunc versum, *Beati mundo corde,* investigat cur non dicit mundo corpore, et

De meditatione dicit multa.

[1] Rich. de S. Vict. *De grat. contempl.,* al. *Benj. maj.,* lib. 1, cap. 3. — [2] *Scal. claustr.,* cap. 1.

quid sit cor mundum, quomodo fit mundum, etc., et quod mundum cor habentes salvantur, quia ait : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [1]; et quod his phrasibus anima inflammata colligit quam suave esset habere cordis munditiam, et æstuat desiderio habendi ; et cetera plura [2]. Postea loquitur de oratione seu petitione, qua petitur a Deo munditia cordis, ut ad Dei visionem perveniatur, non ob propria merita, sed pro Dei misericordia [3]. Tandem de contemplatione sic loquitur : « His et hujusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium ; sic ostendit suum affectum. His incantationibus advocat sponsum. Dominus autem, cujus oculi super justos [4], etc., animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat ; et facit eam terrenorum oblivisci, memoria sui eam mirabiliter fortificando, vivificando, inebriando, ac sobriam reddendo [5]. » Et exemplificat de homine carnali, qui ita vincitur concupiscentia quod usum rationis amittit : « ita in hac superna contemplatione consumuntur et absorbentur carnales motus ab anima, ut in nullo caro spiritui contradicat, et fiat homo quasi totus spiritualis [6]. » Hæc Bernardus. Igitur apertissima est differentia inter meditationem et contemplationem.

Postea loquitur de contemplatione.

Exemplum de carnali amante.

S. Bonaventura multa præclara de meditatione ex S. Gregorio dicit ; et postea : « Meditatio est occultæ veritatis studiosa investigatio ; et contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Illam itaque divina revelatio illuminat, ut veritatem cognoscat ; istam divina inspiratio inflammat, ut eam diligat [7]. » Et ait sic definiri ab auctore libri *De spiritu et anima* [8].

S. Bonaventura assignat differentiam inter meditationem et contemplationem.

Probari potest a posteriori : Facile pii fideles incumbunt meditationi, sed pauci et difficile contemplationi, imo hæc ut res ardua et impossibilis apprehenditur. Quidquid autem nunc sit de qualitate et arduitate contempla-

Ratio differentiæ a posteriori.

1 Matth. v, 8. — 2 *Scal. claustr.*, cap. 3. — 3 *Ibid.*, cap. 4. — 4 Ps. XXXIII, 16. — 5 *Scal. claustr.*, cap. 5. — 6 *Ibid.* — 7 S. Bonav. *Pharetra*, lib. 4, cap. 26. — 8 *De spir. et an.*, cap. 32.

tionis, de quibus in suo loco dicam, sufficit nunc scire quod illa esse potest sine ista, et sic differunt inter se.

Probari potest secundo ex eo quod meditatio est discursiva circa principale objectum, transiens de una in aliam qualitatem vel circumstantiam illius objecti; contemplatio autem est simplex objecti firmusque cum admiratione intuitus. Exempli gratia, meditans Christi flagellationem, supposita ejus fide, considerat Filium Dei pati illa flagella non ob sua demerita, sed ob nostra; considerat miseriam ejus in columna ligati, contusionem artuum, laceratione corporis, dolorem, erubescentiam, patientiam, silentium, et applicationem pro nobis, sævitiam ministrorum flagellantium, Domini contemptum et vilipensionem a servis perpessam; iste vere et proprie meditatur. At contemplans hunc casum, vel post præfatam meditationem, ut accidit in incipientibus ac proficientibus regulariter, vel absque meditatione, sed sola ipsa flagellatione concepta, ut in perfectis, sine ullo discursu, figit in ea mentis firmum intuitum, cum admiratione, compunctione et affectu, ut in suo loco dicam, iste proprie contemplatur.

Exemplum meditationis.

Contemplationis exemplum.

Exempla plurima modi meditandi discursive per plura transeundo legi possunt in libro *De meditatione Vitæ Christi,* apud S. Bonaventuram in Opusculis, et multo plura in duobus libris meditationum S. Augustini; quælibet siquidem meditatio prolixum continet discursum. Fusior iterum occurret de hoc argumento discursus, quum inferius de contemplatione loquemur.

Plurima exempla meditandi leguntur apud Sanctos de ea scribentes.

CAPITULUM VII.

QUÆNAM SINT MEDITATIONIS OBJECTA.

Quorumdam opinio non tenenda circa meditationis objecta.

Advertо quod quidam putarunt meditationem versari quidem circa revelata, at non spiritualia, ut circa Deum divinasque perfectiones et attributa, sed circa corporalia, quæ per imagines sensibiles possunt repræsentari. At existimo eos falli. Ideo

Omnia revelata sunt meditationis objecta.

Dico : Omnia revelata, sive corporalia sive spiritualia, sive pure divina sive creata, sunt objecta proportionata meditationi.

Probatur : Omnia ista sunt objecta fidei et intellectus credentis per fidem ; ergo et meditationis. Hæc enim est actus intellectus considerantis revelata, et investigantis eorum qualitates ac circumstantias.

Ex sententia mysticorum.

Probatur secundo : Omnes theologi mystici docent maxime insistendum in meditatione vitæ Christi ; at de Christo meditari possunt nedum corporalia et sensibilia, sed etiam divina et alia spiritualia ; quisque enim meditari potest divinitatem, humanitatem unitam, ejus dona supernaturalia, summam gratiam, summum lumen gloriæ, summam scientiam, omnes habitus virtutum, dona Spiritus Sancti, gratias gratis datas, etc. Imo quoties aliquis digne et ut oportet meditari vult aliquam actionem aut passionem seu cruciatum aut mortificationem Christi, debet semper illum etiam ut Deum considerare, ut dignitatem ac valorem operis, necnon humilitatem et caritatem erga nos apprehendere valeat, eumque ferventius diligere.

Ex Richardo

Probatur tertio : Ex dictis, cum Richardo de S. Victore [1],

1 *De grat. contempl.*, al. *Benj. maj.*, lib. 1, cap. 3.

eadem res potest esse materia meditationis et contemplationis ; sed spiritualia ac divina esse possunt et sunt materia contemplationis ; ergo et meditationis.

Ex S. Augustino.

Probatur quarto ex S. Augustino in libris *Meditationum :* in primo etenim libro in omnibus fere quadraginta quinque capitibus inter res meditandas Deum, ejus perfectiones, præcipue caritatem, misericordiam, et justitiam, interponit, Personas divinas divisim et conjunctim, Verbi Incarnationem, virtutes, gloriam, etc. In alio libro per octodecim capita pariter inter meditanda Deum, ejus beneficentiam et dilectionem circa nos interserit, necnon fruitionem Dei, Dei circa nos sollicitudinem, futuram nostram felicitatem, etc.

Etiam spiritualia divina meditanda dicit S. Augustinus.

Ex aliis Sanctis.

Idem probari potest ex SS. Dionysio, Bernardo, Thoma, Bonaventura, et aliis omnibus qui de meditationibus scripserunt ; omnia enim divina et spiritualia meditationibus etiam subdiderunt.

Ex praxi Ecclesiarum.

Probatur tandem ex praxi religionum et congregationum vacantium meditationi ; in eis enim indiscriminatim proponuntur meditanda tam corporalia et creata, quam spiritualia et divina ; quid enim impedit quin fideles capaces meditentur Deum unum in essentia et trinum in Personis, investigando quomodo hæc se habent, supposito prius actu fidei quod ita sit? Quid pariter impedit quin fideles capaces, supposito actu fidei quod Verbum sit incarnatum, inquirant quomodo id fieri potuit?

Proponuntur meditanda etiam spiritualia.

Exemplo theologorum qui meditantur etiam spiritualia.

Confirmatur evidenter : Omnis theologus est meditator Dei et prædicatorum ejus essentialium et notionalium, et in ea consideratione consistit tota theologia ; ideoque si parti huic speculativæ meditationis adjungerent affectivam amoris ac dilectionis, essent veri ac religiosi meditativi.

Evidens ratio, nam omnis theologus est meditator.

Puto autem majorem theologorum partem talem esse, quum in studiosa et attenta divinarum perfectionum meditatione cognoscant summe amabile, et lapideum certe cor haberet qui ipsum cognoscens non diligeret. Certe sic in magnis Ecclesiæ theologis accidisse conspicimus, tam antiquis quam modernis, qui quum de Deo mire scripse-

rint, mire eum dilexerunt, ut fuere Gregorius Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, magnus Gregorius, Athanasius, Dionysius, etc., veteres sanctissimi viri; Bernardus, Thomas Angelicus, Bonaventura Seraphicus, Albertus Magnus, Alexander Halensis, Scotus, et alii innumeri, qui Deum ac divina optime meditati, Deum optime dilexerunt. O utinam omnes theologi eos imitarentur! Divina ergo etiam respicit meditatio.

Theologi sancti et doctores Ecclesiæ sic fecerunt.

Ex his collige, quod omnia facta et dicta, quæ in tota sacra Scriptura veteris et novi Testamenti referuntur, sunt objecta seu materia meditationis. Circumferuntur multi libelli meditationum, in quibus multa et præcipua sacræ Scripturæ aut vitæ ac mortis Christi capita referuntur; alii, in quibus de beneficiis a Deo collatis humano generi agitur; alii, in quibus de virtutibus earumque actibus, de vita spirituali et de modo proficiendi in ea discurritur; et alii similes. Hi omnes apti sunt ut ex eis punctum aliquod ad meditandum eruatur; sed omnium aptissimus et ad fructum efficacissimus, ait S. Bonaventura, est liber meditationum articulorum fidei, vitæ et mortis Christi [1]. Et idem S. Bonaventura, *De stimulo amoris,* ait: « Quicumque ad contemplationis quietem et dulcedinem, nisi per istud (Christi lateris) ostium voluerit introire, furem se reputet et latronem [2]. »

Omnia facta et dicta in sacra Scriptura sunt objecta seu materia meditationis.

Et libri ea continentes legendi pro meditatione.

CAPITULUM VIII.

DE AFFECTIVA PARTE IN MEDITATIONE REQUISITA.

Advertо, ut communiter docent theologi ac philosophi et quisque in se experitur, quod in anima, etiam secundum rationalem partem portionemque superiorem, duæ

Potentia cognoscitiva et affectiva in homine.

1 S. Bonav. *Medit. Vitæ Christi,* procem. — 2 *Stim. amor.*, p. 3, cap. 1.

adsunt potentiæ, una cognoscitiva seu intellectiva, alia affectiva seu volitiva. Affectiva autem, ut S. Bonaventura inter alios docet[1], dividitur in naturalem et liberam. Prima dicitur ipsa voluntas intrinsece et naturaliter inclinata ad omne bonum, etiam summum; et quoties sibi ab intellectu aliquod ostenditur, præcipue magnum, honestum ac delectabile, statim ad illud inclinatur, et ad illud est propensa, ejusque affectu trahitur. Libera autem tunc est, quando actu positivo cum indifferentia dilectionis illius prosequitur.

Affectiva duplex naturalis et libera.

Adverto secundo, quod affectus in actu, sive naturalis sive liber, ex S. Augustino sic definitur : « Affectus est spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio[2]; » subdens : « Nihil enim ita Deum inclinat ad pietatem et misericordiam quemadmodum purus mentis affectus[3]. » Quilibet autem in semetipso experitur, se circa aliquod objectum vel amicum affectum seu inclinationem habere, quæ animi passio est, et prodit statim objecto honesto vel delectabili cognito. At præter affectum seu inclinationem sæpe, imo semper, circa tale objectum elicitur actus liber dilectionis, sicut unusquisque hominum in semetipso experitur. Hic ergo quærimus, an meditatio religiosa, ut talis, præter objecti considerationem, debeat annexum habere affectum tam naturalem quam liberum circa tale objectum consideratum, vel saltem circa Deum, si objectum sit aliquid creatum incapax passivi affectus ac dilectionis, ut si, verbi gratia, consideretur creatio cœli et terræ, vel solis ac lunæ, animalium, arborum, etc.

Quid sit affectus in Deum ex S. Augustino.

Experientia de affectibus.

Sensus quæsiti.

Dico : Meditatio, ut sit religiosa, debet habere annexum affectum circa rem meditatam si divina sit, vel si non, circa Deum auctorem illius rei.

Meditatio debet affectum etiam includere.

Probatur ex S. Augustino : « Oratio est mentis devotio, id est conversio in Deum per pium et humilem affectum.

Ex S. Augustino.

[1] *Breviloq.*, p. 2, cap. 9. — [2] *De spiritu et anima*, cap. 50. — [3] *Ibid.*

Affectus autem est spontanea quædam, » etc., ut supra [1]. Sed meditatio est oratio. Ergo...

Confirmatur : Ex Psalmo habetur : *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi* [2]. S. Augustinus in hujus Psalmi locum dicit : « Mandata ergo Dei dilexit... Dilexit autem et cogitando et operando ; nam quod ad cogitationem pertinet, ait, *Et meditabar in mandatis tuis,* quod autem ad operationem, *Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi...;* finis enim præcepti est caritas de corde puro. Quando isto fine, id est hujus rei contemplatione fit mandatum Dei, tunc fit vere opus bonum [3]. » Et in Psalmo trigesimo octavo dicitur : *In meditatione mea exardescet ignis* [4], id est caritatis. Affectio igitur ac dilectio conjungi debet religiosæ ac fructuosæ meditationi divinorum. Tirones autem in his omnibus a directore dirigendi sunt, ne errent.

Ex Psalterio.

S. Augustini explicatio.

S. Bernardus, *De consideratione,* ait : « Sanctum facit affectio sancta, et ipsa gemina : timor Domini sanctus, et sanctus amor [5]. » Et, *In Cantica,* inquit : « Hæc affectio est, quæ gustat et sapit quam suavis est Dominus [6]. » Et hoc ex Psalmo trigesimo tertio acceptum est : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* [7]. Qui ergo meditatur Deum, vel aliquid divinum, aliave revelata facta et dicta Dei, affectum et dilectionem erga eum debet meditationi, tanquam ejus complementum, adjungere.

Ex S. Bernardo, semper meditatio includit affectum in Deum.

Probatur secundo : In hac vita omnia opera nostra ad Deum tanquam finem ultimum dirigenda sunt, sive actualiter sive virtualiter, ut religiosa et fructuosa sint ; et sicut in patria beatitudo completur per contemplationem et dilectionem Dei, sic in via opus bonum ac religiosum in fide fundatum — cui ex Augustino succedit visio — in cognitione et dilectione Dei consistere debet.

A paritate beatæ vitæ.

Probatur tertio ex rei ipsius conditione ac natura. Con-

Ex rei natura.

[1] *De spiritu et anima,* cap. 50. — [2] Ps. CXVIII, 47. — [3] S. Aug. *Enarrat. in Ps.* CXVIII, serm. 14. — [4] Ps. XXXVIII, 4. — [5] *De consideratione,* lib. 5, cap. 14. — [6] *Serm. 5 in Cant.* — [7] Ps. XXXIII, 9.

siderans enim rem aliquam bonitate aliqua præditam, et præsertim delectabilem aut utilem, experitur se in eam propensum, illius amantem, et quo delectabiliorem ac utiliorem illam existimat, magis in eam se conspicit inflammari. Item si amicum aut principem aliquem sibi experitur benevolum ac beneficum, in dies sibi beneficia conferentem, et certo ex veraci ejus promissione speret se majora et maxima consecuturum, dum hæc mente revolvit, se in eum affectu et dilectione trahi sentit. Quum ergo aliquis meditatur Dei excellentiam, majestatem, sanctitatem, et cetera ejus prædicata ac perfectiones, vel beneficia toti humano generi collata, ut elevationem ad supernaturalem ordinem, ordinationem ad æternam vitam, vel beneficia creationis, conservationis, redemptionis, justificationis, etc., vel meditatur beneficium Incarnationis, et quæ in ea contigerunt, vel aliquam aut plures de Christi Domini actionibus aut passionibus; nisi cor lapideum habeat, statim sentiet se in Dei et Christi Domini affectum ac amorem excitari, accendi et inflammari : ideoque ex rei ipsius, id est meditationis, natura oritur affectus ille, et deinde dilectio.

Experientia id docet.

Ex gratitudine pro magnisDei in nos beneficiis impossibile videtur, quod meditans Dei beneficia non moveatur affectu in eum.

Dixi : Etiamsi meditatio sit de objectis creatis revelatis; nam ista quoque possunt esse meditationis objecta seu materia, quum revelata sint. Et sacra Scriptura tota quanta est, his rebus et factis scatet; et ex libris duobus *Meditationum* S. Augustini luculenter patet; in utroque enim libro totus est in considerandis ejusmodi factis ac motibus. Tunc autem ex earum rerum consideratione excitatur affectus in Deum illarum auctorem; et sic videtur in iis libris exsequi S. Augustinus ; necnon, quod plus est, versatur in affectu erga Dei bonitatem meditatione et gratiarum actione. Quis enim considerans se vilem et abjectam creaturam, ad bona opera sine Dei auxilio inutilem, tot malis corporis et animæ obnoxiam, et tamen a summo primo et unico rerum omnium, et ipsiusmet meditantis creatore, ita diligi, ut elevatus sit ad supernaturalem ordinem, et vitæ æternæ capacitatem, et ad filiationis Dei ado-

Ex S. Augustino evidens probatio.

Ex natura rei oritur affectus in meditatione divinorum.

ptionem, tot sacramentis munitum, tot donis supernaturalibus fidei, spei et caritatis ornatum, tot auxiliis illuminationis et inspirationis ad bona opera confortatum, et in hac luce editum conservari, in ferventes affectus in benignissimum et amantissimum Dominum non prorumpet? Saxeus certe hic, et non carneus homo esset.

CAPITULUM IX.

AN OMNES HOMINES SINT CAPACES MEDITATIONIS.

Duplex personarum genus et duplex meditatio.

Adverto quod aliud est loqui de meditatione incipientium et communi, quæ regulariter fit, aliud vero de meditatione proficientium et perfectorum. De prima nunc loquor; de aliis postea.

Omnes sunt capaces meditationis, si instruantur.

Dico ergo primo : Omnes homines utriusque sexus, rationis compotes et instructi, meditationis communis et incipientium sunt capaces.

Probatur : Hæc actio est operatio intellectus et voluntatis, quæ potentiæ sunt omni homini communes. Ergo omnes usum rationis habentes, si instruantur quid sit meditatio, sunt capaces ut eam faciant.

Confirmatur : Omnis homo, etiam indoctus, rudis et rusticus, est capax cogitandi et considerandi aliquod suum negotium grave, sive commodum sive incommodum, et sistendi in eo, ut possit illud consequi si commodum, et vitare si incommodum : ergo poterit etiam cogitare et considerare novissima, si ea sibi explicentur, ut malum fugiat, et bonum sequatur. Si ei declaretur quid sit Judicium universale, quam terribile et tremendum, quid sit infernus, et quam horribiles in eo sint pœnæ, quid sit paradisus, et quam magna felicitas in illo, eaque æterna, quilibet, etiam idiota et rusticus, poterit ea considerare. Et

ita dicendum de aliis fidei mysteriis, præsertim de vita et Passione ac morte Christi, quæ facile capiuntur, ut experientia constat. Ergo sunt capaces meditandi illa, si de eis instruantur.

Probatur secundo : Quilibet capax rationis, etiam rusticus et idiota, tenetur facere examen conscientiæ, et dolorem habere de peccatis, et propositum non committendi de cetero, quæ præmittuntur ad orationem mentalem seu meditationem. Item est capax audiendi punctum illud, quod a lectore legitur vel prædicatur, et proponitur ad considerandum, verbi gratia, Judicium universale, pœnæ inferni, mors Christi pro nobis, etc. Certe quilibet etiam rudis potest pro suo modulo hæc cogitare et considerare, sicut posset considerare quod suus amicus aut dominus aliquod magnum beneficium sibi præstitit, vel pro se magnum detrimentum passus sit ; vel si aliquod bonum grande sit sibi conferendum, vel magnum aliquod malum sibi immineat. Patet ergo omnes homines utriusque sexus, si instruantur, esse capaces meditationis.

Præterea notorium est quod homo quilibet est aptus ad eliciendum aliquem effectum seu dilectionis actum, circa suum benefactorem, et circa res bonas et valde amabiles ; ideoque si rudibus et idiotis explicetur magna bonitas et amabilitas rei propositæ considerandæ, et infinita bonitas Dei, quæ eam fecit, aut si ipsemet Deus aut ejus perfectiones proponerentur considerandæ, nemo dicet quod homo, cui hæc proposita sunt, ea non diligat. In his autem duobus consistit meditatio ; ergo omnes sunt capaces illius.

In omnibus locis adsunt sodalitates, quæ meditantur aliquid.

Confirmatur ex facto : Nulla est civitas, nullum oppidum, nullusque vicus, in quo non adsit aliqua societas seu congregatio fidelium, quæ per aliquod etiam parvum temporis spatium orationi mentali non vacet, et in qua non legatur aliquod punctum, quod a confratribus consideratur seu meditatur ; et tamen in eis societatibus non omnes sunt docti, nec in illis mysteriis periti ; at punctum propositum meditantur. Et in aliquibus laudabilis quædam praxis est, ut rectores earum interrogent aliquos quam

illuminationem aut inspirationem habuerint in meditatione puncti propositi, vel quem fructum sibi utilem ex ea retraxerint. Ergo omnes apti sunt ad meditandum, si de meditatione instruantur.

Fideles vacant devotioni recitandi Rosarium.

Confirmatur secundo ex alio communi fere et notorio facto : Fideles innumeri vacant devotioni recitandi Rosarium ; et pro quolibet mysterio recitant unum *Pater* et decem *Ave Maria ;* et aliquantisper considerant successive mysteria illa pro quibus recitant *Pater* et *Ave,* alioquin frustra fieret divisio illa de tot *Pater* et *Ave*. Omnes ergo, vel meditantur ea mysteria, vel debent meditari, quum ea de causa, vel præfectus, si in congregatione recitetur, ea proponat, vel, si private recitetur, ea recolat recitans.

Non omnes sunt capaces proxime ad proficiendum.

Dico secundo : Non omnes sunt proxime capaces et apti ad proficiendum in exercitio meditationis, vel ad perveniendum usque ad finem seu perfectionem meditationis.

Notanter dixi *proxime,* quia remote omnes sunt capaces, si ex Dei adjutorio se disponant ad vitam spiritualem per viam purgativam, relinquendo mundi illecebras, et abjiciendo opera tenebrarum, cum observantia divinorum et Ecclesiæ præceptorum, et cum continuo virtutum exercitio, ut dicam infra, *De vita contemplativa, De unione* et *Mystica theologia*. At quia non omnes meditationi vacantes, ut palam est, ad hæc dispositi sunt, ideo nec proficiunt, nec perfecti evadunt.

Non omnes alicui professioni vacantes proficiunt, aut perfecti evadunt.

Probatur ergo experientia : Innumeri vacant meditationi, at pauci proficiunt, et paucissimi evadunt perfecti, sicut in omni professione artium et scientiarum, innumeri incipiunt studere, pauci proficiunt, et paucissimi evadunt perfecti. Ratio est, quia non adhibent quæ ad proficientiam et perfectionem requiruntur. Ut studens proficiat, plura debet facere, a pluribus abstinere, unde dixit doctus :

> Multa tulit fecitque puer, sudavit, et alsit;
> Abstinuit Venere et vino...

Ideo dictum est a philosopho quodam :

Virtutem posuere Dii sudore parandam.
Arduus est ad eam, longusque per ardua callis.
Asper et est primum, sed ubi alta cacumina tanges
Fit facilis, quæ dura prius, atque inclyta virtus.

Omnis ergo scientia omnisque ars labore, sudore, patientia et abstinentia a multis acquiritur.

Quænam retrahunt a studio meditationis.

At crapulæ, vino, somno, deliciis ceterisque illecebris deditus, raro vel nunquam artem vel scientiam, cui dat operam, acquirit, ut palam fit de scholaribus in quacumque scientia vel arte. Mille incipiunt philosophiæ vel theologiæ studere ; vix triginta prosequuntur aut proficiunt ; ex his autem vix quatuor aut quinque perfecti evadunt. Hæc autem orationis mentalis meditativæ professio, ut semper innui, et abundantius dicam de dispositione requisita ad profectum contemplationis, — quæ ad idem sunt, nam per meditationem fit transitus ad contemplationem, — requirit hominem spiritualem. Spiritualis autem est qui carnis opera exuit, mundo vale dixit, peccata mortalia abhorret, et a venialibus etiam quantum potest se abstinet ; virtutum theologalium et cardinalium operibus sedulo incumbit ; Deo in omni suo actu, verbo, gestu et cogitatione placere studens, ita ut, dicebat Apostolus, sit in carne præter carnem [1], sitque quasi spiritus. Iste proxime capax et aptus est ad proficiendum et, Deo dante, ad evadendum perfectum in meditatione et in contemplatione ad eam sequente, et ad unionem cum Deo, ac mysticam theologiam, de quibus dicam in suo loco.

Spiritualis quis est.

Requisita ad proficiendum et perfectionem.

Quare ex vacantibus meditationi, pauci proficiunt.

Mirum ergo non est si videmus tot homines utriusque sexus omnisque status et conditionis vacare orationi mentali ac meditationi, paucos tamen perfectos ; quia vel non prosequuntur in ea, vel si prosequuntur, spirituales non sunt, veterem hominem non spoliant, et novum non induunt.

1 Cf. Galat. II, 20.

CAPITULUM X.

AN PER MEDITATIONEM ACQUIRATUR UNIO CUM DEO.

Unio cum Deo duplex.

Quando unio cum Deo est perfecta.

Imperfecta unio cum Deo quæ.

Aliqua unio cum Deo acquiri potest per meditationem.

Adverto quod loquimur de unione non physica, sed morali et per affectum. Duplex autem excogitari potest unio cum Deo, quædam imperfecta, et quædam perfecta ; sicut inter homines duplex esse potest amicitia, et affectus etiam concupiscentiæ carnalis, quidam perfectus in suo genere, id est maximus, etsi malus, quidam vero imperfectus, id est parvus. Tunc autem unio est perfecta cum Deo, — ut fuse dicam de termino perfectæ contemplationis, — quando homo ad eum perfectionis statum pervenit ut semper fere in omni actu suo libere de Deo cogitet, tenero affectu in eum tendat, sibi sedulo cavens ne in minimo quidem ei displiceat ; et Deus illum multis donis cumulat : de qua unione ex instructione perfectorum mira referam in suo loco, de qua loquebatur Paulus : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* [1] ; et : *Mihi enim vivere Christus est* [2]. Imperfecta vero unio est, dum quis aliquoties cogitat de Deo, erga eum toties affectu et dilectione tendit, at non sic frequenter, neque continue cavet ne Deo displiceat, sed cavet tantum a mortalibus, et spiritualis esse non curat. Et hæc non est illa unio de qua mystici agunt, ut in proprio opusculo dicam.

Dico ergo : Per meditationem acquiri potest aliqua unio cum Deo, proportionata tamen conditioni et qualitati meditantis.

Probatur et declaratur hæc conclusio : Meditativus inci-

[1] Galat. II, 20. — [2] Philipp. I, 21.

piens, quoties meditatur, quamvis non semper divina Dei prædicata, sed creata objecta revelata, ut infernum, judicium et mortem, sæpe tamen divina, et dum meditatur creata, semper ordinem habet ad Deum et ad finem ultimum, et ita cogitat de Deo, et affectu in eum tendit, uterque autem actus, moralis seu affectualis unio est; sicut quum quis aliquem amicum habet, de illo cogitat, cogitando diligit, ei affectualiter unitus dicitur. Si autem frequentius exerceatur in meditando, sæpius de eo cogitat, sæpiusque diligit, et prosequendo acquiret habitum meditandi, de Deo cogitandi, eumque diligendi. Si autem, divina adjuvante gratia, non solum prosequitur, seque frequenter exercet in meditatione, sed etiam spiritualis effectus sit, — de qua spiritualitate postea dicam, — nedum habitum unionis suæ cum Deo acquiret, ut facile ac prompte continuo de Deo cogitet eumque diligat, ut testatur Sponsa : *Tenui eum, nec dimittam* [1]; sed acquiret unionem Dei secum, et reciproca tunc erit unio, de qua loquitur Salvator : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [2]; quia Deus continue eos fovet secretis illuminationibus ac inspirationibus, suavitate ac dulcedine quadam ineffabili, quas experti tantum eas dicere possunt, modo possint. In his ergo, ex continua Dei adsistentia, illuminatione, inspiratione ad spiritualium contemplationem, videtur vivere speciali modo Christus; unde Apostolus : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* [3]. Ideo qui ad ejusmodi unionem perveniunt, apparent semper abstracti, et quasi extra se positi; et interdum quibus Deus concedit, alienati a sensibus et extatici, ut si pungantur, trahantur, valido clamore vocentur, nil penitus sentiant. Hæc tamen, etsi perfecta sit, adhuc non est perfectior illa unio, quæ obtineri potest a meditativis et contemplativis spiritualibus in hac vita ;

Exemplum alicujus unionis cum Deo.

Quomodo acquiritur unio cum Deo.

[1] Cant. III, 4. — [2] Joann. XIV, 23. — [3] Galat. II, 20.

nam de ea fusius loquar in suo loco ; sublimior enim est et inexplicabilis.

Quæ unio obtinetur in meditatione.

Ex quibus colligitur, quod vacantes orationi et meditationi, quæ communiter fit sive in oratoriis collegialiter sive private, licet unionem et adhæsionem aliquam cum Deo acquirant, quia de eo sæpe cogitant, et cogitando diligunt, et aliquas illuminationes et inspirationes ad bona opera facienda a Deo obtineant ; — quam unionem et quos favores non habent qui de Deo non cogitant nec eum diligunt ; — tamen, quia adhuc non sunt effecti spirituales, non obtinent unionem perfectam Dei secum, de qua supra, ut ipsimet experiuntur ; paucissimi enim eam assequuntur, et qui spirituales sunt.

Unionem perfectam paucissimi acquirunt.

Tres unionis gradus ex S. Bernardo.

S. Bernardus[1] tres uniones, quas appellat oscula, inter Deum et fideles assignat. Primum appellat *propitiatorium,* quod habetur per remissionem peccatorum ; secundum osculum appellat *remuneratorium,* quod habetur per dona virtutum ; tertium dicitur *contemplativum,* quod habetur per contemplationem cœlestium. Itaque orationi mentali meditativæ vacantes, si, ut debent, mundo corde, id est sine letali culpa, ad Deum accedunt, et meditantur aliquod revelatum objectum fide creditum, jam unionem et osculum propitiatorium obtinuerunt. Si in ea oratione perseverant et habituantur, obtinent dona virtutum, quia in actibus virtutum tam cardinalium quam theologalium, Deo illuminante, inspirante et adjuvante, exercentur ; et sic obtinent osculum remuneratorium. Si tandem ex meditatione (ut regulariter fieri dicam) transeunt ad contemplandum, obtinent donum seu osculum contemplativum, quod alia duo etiam supponit. Et sic patet quod in oratione meditativa, etiam ante contemplativam, habetur aliqua unio cum Deo.

Quomodo acquiruntur.

Maximum argumentum ex Apostolo pro unione cum Deo.

Confirmari potest totum hoc ex famoso Pauli dicto : *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus*

1 *De diversis,* serm. 87, al. 52 ex parvis.

efficitur ? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est [1]. Super hoc, loco primo, Basilius ait : « Anima, quæ Christo copulata est, tanquam sapientiæ Verbi Dei sponsa, sapiens ac prudens sit necesse est ; stultitiæ et insipientiæ nota explosa, jugi divinarum rerum meditatione, sapientiæ, cui conjuncta est, ornetur pulchritudine, donec æternam sapientiam sibi penitus jungat, unumque cum eo cui inhæsit effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens ac sapientissima, tanquam Verbi cui adhæsit costa, atque ex homine mortali immortalis Deus, sicut ille cui conjuncta est, omnibus manifestetur [2]. »

Ex Basilio quomodo homo fit unus spiritus cum Deo.

S. Bernardus, de hac adhæsione et unione loquens, dicit : Anima quæ diligit Deum sponsa vocatur ; hæc enim duo nomina, sponsa et sponsus, maxime indicant internos affectus ; his enim omnia communia sunt — hereditas una, domus una, una mensa, unus torus, una caro [3]. Et paulo post : Sponsa itaque dicitur illa quæ amat [4] ; et cetera plura.

Ex S. Bern., multa de adhæsione et unione cum Deo.

Idem S. Bernardus, *De vita solitaria,* ait : Unitas spiritus cum Deo hominis cor sursum habentis, proficientis in Deum, voluntatis est perfectio ; quum jam non solum vult quæ Deus vult, sed sic est non tantum in affectu, sed etiam in effectu perfectus [5] ; et cetera multa. Quum ergo meditativus mundo corde adhæreat Deo, illum meditetur, illumque diligat, unionem aliquam sicut sponsa ad sponsum cum Deo habet.

[1] I Cor. VI, 16, 17. — [2] Basil. *De virginitate,* paragr. 50. — [3] Bern. *Serm. 7 in Cant.* — [4] *Ibid.* — [5] *Epist. ad Fratres de Mont. Dei,* cap. 3.

CAPITULUM XI.

AN MEDITATIO FIERI POSSIT CUM ADSPECTU IMAGINUM.

De quibus imaginibus est sermo.

Adverto hic fieri sermonem de imaginibus seu figuris externis, per quas repræsentantur vel Christus, beata Virgo aliique Sancti, vel mysteria nostræ fidei, quæ picturis vel sculpturis repræsentari solent. De imaginibus autem internis seu phantasmatibus, quæ repræsentant sensibilia in imaginatione seu phantasia, et de speciebus intelligibilibus, quæ repræsentant spirituali modo, et dicuntur ipsæ quoque imagines spirituales, loquar postea.

De externis.

Adverto secundo, quod de usu externarum imaginum potest esse duplex quæstio : prima, an in principio meditationis adhiberi possint; secunda est, an meditatio prosequenda sit in adspectu imaginum.

Illuminatorum error, quod non sit utendum imaginibus Sanctorum.

Adverto tertio, hunc alium errorem præ ceteris inter hæreticos Illuminatos (seu verius excæcatos) prævaluisse, quod nempe in oratione mentali nullo unquam modo utendum sit imaginibus, ne quis se ad adorandum colligat, quum ipsæ tantum ut blandimenta et illecebræ censeantur. Hoc Illuminati, ut in decimo octavo ex erroribus damnatis [1].

Dico primo : Multum proderit meditanti, si ante meditationem et initio ejus, perspiciatur aliqua imago repræsentans rem quæ assumitur meditanda.

Fortius movet objectum præsens, quam absens.

Probatur primo ratione, quia imago illa fortius movet, sensum excitando ad producendam speciem imaginariam, vivacius et expressius repræsentantem rem meditandam, ut si, verbi gratia, meditandum sit mysterium Nativitatis

1 Innocent. XI, Const. *Cœlestis Pastor*.

vel flagellationis vel crucifixionis Christi, vel aliud simile, imago seu pictura illud repræsentans fortius movebit potentiam imaginativam seu phantasiam ad producendum phantasma fortius et vivacius repræsentans nativitatem vel crucifixionem, etc. ; et ex illa specie intellectus agens vivaciorem et expressiorem speciem intelligibilem producet, quam si, ex simplici lectione aut auditione talis rei meditandæ, phantasma illud et ex eo species intelligibilis produceretur.

Cur picturæ in ecclesiis ponuntur.

Confirmatur ex dicto S. Bonaventuræ, licet ad aliud propositum, in tractatu *De septem donis* dicentis : Idcirco pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent[1].

S. Bernardus multa dicit de hoc.

S. Bernardus, in prolixa illa epistola *De vita solitaria ad Fratres de Monte Dei,* longe post medium, loquens de tironibus et incipientibus et aliis meditantibus, dicit : « Hujusmodi homini oranti vel meditanti, melius ac tutius, sicut jam dictum est, proponitur imago dominicæ Humanitatis, Nativitatis ejus, Passionis et Resurrectionis, ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corpora et corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui juxta modum suum pietatis intuitu inhæreat[2]. » Et quilibet in se ipso potest experiri quod, si orare velit ac meditari aliquod mysterium fidei, facilius, promptius et alacrius, ac cum majori fervore et pietate illud meditatur, si præ oculis mysterium illud in aliqua imagine videat, quam si solum audiat aliquem illud proponentem, vel de ipso alias considerato recordetur. Hinc est quod præclaros quosdam et orationi deditos Sanctos videmus pingi genuflexos ante imaginem Salvatoris vel nati vel flagellati vel crucifixi ; et hoc est signum quod sæpe hoc modo et ex ejus adspectu incitabantur ad meditandum et contemplandum. Itaque imaginum adspectus in principio meditationis, non solum

Experientia comprobatur.

[1] Bonav. *De septem donis,* cap. 2. — [2] *Epist. ad Fratres de Mont. Dei,* cap. 3.

non debet prohiberi a directoribus orantium, sed debet eis enixe suaderi.

Quando non debent adspici imagines.

Dico secundo : Postquam meditans ex imaginis adspectu mysterium jam concepit, et experitur se plene illud percepisse, et ad pietatem se incitatum, debet ab adspectu imaginis externæ divertere, et mysterium illud solo corde seu mente considerare.

S. Bernardus expresse probat conclusionem.

Probatur ex D. Bernardo totidem fere verbis in supracitato loco id docente, sic : « Docendus est etiam in oratione sua sursum cor levare, spiritualiter orare, a corporibus vel corporum imaginibus, quum Deum cogitat, quantum potest recedere. Admonendus est quanta potest pietate cordis intendere in eum cui sacrificium orationis suæ offert, se ipsum attendere qui offert, intelligere quod offert ; quantum enim videt vel intelligit eum cui offert, tantum ei in affectu est..., quantumque ipse ei in affectu est, tantum sapit ei hoc ipsum, si dignum Deo est, quod offert, et in eo sibi bene est[1]. »

Documenti istius ratio.

Ratio autem documenti istius clara est ; quia si meditans, postquam ex imaginis adspectu excitatus est ad pietatem et considerationem mysterii, prosequitur in adspectu imaginis, distrahitur ad considerandum vel colores vel lineamenta vel peritiam artificis vel similitudinem illius cum aliis pulchrioribus vel deterioribus, et sic evanescens in iis cogitationibus non considerat mysterium, nec elevatur ad Dei meditationem ; et hac de causa provide ac prudenter consultum puto religionibus et congregationibus quæ meditationi vacant, ut in pluribus et vidi et audivi fieri, quod tempore meditationis, postquam lector legit punctum meditandum, nedum fenestræ clauduntur, sed candela exstinguitur, ne oculi alia videant objecta a quibus distrahi possint; et consequenter corde tantum seu mente laborent orantes, id est considerent solum quod lectum est, ipsumque Deum quem mysterium illud patrasse credunt, ut et circa illum afficiantur.

Praxis bona meditantium, ne distrahantur.

1 *Epist. ad Fratres de Mont. Dei,* cap. 3.

S. Dionysius videtur explicite hoc docere.

Confirmari potest totum hoc ex S. Dionysio Areopagita, *De mystica Theologia ad Timotheum,* ubi ait : Tu autem, o amice Timothee, et sensus relinque, et sensibilia exercitia, et omnia sensibilia, forti conatu mentis hæc supprimente [1]. Et inde clarius comprobatur ; quia, ut dicam de contemplatione, præsertim infusa, quum Deus eam concedit alicui, abstrahit et alienat eum a sensibus, ut pro tunc nihil sentiat per ullum sensum externum aut etiam internum.

Idem sentit Rusbroch.

Et hoc voluit docere Joannes Rusbroch, *De vera contemplatione,* ubi loquens de contemplativo ait : « Oportet... introversum esse in otium sanctum, quod nullas admittat, sed omnes excludat imagines [2]. »

Imo adeo tenaciter auctores multi, ut dicam de contemplatione, tenent non utendum imaginibus in contemplatione ac meditatione, ut dicant abjiciendas etiam internas imagines, nempe phantasmata, et in solis speciebus intelligibilibus esse intuendum. Sed de hoc puncto ibi loquar.

Nunc ergo dico quod meditans, licet in principio aliquantum adjuvetur adspectu externæ imaginis repræsentantis mysterium meditandum, quum tamen fuerit ad id incitatus, abstinere debet ab ejus adspectu, ut corde seu mente consideret veritatem mysterii, et non distrahatur. Hinc est quod orantes mentaliter, frequentissime oculos claudunt, et in solitariis locis recedunt, ne aliquid sensibile sentiant, non ex alio capite, nisi ne in actu illo turbentur et distrahantur : imo ex alio capite in progressu orationis a sensibili imagine, a qua incitati sunt, abstineant ; quia ad Deum ascendere debent, quod per mentem, non per oculos facere debent.

Consilium necessarium oranti mentaliter.

1 Dion. *Myst. theol.* — 2 Rusbr. *De vera contempl.,* cap. VII.

CAPITULUM XII.

AN ET QUANTUM DURARE DEBEAT MEDITATIO.

Duplex quæsiti sensus.

Adverto duplicem esse hujus quæsiti sensum. Primus, an post hanc vitam durare debeat in alia vita meditatio, sicut durabit — ut in suo loco dicam — contemplatio, quæ ex S. Gregorio *hic inchoatur, et ibi perficitur* [1]: et de duratione meditationis in hoc sensu hic non loquor; nam quidquid sit, an in patria Beati discurrere possint de iis quæ vident in Deo et Deus eis revelat, cognoscentes causam et effectum ab ea pendentem, tamen quia hoc fieret uno et eodem actu, et sic potius esset virtualis discursus, non autem formalis, qui requirit plures actus successivos unum post alium, et quia hoc dubium est mere theologicum, parum juvans, imo multum distrahens meditantes, omitto discussionem ejus.

Sensus qui inquiritur.

Alter sensus est, an sit præfixum aliquod temporis spatium, per quod meditans durare debeat in meditatione; et hoc est quod hic inquirimus : ideo

Adverto secundo, quod, ut in superioribus diximus, — quum ad orationem mentalem meditativam concurrant plures partes, nempe examen conscientiæ, detestatio peccatorum, si adsint, et propositum emendationis et confessionis, ut meditatio seu etiam contemplatio sit fructuosa, insuper lectio vel auditio aut recordatio puncti meditandi, petitio auxilii divini ad fructuose et attente meditandum, meditatio ipsa, gratiarum actio et postulatio, quæ omnia ad veram et propriam meditationem sunt necessaria,— dum quæritur quantum durare debeat meditatio, esse potest

1 Greg. *Moral.* lib. XXX.

sermo, vel de ea secundum omnes has partes, vel de ea solitarie accepta.

Dari nequit certa durationis regula pro meditatione.

Dico igitur : Dari non potest certa regula de duratione meditationis quoad omnes partes ; sed verus meditativus posset sibi quoad eas præfigere saltem mediam horam, nisi aliter Deus illum dirigat protrahendo, vel aliter ipse meditans sit dispositus vel indispositus.

Probantur et explicantur singulæ partes : prima, scilicet quod dari non possit certa regula, patet ex diversa hominum naturali constitutione, et ex diversa devotione ac Dei favore. Multi enim sunt veloces in operando, ut biliosi, et hi citius se expediunt ab omnibus iis partibus ; alii sunt pituosi seu flegmatici, et hi tardius. Item, aliqui sunt magis devoti, utpote magis alieni a curis etiam domesticis, et hi facilius ad eas partes obeundas se applicant ; alii implicati in curis illis etiam honestis, et hi tardius ac difficilius. Tertio tandem, aliqui ex speciali Dei favore nedum attentius, sed suavius in eis perficiendis majorem trahunt moram ; et sic regula certa nequit assignari pro meditationis quoad omnes partes mora.

Verum tamen est quod in monasteriis, collegiis et congregationibus, in quibus adest meditationis exercitium, oportet se conformare consuetudini illius cœtus, et distribuere tempus quod fuerit assignatum pro meditatione, ea ratione ut media pars talis temporis inserviat pro functione meditationis, alia vero medietas pro ceteris partibus. Ideo in iis locis pro recta exercitii hujus directione deberet assignari determinatum tempus pro tota actione, ut religiosi vel confratres possint tempus distribuere, et integrum exercitium peragere ; et nisi ita fiat, et pro arbitrio directoris modo plus, modo minus concedatur tempus, sine devotione ac sine fructu, et cum turbatione teritur tempus. Advertant, quæso, ad hoc directores.

Consilium circa temporis distributionem.

Media hora poterit decerni.

Secunda pars, quod vacans meditationi potest mediam horam in tota illa functione insumere, nec se urgere ad prolixius tempus, probatur, tum quia in eo spatio, nisi distractionem multam patiatur, omnes eas partes perficere

potest, tum etiam quia si ulterius se extenderet, defatigaretur; *corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam*[1], et semper ad corporalia et sensibilia trahit, ut experiuntur meditativi et contemplativi.

S. Gregorii ratio cur ulterius non protrahitur regulariter.

Et hæc revera est ratio S. Gregorii, ad quæstionem cur contemplatio brevis esse soleat, — eadem autem est ratio de meditatione; — sic autem dicit : Debet esse silentium mediæ horæ, nam *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*[2]; quia quum ad contemplanda cœlestia animus ducitur, objectis actionis illicitæ imaginis reverberatur; nam carnis repente hunc stimulus sauciat, quem extra carnem contemplatio sancta rapiebat. Cœlum ergo et infernus simul coarctantur, quum unam eamdemque mentem, et sublevatio contemplationis illuminat, et importunitas tentationis obscurat, ut videat intendendo quod appetat, et succumbendo in cogitatione toleret quod erubescat[3], quia Deus ad majus meritum id permittit.

Impedimenta, ne multum duret.

Haimo et Ansbertus declarantes locum Apocalypsis : *Quum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora*[4], dicunt : Per silentium mediæ horæ significatur brevitas quietis in contemplatione rerum cœlestium, quam Deus Sanctis in hac vita concedit, ut futuram felicitatem prælibent et prægustent. Et Cornelius a Lapide, qui in eo capite id refert, subdit : « Dico, brevitas, nam mox post eam ingerunt se et obtrudunt animo varii cogitationum tumultus[5]. »

Corollarium pro durationc.

Ex quibus clare patet, et experientia confirmat, quod mentalis oratio, sive meditativa sit, sive etiam contemplativa acquisita, diu durare non potest, ob miserias et indigentias corporales, et ob tentationes diabolicas; præterea pro tota functione sufficiens videtur mediæ horæ spatium ad meditationem peragendam.

Ex diversa dispositione meditantis.

Dixi : Nisi aliter meditans sit dispositus vel indispositus; quia si dolore aliquo vel debilitate correptus sit, non po-

1 Sap. IX, 15. — 2 *Ibid.* — 3 Greg. *Moral.* lib. XXX. — 4 Apoc. VIII, 1. — 5 Corn. a Lap. *Comm. in Apoc.* VIII. 3°.

terit tanto tempore durare, et aliquando vix incipere; unum enim ex iis quæ mentalem orationem impediunt ex D. Bernardo, est sensus egens, id est corpus indispositum.

Aliqui multum durant ex Dei favore.

Aliquando vero meditans, vel ex speciali Dei favore, vel quia a curis mundi solutus nulla urgetur molestia, potest interdum ulterius progredi in meditatione, ad quam quietem Deus specialiter concurrit impediens perturbationes, ut habetur in Cantico Canticorum, ubi sponsus inquit : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* [1]. Glossa interlinearis, ad verbum *suscitetis,* ait : « Tumultu carnalium perturbationum, a quiete placidissimæ devotionis, qua conspectibus sui Conditoris adstare delectatur. »

CAPITULUM XIII.

DE DISTRACTIONE, DEBILITATE AC ARIDITATE OCCURRENTIBUS IN MEDITATIONE, ET DE REMEDIIS CONTRA EAS.

Oranti quovis genere, sive vocaliter sive mentaliter, meditando aut contemplando, plura solent occurrere quæ orationem impediunt, et orantem graviter affligunt, et præsertim ista quatuor : nempe distractio, debilitas, ariditas et tentatio, quæ quidem Deus ad agonem permittit ad probandum orantis patientiam et constantiam. De duabus primis nunc loquor, postea de tertia in tractatu *De contemplatione.*

Distractio quid sit.

Adverto igitur quod distractio aliud non est quam elongatio seu alienatio mentis a principali objecto quod

[1] Cant. VIII, 3, 4.

quis considerare ab initio proposuit. Accidere autem potest naturaliter seu casualiter, et libere seu cum consilio et cum deliberatione. De hac secunda non loquor, quia fatuus esset orans, et Deum tentans, ut dicitur in Ecclesiastico [1], quia positus ante Deum ut cum eo loquatur, laudet et gratias agat et petat beneficia, in eo actu voluntarie diverteret se ab eo; esset enim contemptus magnus Dei: sed loquor de distractione naturali casuali, et diabolica; utroque enim modo accidere potest; vel enim insurgunt phantasmata curarum naturalium, et præsertim earum quæ præcesserunt immediate vel paulo ante meditationem, vel dæmon ipse ea suscitat ad diversionem, et ad impediendam orationem. Quæ quidem distractiones mirum in modum cruciant orantem, sive meditantem sive contemplantem. Proinde remedium aliquod contra morbum hunc est oranti exhibendum, ne turbatus, animum despondens ac desperans se posse proficere, ab exercitio orandi desistat.

Duplex est: cum deliberatione et sine ea.

De casuali distractione est sermo.

Distractiones cruciant orantem.

Adverto secundo, quod aliud, idque non minus grave tormentum meditativorum et contemplativorum est ariditas spiritus seu devotionis, quæ aliud non est, nisi deficientia quædam et acedia quædam sensus, et quasi repugnantia ad consueta spiritualia exercitia, et devotionis carentia; quæ sanctos ac perfectos etiam homines, et multo magis proficientes, maxime vero incipientes torquere solet, quia dum in ea tribulatione sunt, putant se a Deo derelictos, suaque exercitia Deo non placere, nec progredi posse; et turbati cogitare solent de retrogressione: qui quidem cruciatus in eis terribilis est. Propterea remedio aliquo est eis subveniendum. Sed de hoc plenius loquar in opusculo *De contemplatione*, quum de purgatione passiva.

Ariditas grave tormentum orantium.

Dico primo: In casu distractionis, dum meditans vel contemplans advertit, debet denuo mysterii considerationem reassumere. Quod si non possit se recolligere, quia adhuc

Quid agendum in distractione.

1 Eccli. XVIII, 23.

distractione retrahitur, vel fatigatus est, oret Deum ut ipsum adjuvet, et non debet otiosus ullo modo manere, sed vel punctum quod considerat in libro relegat, vel aliud novum ex libro excipiat, et in ejus lectione moretur donec tempus consuetum prætereat, vel vocaliter oret, sive jaculatoriis dictis, sive Psalmorum recitatione, sive aliis orandi formulis sibi consuetis, et de involuntaria illa molesta ac pertinaci distractione ac revocatione ad alias curas minime turbetur ; Deus enim non jubet impossibilia fragilitati naturæ, sed, ut ait S. Augustinus, « jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis [1] ; » et adjuvat ut possis. Distractiones involuntariæ ex defectu naturæ corruptæ oriuntur, et ideo imputabiles non sunt, quia naturales et inevitabiles. Sufficit enim oranti bona voluntas attendendi dum ad orationem accedit et prosequitur, quamvis postea involuntarie distrahatur, et intendat eam distractionem fugare, licet non possit. Refert enim Blosius Deum sic revelasse S. Gertrudæ : « Vellem electis meis persuasum esse, quod eorum bona exercitia et opera mihi omnino placeant quando ipsi serviunt expensis suis : illi autem expensis suis mihi servitium præstant qui, licet saporem devotionis minime sentiant, fideliter ut possunt orationes et alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illa libenter et grate suscipiam. Plerique sunt, quibus si sapor et consolatio interna concederetur, eis non prodesset ad salutem, et meritum ipsorum valde minueretur [2]. »

Non desperandum de divino auxilio in eo casu.

Consolatio pro orantibus ex S. Gertrudæ exemplo.

Notabile documentum.

De corporis vero debilitate, quum omnibus nota sit, nihil dico, sed S. Bonaventuræ consilium pro debilitatis orantibus adducam.

S. Bonaventura, in casu quod ex debilitate capitis deficiat devotio, et consequenter adsit distractio, consulit sic : Ad hoc, salvo meliori judicio, videtur consulendum nimis debilibus, quod interdum possunt se utiliter subtrahere a studio devotionis, et conatu proprio non adhuc instare, ne

Pro debilibus consilium S. Bonaventuræ.

[1] Aug. *De nat. et grat.*, cap. 43. — [2] Blos. *Concl. anim. fid.*, II, 3.

quasi extorquendo exprimant devotionis affectum, quia tales violenti conatus debilitant etiam validiores : si autem sine laborioso conatu offert se gratia, et ingerit se illis non quæsita, nec abjiciant eam ex toto, nec se totos immergant ei, maxime si vehementer ex hoc debilitari se sentiant; sed temperate et in quadam spiritus libertate superficialiter inhæreant, juxta illud Proverbiorum : *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi* [1], quod satis est juxta virium tuarum mensuram. Et infra de debilibus corpore dicit : Isti quo magis volunt contra debilitatem conari, eo minus possunt; et ideo consultius videtur consolationes divinas moderatius quærere quum debilitas corporis obsistat, ut diuturnius eis frui possint, et auctas tolerare, quam ad breve tempus ita eis indiscrete delectari, ut ea postea fugere oporteat, et sine spe recuperandi propter virium defectionem [2], etc.

Quid faciendum in casu debilitatis.

Utile consilium.

Dico secundo : In casu ariditatis seu deficientiæ devotionis, luminum ac inspirationum divinarum, quæ crebro meditativis et contemplativis contingere solent, ad remedia orationum jaculatoriarum, lectionis librorum sacræ Scripturæ, aliorum spiritualium et vitarum Sanctorum, nec non ad examen et purgationem conscientiæ est recurrendum.

In ariditate quid faciendum.

Probatur et declaratur in hoc loco obiter, quia in opusculo *De contemplatione,* quum de purgatione passiva loquemur, de ariditate erit prolixius agendum.

Quum ergo personis spiritualibus contingit ariditas, id est deficientia devotionis et divinarum illustrationum, examinare debent conscientiam, an causam dederint aliquo peccato gravi vel levi deliberate, et debent emendare per sacramentum Pœnitentiæ, et sic auferre obicem. Si vero causam nesciant invenire, putent ex aliquo motivo, ad eos purgandos et probandos, Deum eos mortificare. Et S. Bonaventura, loco supra citato, quatuor assignat causas, ut dicam in loco *De contemplatione;* at præcipua est humiliatio ad patientiam et meriti augmentum. Ideo non

Quid agendum in casu ariditatis.

Plures causæ ariditatis.

[1] Prov. xxv, 16. — [2] Bonav. *De profect. relig.*

Ob bonum orantium Deus permittit ariditatem.

desperent, quasi Deus eos despiciat, aut parum vel nihil eorum existimet opera. Recordentur quod Sancti innumeri pro aliquo tempore sic relicti sunt, et quod Salvator ipse in exemplum suorum servorum in Cruce clamaverit : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* [1] ? Sperent ergo in eum; commendent se illi jaculatoriis orationibus; humilientur, reputantes se indignos divinis favoribus ; legant sacram Scripturam, quia *verbum Domini non revertetur vacuum* [2] ; legant alios spirituales libros vel Sanctorum vitas in quibus similia legent; et exspectent ; *bonum est* enim *præstolari cum silentio salutare Dei* [3].

1 Matth. xxvii, 46. — 2 Is. lv, 11. — 3 Thren. iii, 26.

OPUSCULUM TERTIUM

DE

ORATIONE CONTEMPLATIVA

SEU

DE CONTEMPLATIONE

CAPITULUM PRIMUM.

AN DETUR ORATIO DICTA CONTEMPLATIO.

Duplex genus contemplationis : philosophica et religiosa.

Adverto primo, quod inter actiones intellectuales, datur una quæ dicitur contemplatio, quæ, ut postea dicam, est quidam simplex et fixus intuitus intellectus sine discursu circa rem aliquam, seu veritatem aliquam præconceptam talem. Et sicut diximus de meditatione, contemplatio duplex est : quædam pure philosophica, quæ habet pro objecto res mere naturales, ut quum quis philosophus aut mathematicus pervenit per unum aut plures discursus ad notitiam veram alicujus propositionis, illam simplici ac fixo intuitu cum admiratione intellectualiter cernit; quædam vero est contemplatio religiosa, qua intellectus, percepta aliqua veritate seu objecto revelato et per actum fidei credito, figit in objecto illo intuitum simplicem, non discurrens circa illud, et durat in eo intuitu quamdiu vult, ut per quadrantem aut semiquadrantem, vel magis aut minus, ut dicetur postea, dum assignabun-

tur ejus natura, proprietates et accidentia seu circumstantiæ.

Species orationis mentalis est.

Adverto secundo, quod sub genere orationis mentalis ponuntur, tanquam species, contemplatio et meditatio. Quum revera neutra proprie sit oratio, quia neutra est petitio, aut laudatio, aut gratiarum actio, puto quod ea sola ratione dicitur utraque oratio, quod in utraque adest *elevatio seu ascensio mentis in Deum,* quæ ex S. Augustino et S. Joanne Damasceno est definitio orationis generice sumptæ. Et ideo omnes mystici utramque sub titulo seu genere orationis collocant; et præ ceteris S. Bernardus in tractatu *De scala claustrali seu modo orandi,* ubi loquitur de his operationibus orantis, scilicet de cogitatione, meditatione, contemplatione et oratione seu petitione. At quidquid sit de nomine, rem contemplationis religiosæ inquirimus.

Cur contemplativa vocetur oratio.

Monitio necessaria fidelibus, ne abhorreant contemplationem.

Adverto tertio, et serio moneo tirones et ceteros fideles spiritualium cogitationum et orationis inexpertos, ne terreantur quum contemplationem audiunt, quasi res quædam sit dura, difficilis, imo moraliter impossibilis et ex singularissimo Dei dono solis anachoretis concessa; nam, ut in suo loco dicam, non est ita, loquendo de communi seu acquisita et, ut communiter dicitur, naturali contemplatione; quia, ut dicam de subjecto capaci contemplationis, S. Gregorius Magnus ait personas omnis generis et sexus et cujusvis conditionis esse capaces contemplationis, si instruantur [1]. Imo S. Bernardus et S. Bonaventura, ut infra dicam, inquiunt idiotas et simpliciores esse ad eam aptissimos. De infusa vero seu supernaturali contemplatione verum quidem est, quod non est omnibus cujuscumque status et ordinis communis, sed paucissimis in spirituali vita perfectis aut proficientibus, ex specialissimo Dei favore, ut in proprio loco dicetur. Sicut autem omnes fideles, si instruantur, sunt capaces meditationis rerum revelatarum; ita, si instruantur, sunt

Simpliciores ad eam acquisitam apti sunt. Infusa contemplatio non omnibus conceditur.

[1] Greg. *Hom. 5 in Ezech.*, al. 17.

capaces communis et acquisitæ contemplationis ; quia a meditatione regulariter transitur ad contemplationem. Sed de his postea : sufficit nunc prælibare facilitatem communis et acquisitæ contemplationis, et horrorem ejus fugare.

A meditatione fit transitus ad contemplationem.

Adverto quarto, pro facili intelligentia dicendorum in toto hoc opusculo, quod non statim ac aliquis instructus incipit aliquos actus contemplandi exercere, evadit habituatus contemplativus. Sicut experimur in ceteris artibus ac scientiis, quod studentes iis per paucos actus non statim evadunt artifices aut scientifici, imo innumeri incipiunt, pauci proficiunt, et paucissimi evadunt in arte vel scientia perfecti ; sic in contemplativis, imo et meditativis accidit : ideo mirum non est si pauci proficiunt ; quia non perseverant.

Ex pluribus actibus fit habitus contemplandi.

Adverto quinto, quod contemplatio seu oratio contemplativa ex sui natura non facit hominem sanctum, sicut neque meditatio seu meditativa oratio ; aliunde enim oritur sanctitas, ut dicam de via purgativa in suo loco. Ideo mirum non est si homines cujuscumque conditionis, etiam peccatores, congregationes frequentant in quibus exercetur meditatio vel contemplatio ; quamvis enim in peccatoribus actus illi fructuosi seu meritorii non sint, tamen non propterea cessant boni esse ; sicut actus fidei, vel spei, aut misericordiæ et cetera in peccatore, etsi meritorii non sint, tamen mali non sunt, sed boni ex natura sua, et satisfactorii, si adsit obligatio eos exercendi. Et in iis hominibus meditatio et contemplatio sunt puræ et meræ speculationes, seu considerationes theologicæ rerum revelatarum circa quas sunt. His ergo pro nunc prælibatis,

Etiam peccatores vacant communi contemplationi.

A paritate aliorum actuum virtutum.

Dico : Inter actus intellectuales pietatis ac religionis, datur hic qui dicitur *contemplatio*.

Probatur primo : Datur hic actus contemplandi pure naturalis, id est cum attentione cogitandi circa objecta pure naturalia ; ergo admitti etiam debet circa objecta revelata et per fidem credita. Antecedens de naturali cogitatione

A paritate philosophicæ contemplationis.

Exempla multa.

probatur ex Genesi : Eliezer, Procurator Abrahæ, potatus a Rebecca prope puteum Haran, *contemplabatur eam tacitus* [1], etc. In Levitico, ad discernendum qualitates lepræ dicitur : (Sacerdos) *die septimo contemplabitur, si obscurior fuerit lepra* [2]. In libro Numerorum legitur : *Viri quos miserat Moyses ad contemplandam terram...* [3]. Et alibi pluries fit mentio de hoc vocabulo et actu intellectuali contemplationis naturalis seu philosophicæ, circa objecta naturalia tendentis. Consequens primi argumenti probatur : Objecta revelata, percepta et credita ab homine, non sunt minus cognoscibilia, obscure tamen et confuse et distincte, quam sint naturalia ; et sicut homo illa credit et meditatur, ita potest illa contemplari.

Probatur ex S. Scriptura.

Probatur secundo, ex sacra Scriptura, dari hanc contemplationem religiosam : Salomon considerans statum suum et quanta dona a Deo acceperat, sapientiam, scientiam, prudentiam, justitiam, cor docile, etc., dicit : *Mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. Dedique cor meum, ut scirem prudentiam* [4], etc. Et alibi ait : *Transivi ad contemplandam sapientiam erroresque et stultitiam* [5], etc. Alio in loco dicit : *Rursum contemplatus sum omnes labores hominum* [6], etc. Ex epistola ad Corinthios, ubi dicitur : *Leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis ; non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur ; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt* [7].

Est communis Patrum sententia.

Probatur tertio ex communi Patrum sententia ; quia de nobilissimo hoc intellectus actu contemplandi, dicto, facto et scripto tractarunt, quorum auctoritatibus in hoc opusculo sæpe utemur, ut sunt S. Dionysius Areopagita et alter Cartusianus, S. Augustinus, S. Basilius, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Bernardus, Richardus de S. Victore, et alii innumeri, qui de contemplatione egerunt.

[1] Gen. XXIV, 21. — [2] Lev. XIII, 6. — [3] Num. XIV, 36. — [4] Eccle. I, 16, 17. — [5] *Ibid.* II, 12. — [6] *Ibid.* IV, 4. — [7] II Cor. IV, 17, 18.

CAPITULUM II.

QUID SIT, SEU IN QUO CONSISTAT CONTEMPLATIO RELIGIOSA.

Plures contemplationis definitiones idem significantes.

ADVERTO quod diversis loquendi modis, idem tamen in re significantibus, a sanctis Patribus definitur contemplatio ; ideoque aliquorum præcipuorum definitiones adducam pro nunc, et in sequentibus ejus proprietates, conditiones et accidentia referam, ut omnibus clare pateat quam facile sit contemplationis exercitium, quod a multis putatur durum.

S. Augustinus ait : « Contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio [1]. »

S. Bernardus dicit : « Contemplatio est verus certusque intuitus animæ de quacumque re, sive apprehensio rei non dubia [2]. »

S. Thomas dicit : « Contemplatio est simplex divinæ veritatis intuitus, cessante discursu [3]. »

S. Bonaventura ex Richardo de S. Victore dicit : « Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa [4]. »

Adæquate contemplatio consistit in duplici actu, intellectus intuentis, et voluntatis amantis.

Et infra explicans hanc Richardi, quem sequitur, definitionem, addit etiam saporem et amorem, dicens : « Accipit contemplationem non ut est actus intellectus præcise, sed etiam ut saporosam dilectionem includit, nam sapientia a sapore dicitur [5]. » Et post multa concludit : « Actus igitur contemplationis duo includit, scilicet cognitionem et saporosam dilectionem ; et dilectio adjuvat cognitionem [6], etc. » Sed de hac saporosa dilectione, quæ est affectiva

1 *De spiritu et anima*, cap. 32.— 2 *De consider.*, II, 2.— 3 2. 2, q. 180. — 4 Bonav. *De sept. itin.*, it. 2, dist. 2. — 5 *Ibid.*— 6 *Ibid.*

pars, dicam postea ; nunc enim de cognoscitiva parte contemplationis loquor.

Ex his ergo definitionibus, et maxime ex ea S. Thomæ, clare patet quod contemplatio est ille actus quo intellectus, apprehenso aliquo revelato, et assensu fidei circa illud elicito, figit intuitum simplicem et firmum in ipsum ; non amplius de eo discurrens, sed firmus in illo intuens manet intellectus.

Clara explicatio contemplationis, quid sit.

Exemplificatur et clarius explicatur : Legit aliquis vel audit legentem aliquem articulum fidei, verbi gratia, *Filius Dei est incarnatus ;* apprehendit hanc propositionem, et Dei gratia adjutus credit esse veram ; discurrit regulariter circa rem et modum, supposito illo actu credendi, et tunc meditatur ; deinde, determinato discursu circa objectum illud verum, scilicet *Filium Dei incarnatum,* non amplius discurrit, sed considerat veritatem illam, figens aciem mentis in ea, intuendo ipsam simplici actu ; tunc vere et proprie contemplatur. Et ita dicendum de aliis omnibus factis et dictis revelatis, quæ hoc modo homo potest contemplari.

Exemplum contemplationis.

Exemplificatur secundo, paritate periti pictoris vel sculptoris ; hic enim vel ille videns aliquam statuam aut picturam, considerat omnia quæ in ea sunt, scilicet partium proportionem, ordinem, colores, lineamenta, etc. Hæc consideratio atque discursus circa tales partes est velut meditatio ; et postea per simplicem intuitum, absque ulteriori discursu, cum admiratione, quasi extra se actus, intuetur illius picturæ seu sculpturæ excellentiam. Sic prorsus in contemplationem accidit. Legit quis vel legentem audit, vel sine lectione aut auditione, reflectens ad ea quæ alias legit vel audivit, recordatur de aliquo mysterio fidei, verbi gratia, flagellationis Domini Salvatoris ; si vult illam meditari et contemplari, credens eam exstitisse, considerat nuditatem Domini, ligamen ad columnam, sævitiam carnificum acuminatis flagellis sanctissimum corpus cædentium, Christi erubescentiam, mansuetudinem, patientiam, humilitatem, seu vilitatem illam et eum dolorem

Quid facit contemplativus.

pro nobis sufferentem; tunc discurrens per hæc omnia meditatur; deinde, completo discursu isto, admirans spectaculum illud, et quasi extra se positus simplici intuitu, non amplius discurrens, firmus intuetur; et in hoc actu consistit contemplatio. Et ita dicendum de omnibus aliis actibus contemplandi quodcumque aliud objectum revelatum.

Aliud exemplum philosophicæ contemplationis.

Confirmatur exemplo philosophicæ seu naturalis contemplationis rerum pure naturalium. Cicero enim primo Academ inquit : Contemplatio est animi consideratio, et intuitus rerum abditarum [1]. Quum etenim aliquis investigat alicujus rei naturam, et veritatem absconditam, dum ad eam pervenerit, cum admiratione aciem mentis in ea figit seu intuetur, non amplius inquirens et discurrens, sed videns.

Theologi contemplantis aptum exemplum.

Confirmatur secundo, exemplo theologi speculantis aliquod fidei mysterium, verbi gratia, Deum unum in essentia, et trinum in personis. Omnium primo credit hoc mysterium; postea rimatur seu investigat quomodo hoc sit possibile, ut una individua natura, indistincta realiter a personis, reperiatur in illis tribus realiter inter se distinctis; et, perpensis pluribus exemplis, non invenit similitudinem. Tandem considerans infinitatem Dei, et reflectens ad revelationem Dei, qui nec fallere nec falli potest, sistit intuendo per speculum in ænigmate cum admiratione veritatem illam unitatis essentiæ in trinitate personarum. Sic facit contemplans aliquod revelatum.

Beatorum contemplationis exemplum.

Confirmatur tertio, exemplo contemplationis Beatorum, qui simplici intuitu Deum vident sine formali discursu, et in Deo quoque vident illa objecta creata quæ vult Deus eis ostendere. Licet multiplex sit differentia inter hanc nostram in via et illam Beatorum in patria contemplationem, quia Beati non obscure et per fidem, sed clare et evidenter Deum et divina contemplantur, nos vero in via per fidem obscure et abstractive, in speciebus phantasticis

[1] Cic. I Acad. (?)

ac intelligibilibus, divinas seu revelatas res cognoscimus, imo isti fidei nostræ de divinis, ait S. Augustinus, succedit eorum visio in patria ; paritatem vero dicimus esse solum in modo cognoscendi seu intuendi sine discursu : et ex S. Gregorio, contemplatio inchoatur in via, sed perficitur in patria [1].

Ex quibus omnibus statuitur quod contemplatio ex parte cognitionis, ut differt a meditatione, ex infra dicendis, est actus ille quo intellectus, supposito actu credendi aliquid revelatum, et discursu facto circa illius partes, naturam et alia, sistit in simplici intuitu seu cognitione veritatis illius cum admiratione et sapore amoroso ac jucunditate illius, ut postea patebit.

Cur dicitur intuitus, quum sit abstractiva cognitio.

Nec moveat aut turbet lectorem, quod dicam cum allatis initio Patribus contemplationem esse intuitum fixum circa objectum revelatum, quum tamen contemplatio cognoscat objectum illud non in se, sed in specie imaginaria vel intelligibili, et sic sit abstractiva, non intuitiva cognitio. Non, inquam, turbet hoc, quia utique dicemus tam contemplationem quam meditationem fieri circa objecta repræsentata per species, et per consequens utramque cognitionem esse abstractivam ; quia tamen contemplatio non est discursus ut meditatio, et est simplex cognitio, et caremus vocabulo illam exprimente, eam vocamus simplicem intuitum. Et sequimur phrasim sacræ Scripturæ, quæ Prophetas appellat *Videntes*, et cognitiones rerum quas prophetabant, appellat *Visiones*, quum tamen res illas non in se ipsis viderent, sed in earum speciebus. Primo Regum pluries fit mentio de *Vidente* [2], et ibi dicitur : *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns* [3]. De visionibus Prophetarum legi possunt eorum libri, et invenietur *Visio Isaiæ prophetæ* [4] ; sic et aliorum [5]. Imo in praxi Ecclesiæ cognitiones rerum absentium vel

[1] Greg. *Moral.* lib. XXX. — [2] I Reg. IX, 11, 18, 19. — [3] *Ibid.* IX, 9. — [4] Is. I, 1 ; VI, 9 ; XXI, 2. — [5] Ezech. I, 1 ; VIII, 4 ; Abdiæ 1, 1 ; Nah. I, 1.

futurarum vel Beatorum vel animarum purgantium, quas Deus aliquando concedit viatoribus, appellantur visiones. Quum tamen non in propria natura et exsistentia cognoscantur, sed in speciebus, sive imaginariis si corporeæ res sunt, sive intelligibilibus ; — et Apostolus ipse de cognitione Dei per fidem dicit : *Videmus nunc per speculum in ænigmate ; tunc autem facie ad faciem* [1], id est in patria ; — sic dicimus cum Sanctis illis de contemplatione, quod ille intuitus, id est cognitio simplex sine discursu, abstractivus quidem est, quia in specie cognoscit objectum ; simplex tamen est : et hæc pro nunc de natura ejus.

CAPITULUM III.

AN CONTEMPLATIO CONSISTAT IN SOLO ACTU INTELLECTUS, VEL ETIAM IN ACTU ALIQUO VOLUNTATIS.

Sensus quæsiti.

Adverto quod hic non loquor de dispositionibus prærequisitis ad actum contemplandi et ad vitam contemplativam, nam de his dicam postea ; sed loquor de ipsomet actu contemplandi, qui, ut dixi, est simplex intuitus veritatis ; et quæro an requirat annexum actum aliquem voluntatis, scilicet affectum, dilectionem seu amorem in Deum.

De acquisita est sermo.

Adverto secundo, quod loquor de contemplatione acquisita incipientium, non vero de contemplatione proficientium aut perfectorum in ea, neque de contemplatione infusa ducentium vitam contemplativam ; de his enim in proprio loco agemus.

Contemplatio requirit affectum.

Dico ergo : Contemplatio religiosa, ut sit vera, perfecta et fructuosa, præter actum intellectus quo res revelata cognoscitur, exigit actum voluntatis, seu affectus et dilectionis,

1 I Cor. XIII, 12.

circa rem illam, si sit capax, sin minus circa Deum et Jesum Christum. Dixi, si sit capax amoris ; quia non omnia quæ contemplamur sunt capacia, verbi gratia, si contemplamur infernum, angelos rebelles, creationem mundi, cœlorum et omnium creaturarum, quæ non sunt capaces talis affectus et saporosi amoris ; et tunc earum auctor saporose amatur.

S. Bonaventura affectum respicit in contemplatione.

Probatur nunc conclusio, quod cum contemplatione conjungi debet affectus seu saporosus amor, ut dicit S. Bonaventura, qui, ut in præcedenti dictum est, Richardi definitionem contemplationis amplectens, ait : « Oculus contemplationis in spectacula sapientiæ æternæ est directus... quia contemplatio non est actus intellectus præcise, sed etiam saporosam dilectionem includit. Nam sapientia a sapore dicitur, ut dicit Bernardus ; et objectum sapientiæ principale et primarium est ipse Deus sub ratione qua verum excitativum voluntatis ad ejus saporosam dilectionem ; et actus sapientiæ est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate in affectu. Igitur spectacula sapientiæ sunt cognitio veri, et amor sive sapor boni [1]. »

Idem Seraphicus Doctor, in tractatu *De meditatione vitæ Christi,* capitis quinquagesimi in fine, ex S. Bernardo dicit : « Quum duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu, unus in lumine, et alter in fervore, unus in agnitione, alter in devotione, pius sane affectus, et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehemens spiritus repletus zelo, non plane aliunde quam ex cella vinaria reportantur [2]. » Idem de duplici hoc actu intellectus et voluntatis in contemplatione requisito replicat in sequenti capite quinquagesimo primo, in quo agit de contemplatione humanitatis Christi, in qua cognitionem cum affectione seu dilectione conjungendam demonstrat.

S. Thomas ad argumentum quo contendebatur con-

1 Bonav. *De sept. itin.*, it. 3, dist. 2.—2 Id. *De medit. vit. Christi*, c. 50.

templationem esse totaliter actum intellectus, sic respondet : « Ex hoc ipso quod veritas est finis contemplationis, habet rationem boni appetibilis et amabilis et delectantis, et secundum hoc pertinet ad vim appetitivam [1]. » Ex quo colligitur argumentum a priori validum : Omnis veritas revelata est bonum supernaturale amabile ac delectabile ; igitur, quum contemplatio respiciat bonum istud, voluntas illud amare tenetur, ut rectum rationis dictamen sequatur.

D. Thomæ argumentum validum.

Probatur secundo : Contemplatio Beatorum est conjuncta cum amore proportionato habitui consummatæ caritatis eorum ; ergo quum contemplatio viæ sit de eodem objecto principali de quo est contemplatio Beatorum, et de aliis secundariis de quibus est illa, debet habere annexum dilectionis actum circa suum verum supernaturale et amabile objectum.

Argumentum a paritate Beatorum.

Confirmatur ex S. Bernardo, qui, tractatu *De scala claustrali seu de modo orandi,* in capite *De officio contemplationis,* conjunctionem cognitionis cum amore sic explicat : « Sicut in quibusdam carnalibus officiis, anima adeo vincitur carnali concupiscentia, quod omnem usum rationis amittit, et fit homo quasi totus carnalis ; ita merito in hac superna contemplatione ita consumuntur et absorbentur carnales motus ab anima, ut... fiat homo totus quasi spiritualis [2]. » Id autem per frequentatos actus caritatis in perfectis contemplativis accidit ; igitur, ut fiat hic habitus, debent actus caritatis seu dilectionis in actibus contemplationis frequenter exerceri.

S. Bernardi sententia.

S. Thomas plura de hoc argumento dicit, primo cum S. Gregorio Magno : « Contemplativa vita est caritatem Dei et proximi tota mente retinere, et soli desiderio Conditoris inhærere [3] ; » et de suo subdit : « Sed desiderium et amor ad vim affectivam sive appetitivam pertinent. Ergo etiam vita contemplativa habet aliquid in vi

Multa docet S. Thomas de affectu requisito ad contemplationem

[1] Thom. 2. 2, q. 180, art. 1. — [2] Bern. *De scala claust.*, c. 5. — [3] Greg. *Hom. 2 in Ezech.*, al. 14.

affectiva sive appetitiva [1]. » Deinde subtili discursu id confirmat : « Quia contemplativus intendit principaliter contemplationi veritatis, intentio autem est actus voluntatis, quia intentio est de fine, qui est voluntatis objectum. Et ideo vita contemplativa, quantum ad ipsam essentiam actionis, pertinet ad intellectum ; quantum autem ad id quod movet ad exercendum talem operationem, pertinet ad voluntatem ;... ideo dicitur apud Matthæum : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* [2] ;... propter amorem ipsius cognitionis, quam quis ex inspectione consequitur. Et propter hoc Gregorius constituit vitam contemplativam in caritate Dei, in quantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem conspiciendam... » Et concludit : « Ideo vita contemplativa terminatur ad delectationem, quæ est in affectu, ex qua etiam amor intenditur [3]. »

CAPITULUM IV.

AN ET PER QUID CONTEMPLATIO DIFFERAT A MEDITATIONE.

Adverto quod, licet, quum *De oratione mentali* in capite secundo de meditatione loquebar, differentiam inter has duas orationum species sufficienter adduxerim, tamen ad majorem contemplationis declarationem hic aliqua ex ibi dictis repetam et alia plura addam in confirmationem, ut devotus homo orans clare dignoscat an meditetur vel contempletur.

Adverto secundo et iterum dico, quod in hoc loco loquor de contemplatione acquisita, non vero de infusa, imo neque de acquisita in tota sua latitudine, quæ scilicet reperitur in perfectis vel proficientibus ; sed de contem-

[1] Thom. 2. 2, q. 180, art. 1. — [2] Matth. VI, 21. — [3] Thom. 2. 2, q. 180, art. 1.

platione incipientium et communi, quæ, ut de subjecto contemplationis dicam, in omnibus hominibus cujuscumque status reperiri potest; et de earum differentia in suo loco fuse dicam.

Contemplatio in quibusdam convenit cum meditatione.

Dico ergo : Contemplatio in aliquibus convenit cum meditatione ; tamen essentialiter ab ea differt.

Prima pars probatur : Utraque est ascensio mentis ad Deum ; utraque, ut de objecto contemplationis dicam, respicit eadem objecta revelata, et circa eadem versatur, licet diverso modo; utraque intendit in eumdem finem, scilicet unionis cum Deo ; utraque habet annexum affectum ad Deum ; utraque est actus religionis, etc. ; igitur in multis conveniunt.

Quare essentialiter differat.

Probatur secunda pars, primo a priori : Meditatio est discursiva intellectus operatio, qua meditans multa considerat de objecto meditato, videlicet naturam, proprietates et accidentia ejus, et transit a consideratione unius istorum ad considerationem alterius; verbi gratia, meditando crucifixionem Christi, considerat multas circumstantias, ut possit movere voluntatem ad compatiendum et amandum Christum passum. Considerat enim circumstantias : *quis, quid, propter quid, quomodo,* et cetera; id est, quis est qui patitur; quod est Filius Dei, et homo Deus. *Quid patiatur;* quod ignominiosam et atrocem passionem. *Propter quid ;* quia propter nos. *Quomodo ;* quia cum tanto contemptu, et opprobrio, vilificatione, et cetera. Et sic de aliis meditationibus dicendum ; semper enim modo isto discursivo fiunt. At non sic contemplatio, quæ, supposita cognitione veritatis per meditationem regulariter cum assensu fidei circa illam, sistit in ejus intuitu fixe, non amplius discurrens, et intellectus in illo intuitu remanet suspensus ab omni alio actu, et admirativus. Ergo, quum discursiva actio includens plures actus mentaliter differat ab actu cognitionis simplici, contemplatio differt a meditatione, sicut actus simplex a composito.

Contemplatio regulariter sequitur ad meditationem

Confirmatur : Contemplatio regulariter, et præsertim in incipientibus, sequitur ad meditationem, si meditans vult

etiam contemplari; idem autem non sequitur ad se ipsum. Antecedens patet ex Patribus, contemplationis probatis magistris.

Ordo procedendi ad contemplativam.

S. Bernardus, tractatu *De scala claustrali seu de modo orandi*, docet hanc esse orandi scalam : nempe lectionem, meditationem, orationem et contemplationem. Et sic explicat : « Ipse Dominus dicit : *Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* [1]. Quærite legendo, et invenietis meditando; pulsate orando, et aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat et frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat et reficit. Lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione [2]. » Igitur non solum contemplatio sequitur meditationem, sed toto cœlo differt ab illa.

S. Bernardus gradus orandi docet.

S. Bernardus ibidem sic præfatas operationes describit : « Est autem lectio sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio; meditatio est studiosa mentis actio occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans; oratio est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis et bonis adipiscendis; contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio æternæ dulcedinis gaudia degustans [3]. » Igitur multum differt contemplatio a meditatione, et eam sequitur.

Actus orandi distribuuntur

Richardus de S. Victore, ut de meditatione dixi, tria in orante distinguit, cogitationem, meditationem et contemplationem, inquiens : « Unam eamdemque materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Multum a se invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quandoque in materia conveniant [4]. » Deinde earum naturas et proprietates hoc modo explicat : « Meditatio per ardua sæpe et aspera ad dilectionis finem cum magna animi

Lata differentia meditationis et contemplationis.

1 Matth. VII, 7. — 2 Bern. *De scala claustr.*, c. 2. — 3 *Ibid.*, c. 1.— 4 Rich. *De gratia contempl.*, lib. I, c. 3.

industria nititur ; contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus mira agilitate circumfertur... In meditatione est labor cum fructu ; contemplatio permanet sine labore cum fructu... In meditatione investigatio, in contemplatione admiratio... Ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio [1]. » Ergo inter se sunt multum diversæ.

In contemplationem transit meditatio.

S. Bonaventura ex eodem Richardo ait [2] : « Meditatio æternorum est quædam investigatio et inquisitio cum magna animi industria veritatis æternorum. » Et post aliqua : « Spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur quod per meditationem quærebatur ; sed quam cito quæsitum invenitur, et spiritus illi quasi acquiescendo cum admiratione inhærere cœperit, tam cito meditatio esse desinit et in contemplationem transit. » Et post alia subdit : « Proprium est enim contemplationi jucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere ; meditationi vero proprium est sua promotione semper in ulteriora tendere. » Et tandem seraphicus Doctor ex his sic infert : « Motus meditationis imperfectus et minus utilis permanet sine termino et quiete contemplationis, quum meditatio terminetur et transeat in contemplationem, tanquam in illud quod perfectius est [3]. »

Ex quibus evidenter infertur quod contemplatio essentialiter differt a meditatione ; et miror quod aliquis, — forte neutri vacans, — dixerit non differre, sed eamdem esse meditationem et contemplationem, quum toto cœlo differant.

Infertur secundo, uno tantum gradu distare contemplationem a meditatione, quamvis adeo ab ea differens sit, — loquor de acquisita, — ita ut, si meditativus velit, Deo duce, ad contemplationem transire, facile possit ; imo, ut ex S. Bonaventura patuit, transire deberet, ut ejus medi-

[1] Rich. *De gratia contempl.*, lib. I, c. 3. — [2] *Ibid.* — [3] Bonav. *De sept. itin.*, it. 3, dist. 1.

tandi motus tanquam imperfectus ad quietem tanquam terminum perveniret. Quod faciet si, meditato mysterio revelato, et peracto circa illud discursu per partes et qualitates ejus, sisteret intuendo illud tanquam verum jam quæsitum et tandem inventum, figendo in eo aciem mentis : tunc plane contemplaretur.

CAPITULUM V.

AN ET PER QUID CONTEMPLATIO DIFFERAT A SPECULATIONE.

Adverto quod, licet hæc verba *contemplor* et *speculor* apud grammaticos ac philosophos, imo et apud theologos speculativos dicantur ad convertentiam, et promiscue sumantur, apud mysticos tamen theologos non sic se habent. Ideo videndum per quid apud eos differant ; alioquin omnis professor theologus esset contemplativus et mysticus, quia speculatur et considerat eadem objecta revelata, quæ considerat mysticus theologus. Quare

S. Bernardus tres Dei considerationes assignat.

Adverto secundo, quod S. Bernardus tres assignat considerationis Dei species, dispensativam, æstimativam et speculativam, dicens : « Dispensativa est consideratio sensibus sensibilibusque rebus ordinate et socialiter utens ad promerendum Deum ; æstimativa est consideratio prudenter ac diligenter quæque scrutans et ponderans ad vestigandum Deum ; speculativa est consideratio se in se colligens et, quantum divinitus adjuvatur, rebus humanis eximens ad contemplandum Deum [1] ; » licet videatur in hoc loco confundere speculationem cum contemplatione, quia subdit : « Prior quidem absque intuitu hujus multa serit et nihil metit ; sequens vero, nisi ad istam se dirigat,

1 Bern. *De consid.*, v, 2.

vadit, sed non evadit. Ergo quod prima optat, secunda odorat, tertia gustat [1]. » Et sic speculationem vocat ipsam contemplationem.

Speculatio in quo consistit.

Adverto tertio, quod speculatio, ex communi philosophorum et theologorum sententia, est intellectualis actio, qua homo considerat et investigat naturas et proprietates rerum, sive humanarum et creatarum, sive divinarum et increatarum, sistendo in tali consideratione ; et ideo distinguunt scientiam speculativam a practica, quia illa sistit in cognitione sola rerum, hæc vero ordinatur ad praxim, id est ad dirigendas humanas operationes. Et ideo philosophi dicunt metaphysicam, physicam et mathematicam esse speculativas scientias, ethicam vero practicam ; theologi vero theologiam quæ respicit tam Deum in se, quam ad extra operantem, dicunt speculativam, moralem vero practicam, licet Scotus dicat, et bene, totam theologiam nostram esse practicam, quia tota quanta est ordinatur ad praxim, scilicet ad colendum et amandum Deum in se et in sui operibus. At quidquid sit de hoc, quum contemplatio sit actus intellectus circa Deum, et alia dicta et facta ab eo, et speculetur Deum, videndum est, an et per quid differat a speculatione. Ideo

Scientia speculativa a practica per quod differt.

Propter duo a speculatione differt contemplatio.

Dico : Quamvis contemplatio speculetur Deum, differt tamen a speculatione pura, quia hæc est sine affectu, et dilectione Dei, illa vero cum dilectione ; item quia speculatio procedit opinando, non sic contemplatio.

Probatur ex S. Bonaventura [2], qui ponit differentiam inter cogitationem, meditationem, speculationem et contemplationem ; et postquam de duabus primis locutus est, ait : Speculatio differt a contemplatione, quia, licet sit circa spiritualia, tamen non est cum saporosa dilectione, ut est contemplatio, et non sistit in intuitu simplici veritatis, sed quærit eam opinando ; non sic contemplatio. Verba autem D. Bonaventuræ hæc sunt : « Tertio sciendum est, quod contemplatio differt a speculatione per hoc, quia in

1 Bern. *De consid.*, v, 2. — 2 Bonav. *De sept. itin.*, it. 3, dist. 3.

descriptione contemplationis ponitur quod fertur in sapientiæ spectacula. De quo nota quod S. Augustinus, tractatu *De Trinitate,* ait : Speculatio dicitur, quum aliquid non in se, sed per imaginationem suam videtur et in ænigmate, id est obscure. Richardus, libro quinto *De arca mystica,* dicit : Quamvis contemplatio et speculatio pro invicem soleant poni, et in hoc sæpe Scripturæ sententiæ proprietatem obnubilent et involvant, aptius tamen et expressius speculationem dicimus quando per speculum cernimus, contemplationem vero quando veritatem, sine aliquo involucro umbrarumque velamine, in sui puritate videmus... Ex quo apparet quod contemplatio in speculationem sapientiæ clariorem adspectum habet quam speculatio, et gustum sapidiorem[1]. » Hæc S. Bonaventura.

Corollaria ex doctrina S. Bonaventuræ.

Ex quibus habes primo, quod contemplatio est veritatis consideratio cum sapore et gustu ac delectatione : non sic se habet speculatio. Secundo, habes quod speculatio inquirit veritatem per inquisitiones et investigationes argumentorum, ut patet de theologis scholasticis, qui, suppositis fidei principiis, vel inquirunt quomodo res illa, quam credunt veram, sit possibilis, vel ex ea jam credita deducunt alias propositiones probabiles ac disputabiles; et in hoc consistit theologia scholastica, ut notum est. Verbi gratia, theologus credit unitatem Dei cum trinitate Personarum ; at inquirit per varia media et argumenta quomodo possit hoc esse, quia nullum videt in creatis de hac re exemplum ; et sic vere speculatur, ut modum illum verum inveniat.

Quomodo procedit theologus scholasticus.

Item, supposita ejusdem articuli fide, theologus idem multas quæstiones movet de Trinitate ; verbi gratia : an constitutiva Personarum sint absoluta, vel relativa ; an dicant perfectionem ; quomodo sint æquales, si una caret personalitatibus aliarum ; quomodo secunda et tertia non dependeant a prima, quum sint ab illa ; et similes sunt quæstiones innumeræ quæ disputantur a theologis specu-

[1] Bonav. *De sept. itin.*, it. 3, dist. 3.

lativis : et sic patet quod, exceptis principiis fidei, in omnibus aliis materiis inquirunt et non cognoscunt certo veritates. Non sic se habet contemplatio, quæ non inquirit veritates, sed eas supponit ut veras et certas, utpote revelatas, ut dicam infra de objecto contemplationis.

Habes tertio, quod theologus speculativus circa principia fidei, id est circa res revelatas, si eas intuetur seu considerat ut sunt, tunc contemplatur; et si affectum seu saporem ac dilectionem adjungat, erit verus contemplator; non vero si affectum seu dilectionem non adhibeat. Vel dicendum quod illa erit philosophica et non religiosa contemplatio. Quum autem non versatur circa veritates revelatas, sed vel quærit quomodo illæ sint possibiles, vel ex illis deducit alias propositiones non necessario aut evidenter connexas cum illis principiis, tunc nullatenus contemplatur, sed mere speculatur. Oh quam sapienter et utiliter ac meritorie facerent theologi, si in revelatis principiis aliquantulum sisterent, ea fixe considerando, et ad Dei amorem se excitando; et deinde ad controversias ad majorem Dei gloriam descenderent!

Utile consilium pro theologis.

CAPITULUM VI.

AN CONTEMPLATIO DIFFERAT A COGITATIONE ET VISIONE.

Advertо primo, quod inter actus intellectus datur *cogitatio,* ut ex sacro Textu sæpissime habetur, sed non eodem modo ab omnibus explicatur. Quum enim sit actio intellectualis respiciens omnia objecta cognoscibilia, promiscue sumitur a multis, et præsertim ab Augustino, interdum pro meditatione, interdum pro speculatione, interdum pro contemplatione seu spirituali visione; nam S. Augustinus, tractatu *De Trinitate,* dicit : Cogitatio est quædam animi visio, et quilibet aliquo modo videt suam

Cogitatio plura significat.

Quomodo sumitur a mysticis.

cogitationem oculo mentis, et aliquo modo non videt[1]. Et paulo post ait : Cogitationes nostræ sunt locutiones nostri cordis[2]. At mystici omnes, ut patebit, distinguunt semper cogitationem a meditatione et contemplatione ac visione, docentes quod cogitatio est mentis agitatio de qualibet re, non sistens in aliqua, sed excurrens et volitans.

Visio quid sit, et quotuplex.

Adverto secundo, quod *visio* est vocabulum cognitivæ potentiæ competens ; cognitiva autem triplex est. Quædam sensitiva externa, ut est oculus ; imo omnis sensus externus est cognitivus. Secunda est imaginativa seu phantastica, qua cognoscimus objecta corporalia per sensus externos cognita, quæ species sensibiles sui producunt in imaginativa ; et istæ sunt illarum imagines, et dicuntur phantasmata seu idola rerum corporalium. Tertia est intellectiva, quæ et spiritualia cognoscere potest, — si non impediatur et sibi dimittatur, — ac etiam corporalia, sed per species eorum intelligibiles productas virtute intellectus agentis ex phantasmatibus, ut supponimus ex libris de anima. De his autem occurret sermo infra, quum agam de objecto contemplationis et medio cognoscendi ejusdem.

Cogitatio interna fit per species rerum.

Adverto tertio, quod, licet cognitio, tam intellectualis quam imaginaria, fiat per species rerum, sive absentium, præteritarum aut futurarum, sive etiam præsentium, et consequenter sit abstractiva, quia facta in specie seu speculo, ut ait Apostolus, *Videmus nunc per speculum in ænigmate*[3], nihilominus, ut supra monui, istæ cognitiones imaginariæ et intellectuales, factæ per species objectorum, appellantur visiones ; nam cogitationes Prophetarum, quibus cognoscebant futura, imo et præterita, ac exsistentia sed distantia, fiebant per species, ut dixi in tractatu *De prophetia,* et tamen dicebantur visiones ; et Prophetæ ipsi dicebantur videntes, et ideo dicitur : Visio Isaiæ prophetæ, visio Amos, et cetera. Imo Jeremiæ Deus dicit : *Quid vides, Jeremia ?* Hic respondit : *Virgam vigi-*

[1] Aug. *De Trinit.*, xv, 9. — [2] *Ibid.*, 10. — [3] I Cor. xiii, 12.

lantem ego video[1]. Iterum dicit : *Quid tu vides ?* Respondit : *Ollam succensam ego video*[2]. Et sic de aliis. Et quando ex Dei voluntate aliquibus, sive bonis sive malis, apparent quædam, sive in somno sive in vigilia, non in sua natura, sed in specie imaginaria vel intelligibili, cognitiones talium rerum dicuntur *visiones*. Genesis capitulo vigesimo octavo legitur : *Viditque* (Jacob) *in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ*[3]; quæ visio fuit in specie. Et capitulo trigesimo septimo, Joseph narrat fratribus duo somnia, et dicit : *Vidi*... et cetera[4]. In capitulo quadragesimo primo, Pharao in duobus somniis, quæ postea declaravit Joseph, dicit se vidisse septem boves pingues, et septem extenuatos, atque hos devorasse illos ; item et septem spicas plenas, ac septem vacuas, et has devorasse illas[5]. Et sic de aliis ; et tota Scriptura veteris Testamenti plena est de his cognitionibus in specie habitis, quæ tamen appellantur *visiones*. His prænotatis,

Cognitiones in speciebus dicuntur visiones.

Ex sacra Scriptura.

Dico primo : Si nomine *cogitationis* intelligitur cognitio simplex et fixa, seu intuitus rei revelatæ mente conceptæ, contemplatio dici potest cogitatio ; si vero nomine cogitationis intelligatur cognitio aliqua non firma rei revelatæ, sed vaga et inquirens, ac transiens de una re ad aliam, contemplatio non potest dici nec esse cogitatio.

In quo sensu contemplatio est cogitatio, et in quo non.

Prima pars sic probatur : Nihil deest tali cognitioni quin sit et dicatur contemplatio ; est enim actus intellectus circa objectum revelatum, et simplex intuitus, non excurrens de una re in aliam, sed fixus et firmus circa unam ; istæ autem, ex supra dictis, sunt conditiones contemplationis : ergo...

Quod vero cogitatio interdum sic sumatur, scilicet pro simplici intuitu rei alicujus, habetur ex sacro Textu : *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ,... dicit*

Quod sic sumatur, sacræ Scripturæ exempla.

[1] Jer. II, 1. — [2] *Ibid.*, 13. — [3] Gen. XXVIII, 12. — [4] *Ibid.* XXXVII, 6-9. — [5] *Ibid.* XLI, 1-6.

Dominus[1]. Deus autem non cognoscit discurrendo, sed simplici intuitu. Item David dicit ad Deum : *Multa fecisti,... et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*[2]. Psalmista dicit iterum ad Deum : *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*[3]. Apud Michæam : *Non cognoverunt cogitationes Domini*[4], et cetera ; et si hoc modo sumatur cogitatio, dici potest quod cogitatio sit contemplatio.

Cogitatio sumpta pro judicio, non est contemplatio.

Probatur secunda pars : Regulariter, et apud omnes philosophos et theologos, præsertim mysticos, cogitatio sumitur pro judicio bono vel malo, aut sumitur pro actu quo intellectus inquirit rei alienæ veritatem, et vagatur pluribus actibus per plura objecta, donec eam inveniat ; et hoc modo sumpta cogitatio nullatenus competit contemplationi, quæ est unus simplex actus non vagans nec inquirens, sed firmus et fixus intuens veritatem jam inventam.

Multa Scripturæ exempla.

Exempla cogitationis sumptæ pro judicio bono vel malo habentur in maximo numero in sacro Textu. In Genesi : *Videns autem Deus, quod... cuncta cogitatio cordis* (hominis) *intenta esset ad malum omni tempore*[5], et cetera. In libro Judith : *Dixitque* (Nabuchodonosor) *cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio*[6]. In Psalmis : *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*[7]. In Sapientia : *Perversæ enim cogitationes separant a Deo*[8]. Item : (Altissimus) *qui interrogabit opera nostra, et cogitationes scrutabitur*[9]. Apud Isaiam : *Auferte malum cogitationum vestrarum*[10]. In Jeremia : *Propter malitiam cogitationum*[11]...; et cetera loca innumera, in quibus cogitatio sumitur pro judicio.

Ex novo Testamento.

Ex novo Testamento alia multa exempla hujus acceptionis habemus. Apud Matthæum : *Jesus autem sciens cogitationes eorum*[12] ; et infra : *De corde enim exeunt cogitationes malæ*[13]; et cetera.

Quod vero cogitatio sumatur pro actu intellectus in-

1 Is. LV, 8. — 2 Ps. XXXIX, 6. — 3 Ps. XCI, 6. — 4 Mich. IV, 12. — 5 Gen. VI, 5. — 6 Judith II, 3. — 7 Ps. XCIII, 11. — 8 Sap. I, 3. — 9 *Ibid.* VI, 4. — 10 Is. I, 16. — 11 Jer. IV, 4. — 12 Matth. XII, 25. — 13 *Ibid.* XV, 19.

quirente et vagante, et ideo non sit contemplatio, docet Richardus de S. Victore : « Cogitatio per devia quæque lento pede, sine respectu perventionis, passim huc illucque vagatur ; meditatio per ardua sæpe et aspera ad dilectionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit et ut multum currit ; contemplatio autem omnia circumvolat, et quum voluerit, se in summis librat. Cogitatio est sine labore et fructu ; in meditatione est labor cum fructu ; contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio[1]. » Hæc et alia plura Richardus, quem sequitur S. Bonaventura, et uterque accepit a S. Bernardo[2], qui cogitationem a meditatione et contemplatione distinguit. Igitur contemplatio non est cogitatio hoc modo sumpta.

Cogitatio ut est actus vagans non est contemplatio.

Dico secundo : Si visio sumitur pro cognitione intellectuali simplici et fixa circa aliquam rem revelatam repræsentatam in specie, sive imaginaria, sive intelligibili, sive in utraque, contemplatio dici potest et debet visio intellectualis, sed cum admiratione et suspensione.

Contemplatio est visio, et quomodo.

Probatur et explicatur : Sæpe dictum est, et infra dicetur, — quum de subjecto contemplationis et modo apparendi illius loquar, — quod in hoc consistit actus contemplandi, quum, repræsentato intellectui aliquo objecto revelato, et per meditationem, aut sine ea, ut in habituatis, cognito, intellectus figit in eo intuitum cum admiratione, et suspensione actuum aliarum inferiorum potentiarum ; hic autem intuitus est *visio intellectualis,* ut in notabili diximus. Intellectus enim videt, judicat et discurrit ; omnes autem isti actus cognitiones et visiones intellectuales sunt, et tales dicuntur.

Dixi quod sit facta in specie ; quia contemplans rem aliquam revelatam, eam non habet præsentem in sua na-

Contemplatio est visio in speciebus repræsentantibus objecta.

[1] Rich. *De gratia contempl.*, I, 3. — [2] Bern. *De scala claustr.*

tura, sed in specie illam repræsentante, verbi gratia, meditatur prius, et postea contemplatur Deum, vel aliquam ex divinis Personis, vel ipsam Trinitatem. Has non videt in sua essentia, ut Beati, sed in speciebus, eo modo quo fieri potest in via, obscure et confuse, ut postea dicam, repræsentantibus. Idem dicendum de omnibus prædicatis divinis, de contemplatione Angelorum, habituum supernaturalium, et omnium operum Dei relatorum in veteri Testamento ; hæc enim omnia sunt nobis præsentia non in sua natura, sed in speciebus. Sic de mysterio Incarnationis, et de omnibus Christi operibus dicendum, et de ipsa Incarnatione, Nativitate, vita, Passione, morte Christi, descensu ad limbum, Resurrectione et Ascensione, et cetera ; hæc enim omnia per species ea repræsentantes intuemur. Sic gloriam æternamque beatitudinem, quam, ut ait Apostolus, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem*, id est in patria, videbimus *facie ad faciem* [1]. Imo omnis cognitio intellectualis in via per species a sensibus externis et internis fit, ut cum omni schola supponimus, etiam in objectorum præsentia ; in absentia autem per solas species in intellectu relictas.

In specie imaginaria videntur corporea.

Dixi, *in specie sive imaginativa,* quia de corporalibus rebus per sensus cognitis remanent in phantasia, seu, ut dicitur, in imaginativa, species sensibiles seu phantasmata res illas repræsentantia ; et dicam infra quod incipientes contemplari, in istis speciebus intuemur illas, et aliquando in solis speciebus intelligibilibus, ut quando contemplantur spiritualia, et aliquando in utrisque, ut quando præsertim Christum hominem ac Deum, opera ejus theandrica quis contemplatur. Sed de hoc modo contemplandi loquar infra.

Differentia contemplationis a visione.

Dixi, *cum admiratione et suspensione animi,* quia, ut docet S. Bonaventura [2], contemplatio differt a visione, eo quod contemplatio in hac vita est intuitus seu cognitio objecti cum admiratione, eo quod res illa cognita sit supra

[1] I Cor. XIII, 12. — [2] *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 3.

spem et existimationem ; ex qua admiratione oritur suspensio animi, et aliquando extasis vel raptus, ut postea dicam. Visio vero est cognitio placida et quieta, sine admiratione et suspensione.

CAPITULUM VII.

AN ET PER QUID CONTEMPLATIO DIFFERAT AB ACTIBUS FIDEI.

Actus fidei est assensus rei revelatæ.

Adverto quod, ut suppono, dantur actus apprehendendi res, assentiendi, discurrendi et simpliciter intuendi res apprehensas, judicatas et conclusas ; et quod actus fidei est actus assentiendi rei revelatæ, et communi vocabulo actus credendi dicitur. Quæro ergo per quid differat contemplatio ab actu fidei. Hoc autem fit, ut clare et distincte percipiatur quid sit contemplatio.

Adverto secundo, quod, licet philosophus, imo theologus posset, sine actu fidei, mere speculative et sine fructu contemplari aliquod objectum revelatum, — considerans naturam ejus, circumstantias per actum discursus et meditationis, ut fieri solet in speculationibus, deinde simplici intuitu inspicere veritatem seu conclusionem, quam ex discursu intulit, ut olim primi philosophi de prima causa, nempe de Deo, et de intelligentiis aliisque rebus creatis, faciebant, — at hæc non erat, nec si modo fieret, esset religiosa, de qua nunc loquimur, contemplatio ; hæc enim est de objectis revelatis, creditis fide divina, id est ut a Deo revelatis. His positis,

Contemplatio supponit fidem.

Dico : Contemplatio religiosa, quamvis prærequirat fidei actum, differt tamen ab actu fidei.

Probatur prima pars : Omne opus bonum, fructuosum seu meritorium dependet a directione fidei ; nam ex Apostolo, *quod non est ex fide, peccatum est*[1] ; et ex S. Augustino,

1 Rom. XIV, 23.

sine fide non valet opus bonum[1]; et alibi, sine fide esse non possunt veræ virtutes[2]. In *Enchiridion* idem Doctor ait a fide bona opera incipere, quam gratia tribuit[3]. Ergo, quum contemplatio sit opus bonum, et si fiat in gratia et auxilio actualis gratiæ, sit meritorium, debet a fide incipere, credendo scilicet objectum quod assumitur contemplandum.

Contemplatio intuetur rem creditam per fidem.

Confirmatur : Objecta omnia contemplationis, ut in suo loco dicam, sunt res revelatæ, et primum ac principale est Deus ipse, seu sanctissima Trinitas, omniaque essentialia et personalia prædicata, deinde Christus homo-Deus, et cetera. Hæc autem omnia considerari religiose non possunt, nisi credantur esse; imo, — quod valde notandum est, — contemplatio intuetur, seu simplici consideratione videt cum admiratione veritatem rei revelatæ jam inventam, et firmatam per meditationem : at non potest alio modo firmari veritas rei absentis, et non cadentis sub sensu, aut sub ratione vel discursu naturali, nisi per actum fidei credentis rem ita esse, quia Deus revelavit. Ut ergo quis intueatur simplici et fixo intuitu cum admiratione rem illam revelatam, debet prius illam, vel actualiter credere, vel saltem virtualiter, supponendo scilicet alias vel aliis vicibus eam creditam. Accedit quod idem dicendum est de meditatione; supponitur enim saltem virtualiter creditum id quod actu quis meditatur. Et sic de omni alia oratione, quæ ad Deum dirigitur, sive sit laudis, sive petitionis, sive gratiarum actionis; semper enim vel actu creditur Deum esse, ad quem diriguntur istæ orationes, vel virtualiter et habitualiter, quia sæpe sæpius factus fuit actus ille circa Dei exsistentiam, sanctitatem, supremum dominium, potentiam, et cetera. Sic ergo contemplatio supponit actum credendi actualem vel virtualem circa rem, quæ contemplanda, ut revelata, assumitur consideranda et inspicienda.

Quomodo per fidem fit contemplatio.

[1] *Tract. 25 in Joann. Evang.* — [2] *De Trinit.*, XIII, 25. — [3] *Enchir. ad Laur.*, 31.

Quare, et quomodo differt ab actu fidei.

Probatur secunda pars, quod scilicet contemplatio differat ab actu fidei, sic : Actus fidei est assensus circa objectum revelatum, et sic est actus compositus, quo intellectus dicit : Credo esse verum, quia Deus revelavit; actus vero contemplandi est simplex intuitus objecti illius jam crediti ; ergo differunt.

Confirmatur : Omnes fideles exercent actus multos fidei, assentientes frequenter objectis fidei revelatis, et ab Ecclesia sibi propositis ad credendum; et tamen non omnes contemplantur, imo nesciunt quid sit contemplatio. Et ipsimet contemplativi sæpenumero actus fidei faciunt recitando attente Symbolum aut Evangelia, vel legendo aliquem Bibliorum librum, et illa non contemplantur, nempe non sistunt in simplici eorum intuitu ; imo neque semper ea meditantur, discurrendo scilicet super materiis aut super circumstantiis earum. Differt ergo contemplatio ab actu credendi, et hic supponitur, ut dixi, ad eam.

CAPITULUM VIII.

DE CONTEMPLATIONIS PRÆSTANTIA AC DIGNITATE.

Multæ contemplationis laudes.

Advertо quod multa sunt elogia, quæ a Sanctis et Patribus spiritualibus in laudem hujus piæ ac devotæ operationis intellectualis fiunt ; at brevitati studens aliqua tantum hic referam, ut, Deo auspicante et adjuvante, lectores in ejus amorem accendantur. Omnium primo supponendum est Patres omnes, tam Scripturæ sacræ interpretes quam ceteros, docere quod vita contemplativa perfectior sit quam activa, a Christi oraculo edoctos, qui de Maria Magdalena et Martha ejus sorore loquens, dicit : *Maria optimam partem elegit* [1]. In his duabus sororibus

Contemplativa vita perfectior est quam activa.

[1] Luc. x, 42.

omnes, nemine excepto, cum S. Augustino docent expressas fuisse duas vitas, quas boni fideles eligere et ducere possunt : activam scilicet in Martha, quæ sollicita erat in actibus hospitalitatis, parando necessaria ad cibandum Christum hospitem ; et contemplativam in Magdalena, quæ sedens secus pedes Domini audiensque verbum illius, attente contemplabatur quod Christus dicebat. Et sic, quamvis vita activa bona et meritoria sit, nempe quæ vacet operibus virtutum moralium, et præsertim operibus misericordiæ spiritualis et corporalis, docendo, prædicando, consulendo, et cetera, item pascendo esurientes, potando sitientes, visitando infirmos, et cetera, de quibus reddenda est ratio in die judicii, ut dicit Salvator, nihilominus ipsemet, ubi supra, dixit contemplativam esse *optimam*. At notandum, ut dicam postea, quod contemplativi quoque in necessitate tenentur ad activæ actus, maxime jubente Superiore.

Variorum scriptorum elogium de contemplatione.

S. Bonaventura dicit : « Perfectio rationis in hac vita est per mentis excessum super se rapi, et non per ænigmata corporearum similitudinum, nec per ratiocinationum argumenta, sed purissima mentis intelligentia Deum in contemplatione videre [1]. » Et infra ait : « Hæc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita inhærere Deo ut tota anima, cum omnibus potentiis suis et viribus, in Deum collecta, unus spiritus fiat cum eo, ut nil meminerit nisi Deum, nil sentiat vel intelligat nisi Deum, et omnes affectus in amoris gaudio uniti in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant [2]. »

Et de contemplatione infusa postea loquitur [3] altius et pleniori stylo, quia hæc perfectis solet a Deo concedi.

S. Thomas inquit : « Magis acceptum est Deo, quod aliquis animam suam et alterius applicet contemplationi quam actioni [4]. »

Joannes Rusbrochius dicit : « Si altissimum ac celsissi-

[1] Bonav. *De profect. relig.*, I, 5. — [2] *Ibid.*, II, 72. — [3] *Id. De sept. grad. contempl.* — [4] Thom. 2. 2, q. 182, II, art. 3.

mum vivendi modum, qui in hac vita obtineri possit, sentire ac vivendo exercere velimus, spiritus noster ab anima dividatur oportet, seseque supra rationem, supra imagines, supra virtutum exercitationem erigat, nudo adspectu in divino lumine, intusque sursum respiciat, ac nudo amore cohæreat Deo [1]. » Quod quidem per contemplationem tantum fieri manifestum est.

Sanctus Bernardus, de Martha et Maria loquens, dicit : « Audisti activam vitam, audisti etiam contemplativam... Bona est vita activa ; sed multo est melior contemplativa. Qui prius in activa proficit, ad contemplativam bene conscendit [2]. » Et alibi dicit : « Veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura jugi perpetuitate celebratur. Per veritatis contemplationem eruditur homo ad justitiam, consummatur ad gloriam [3]... » Qui contemplationi vacat, arrham perpetuæ contemplationis in gloria accipit [4]. Et iterum ibidem de utilitate contemplationis inquit : « Nihil est jucundius, nihil utilius gratia contemplationis. Quanto amplius in cœlestium contemplatione delectaris, tanto dulcius commoraris, profundiusque illuminaris ; semper invenies quid mireris, delecteris [5], » et cetera.

S. Gregorius Magnus inquit : Contemplativæ vitæ amabilis valde dulcedo est [6]. Et alibi ait : Vita contemplativa, exclusis curis omnibus, ad videndum faciem sui Creatoris inardescit ; in hac vita incipit, et in alia perficitur [7].

S. Hieronymus inquit sibi in contemplatione mira accidisse, nempe visiones, illustrationes, revelationes, suavitatem et jucunditatem [8].

S. Gregorius Nazianzenus, ut ex Apostolo refert [9], se quietem ac felicitatem in contemplatione reperiisse.

De multis effectibus contemplationis sic [quoad substan- S. Thomas de effectibus contemplationis.

1 Rusbroch. *De vita contempl.*, c. 51. — 2 Bern. *ad Sororem*, 53. — 3 *Id. De inter. domo*, 41. — 4 *Ibid.* — 5 *Ibid.* — 6 Greg. Mag. *Hom. 2 in Ezech.* — 7 *Ibid.* — 8 Hieron. *De virginitate.* — 9 Greg. Naz. *Carm.* XVII.

tiam] loquitur S. Thomas[1] : Contemplatio dulcedinem habet. In Sapientia legitur : *Non habet amaritudinem conversatio illius ; nec tædium convictus ejus, sed lætitiam et gaudium*[2] ; nam Gregorius dicit quod contemplativæ vitæ amabilis valde dulcedo est[3]. Et ex duplici capite est talis, quia quum potentia suum proprium actum elicit, in eo delectatur, maxime quando habet habitum scientiæ et sapientiæ. Secunda ratio est ratione objecti amabilis ; ita in casu, quia Deus amabilis est, ex Psalmo : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus*[4] ; et Gregorius dicit : « Quum quis ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescet[5] : » et ab amore et caritate in Deum incitatur homo ad contemplandum, et sic principium et terminus ejus amabilia sunt. Et post aliqua inquit : Quum ad contemplationem veritatis pertingit homo, eam ardenter amat ; et odit suam fragilitatem et defectum ; nam Gregorius ait : « Deus quum jam per desiderium et intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit[6]. » Et post alia, ex eodem Gregorio dicit : « Contemplatio super semetipsam animam rapit, cœlestia aperit,... et spiritualia mentis oculis patefacit[7]. » Et alibi cum S. Gregorio ait : Contemplatio in hac vita incipit, et in alia perficitur[8]. Et cum omni ratione id dicit ; nam Beatorum visio in Deum terminata dicitur contemplatio clara et evidens ; at in hac vita est obscura et inevidens, sicut est fides super quam fundatur ; omne enim quod quis contemplatur revelatum est, et per fidem cognitum.

Multa præconia contemplationis.

Maxime ergo digna dicenda est hæc intellectualis operatio, tum ratione objecti, ut supra diximus, tum ratione connexionis cum virtutibus theologicis, fide, spe et caritate, quibus colitur Deus ex S. Augustino[9], quia contemplatio a caritate in Deum habet originem, et ad caritatem in Deum terminatur. Fundatur in fidei actu ; nam res quæ

Cur dignissima sit contemplatio.

1 2. 2, q. 180, art. 7. — 2 Sap. VIII, 16. — 3 Greg. Mag. *Hom. 2 in Ezech.* — 4 Ps. XXXIII, 6. — 5 Greg. Mag. *loc. cit.* — 6 *Ibid.* — 7 *Ibid.* — 8 *Id. Moral.* XXX. — 9 *Enchir.*, cap. 3.

cadunt sub objecto contemplationis sunt res revelatæ et per fidem creditæ. Habet annexam spem beatitudinis, quam per actus adeo perfectos Deoque gratos homo inquirit, et discit in hac vita contemplari Deum obscure et in speculo, ut possit contemplari evidenter et facie ad faciem, ut ait Apostolus [1].

Præstantia tandem contemplationis dignoscitur ex raritate concessionis hujus doni, quod Sanctis quibusdam, et non omnibus, quod sciamus, fuerit concessum, quamvis in eis fuerit etiam contemplatio infusa ; at ad eam, ut dicam, pervenerunt pauci, et per acquisitam, id est frequens exercitium ejus, quæ donum quoque Dei est ; non omnibus, etiam religiosis, ut notorium est, fuit concessum. Ad hoc ergo adspiremus, ad hoc anhelemus, et pluribus fusis precibus a Deo petamus, ut ad illud perveniamus.

CAPITULUM IX.

AN CONTEMPLATIO IN UNO VEL PLURIBUS ACTIBUS CONSISTAT.

Multi actus prærequisiti ad contemplationem actualem.

Adverto primo quod, licet in capitulo primo dixerimus contemplationem actualem consistere in duplici actu, intellectus nempe et voluntatis, quia tamen plures alii actus prærequiruntur, videndum est an illi quoque sint de essentia contemplationis.

Adverto secundo, quod tractantes de contemplatione diversos actus ad eam prærequiri docent, licet alii plures, alii pauciores. Richardus de S. Victore dicit prærequiri cogitationem et meditationem [2]. Eum sequuntur S. Thomas et S. Bonaventura. At S. Bernardus hæc prærequiri dicit : lectionem, meditationem et orationem, et ad has sequi contemplationem. Quia, inquit, « beatæ vitæ dulce-

Multa prærequirit S. Bernardus.

1 I Cor. XIII, 12. — 2 Rich. de S. Vict. *De gratia contempl.*, I, 3.

dinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit : *Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis* [1]. Quærite legendo, et invenietis meditando; pulsate orando, et aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat et frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo quæ jucundat et reficit [2]. »

Quare non semper prærequiritur lectio.

Et quamvis plures actus videatur ponere S. Bernardus, nil officit, quia Richardus et alii ponunt cogitationem pro lectione; nam hoc duplici modo potest quis apprehendere rem meditandam, scilicet legendo in libro, aut audiendo legentem, vel reflectendo ad rem alias a se lectam reminiscendo illius, et sic cogitatione percipit; et quum utroque modo rem percipere possit, quocumque ex illis perceptam potest quis eam meditari. Quo vero ad orationem, Richardus, S. Thomas et S. Bonaventura supponunt eam fieri antecedenter, ad petendum divinum auxilium ad bene meditandum et contemplandum, — de hac enim hic est sermo, non de petitione aliorum beneficiorum, — quia præcedere debet invocatio sanctissimæ Trinitatis, *Actiones nostras quæsumus, Domine,* et cetera, vel *Benedicta sit sancta ac individua Trinitas,* et cetera cum sua oratione, vel *Veni, Sancte Spiritus*, et cetera cum sua oratione. At S. Bernardus post meditationem quoque orandum consulit, ut contemplatio perfecta Deo placens et fructuosa obtineatur. His ergo positis,

Invocatio Dei debet præcedere.

Actus aliqui prærequiruntur. At ipsi non sunt contemplatio.

Dico primo : Actus illi cogitandi sive legendi, orandi et meditandi, necessarii quidem sunt et prærequisiti regulariter ante contemplationem, sed non sunt ipsa contemplatio, neque pars illius.

Probatur et explicatur prima pars : Non potest intellectus de re aliqua discurrere, neque naturam ejus investigare vel ei assentiri, nisi eam apprehendat; quod fit legendo vel audiendo illam, vel alias auditam aut lectam memorando : igitur requiritur hic actus. Secundo,

[1] Matth. VII, 7. — [2] Bern. *De scala claustr.*, II.

non potest intellectus rei illius veritati assentiri per fidem, nisi eam investigando, et conditiones ejus inquirendo ; quod fit meditando. Tertio, non potest intellectus assensum supernaturalem Deo placentem et fructuosum elicere circa rem illam discursam ac investigatam, et pio affectu eam prosequi, nisi obtineatur Dei auxilium, quia sine eo nihil possumus facere [1] ; quod obtinetur per orationem ; quia inquit Salvator : *Quidquid orantes petitis, accipietis* [2]. Igitur, ut intellectus firmum intuitum fidei in re illa meditata figat, et circa eam amoroso affectu effundatur, quod fit per contemplationem, actus illi prærequiruntur.

Quare regulariter sic fit.

Dixi *regulariter*, quia hoc et non alio modo incipientes et proficientes et ipsimet perfecti interdum contemplantur ; et hic ordo docendus ac tenendus est a contemplativis, ut docent præfati doctores. Si autem ex peculiari Dei favore aliquis, percepta per lectionem vel auditum re aliqua, vel per illuminationem illa sibi ostendatur, et sine meditatione vel oratione statim a Deo rapiatur ad contemplationem, id est simplicem et fixum intuitum veritatis rei illius, casus iste non cadit sub regula ; quia loquimur de iis qui via ordinaria, cum Dei tamen auxilio, vacant contemplationi.

Illi actus non sunt de essentia contemplationis.

Probatur secunda pars, quod præfati actus non sunt de essentia contemplationis, nec pars illius. Nam contemplatio, ex definitionibus supra allatis, est simplex et firmus intuitus certæ et revelatæ veritatis, cum animi suspensione et admiratione. Igitur, licet prærequirat, non tamen essentialiter includit præfatos actus ; sic enim non esset simplex intuitus, imo neque unus actus, sed aggregatio plurium actuum. Sicut a pari, licet conclusio in aliquo argumento prærequirat actus primæ et secundæ operationis intellectus, tamen essentialiter eas non includit. Et ita dicendum de actu fidei, qui, licet prærequirat apprehensionem rei credendæ, essentialiter tamen eam non includit : imo ut propius ad rem accedamus, meditatio prærequirit lectio-

[1] Joann. xv, 5. — [2] Marc. xi, 24.

nem vel auditionem et cogitationem rei meditandæ; et tamen actus illi non sunt, nec essentia meditationis, nec ejus pars.

Ex S. Bernardo argumentum.

Ideo S. Bernardus inquit : « Contemplatio est mentis in Deum suspensio æternæ dulcedinis gaudia degustans[1]. » Deinde subdit aliam definitionem : « Contemplatio est verus certusque intuitus animi de quacumque re,... et cetera[2]. » Igitur alii præfati actus ad eam prævii non constituunt illam, nec sunt illius pars.

CAPITULUM X.

AN CONTEMPLATIO DISTINGUATUR IN ACQUISITAM ET INFUSAM.

Motivum controversiæ.

Adverto primo de hac duplici specie contemplationis inter antiquos contemplativos et mysticos theologos nullam esse quæstionem, utramque enim admittunt, ut patebit; sed cum aliquibus modernis est quæstio, qui putant nullam aliam dari contemplationem præter infusam, et sic nullum esse contemplativum qui communiter cum hominibus vivat, et qui non sit totus spiritualis, perfectus, extra se sæpissime raptus et extaticus, continuo cum Deo alloquens, visiones et revelationes participans divinas.

Acquisita dicitur etiam naturalis, et quare.

Adverto secundo, quod contemplatio, quæ dicitur acquisita, et potest esse in omnis status hominibus, ut postea patebit, dicitur etiam naturalis, non quia solis naturæ viribus, sine speciali Dei auxilio, exerceri possit; sed dicitur talis, quia naturali et proprio etiam studio potest, cum Dei auxilio, haberi, ad differentiam infusæ ac supernaturalis, quæ, ut in suo loco dicetur, est totaliter a Deo trahente, specialissime illuminante, et veritates supernaturales demonstrante, extra se hominem rapiente, omnium potentiarum inferiorum actus suspendente, multaque con-

[1] Bern. *De scala claustr.*, I. — [2] *Id. De consider.*, II, 2.

templanti revelante ; et hæc proprie est mystica theologia, ut in suo tractatu dicam.

Dico igitur : Præter contemplationem infusam, de qua postea, admitti debet contemplatio acquisita, communis dicta ac naturalis.

Probatur : S. Bernardus inquit : Debemus assuescere in contemplatione [1] ; assuefactio autem fit per actuum frequentationem. Hæc vero est acquisitio : ergo...

Dari debet acquisita contemplatio, ex S. Bernardo.

In S. Bernardi operibus, Abbas Gilbertus dicit : Contemplatio non excidet in futuro sæculo ; ideo, homo, tibi partem elige in præsenti, sicut Maria, quæ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum [2]. Et S. Bernardus ipse ait : « Quisquis ad intelligentiam pervenire desiderat, profecto necesse est, ut prius per omnia bona sese diligenter exerceat, sicut scriptum est : *Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi* [3] ; et alibi :... *Fide purgans corda eorum* [4]. Qua fide ? Fide per dilectionem operante... Maria vero speciem exprimit contemplationis, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet,... sed toto intenta studio Dei verbum audit [5]. »

Docet media.

Idem Bernardus, docens media ad contemplandum, præ aliis dicit : « Verum tamen est quod nullus mortalium potest huic contemplationi jugiter inhærere ; sed id ideo dictum est, ut scias ubi mentis intentionem debeas habere fixam, et ad quam destinationem semper animæ tuæ revoces intuitum : quam quum poterit obtinere mens, gaudeat, et a qua distractam se doleat atque suspiret, quotiescumque ab illo intuitu se deprehenderit separatam. Quod si querulosa voce mihi obviare volueris, dicens te diu in eodem statu manere non posse, noscere debes quod divina virtus plus potest facere quam homo cogitare, et quod frequentia actus similem sibi habitum generare con-

1 Bern. *De floribus*, c. 55. — 2 Apud Bern. *Gilb. abb. sermo* 11 *in Cant.* — 3 Eccli. 1, 33. — 4 Act. xv, 9. — 5 Bern. *In Assumpt. M. sermo* 5.

suevit. Unde sæpius contingit quod illud, ad quod fortassis homo se a principio adstrinxit cum quadam violentia et difficultate, postea faciliter operabitur, et tandem cum magna delectatione, dummodo non desistat [1]. »

Patet ergo quod homo, cum studio ac diligentia, juxta S. Bernardi doctrinam, Dei adjutus auxilio, potest contemplationi vacare, et cum actuum frequentia ad habitum contemplandi pervenire.

Plura de hac re ex eodem Bernardo adducam infra, quum de initio contemplandi et ad illud prærequisitis, et de remediis contra impedimenta contemplationis loquar ; omnia enim ad idem sunt.

Richardus de S. Victore, inter alia multa de contemplatione, dicit : « Aliud est contemplationis gratiam divinitus percipere, atque aliud est ejusmodi donum, Dei quidem cooperatione, proprio exercitio comparare [2]. » Et infra ait : « Hos igitur tres contemplationis modos experiuntur, qui usque ad summam ejusmodi gratiæ arcem sublevari merentur. Primus surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia divina, medius autem ex utriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ et gratiæ divinæ [3]. »

Clara ratio S. Bonaventuræ.

S. Bonaventura inquit : « Contemplatio fit per gratiam ; tamen ad hoc juvat industria, ut separetur homo ab omni eo quod Deus non est, et etiam a seipso [4]. »

Idem Sanctus dicit : Gradus ad contemplationem disponentes sunt illi qui adjuvant intellectum et affectum ad contemplandum, et sunt velut scala per quam ascenditur ad contemplationem, quia nemo, inquit Gregorius, infima deserens, repente fit summus [5] ; et hoc fit transcendendo *de virtute in virtutem,* (donec videatur) *Deus deorum in Sion* [6]. Sicut oculus infirmus prius suscipit lumen obscurum, deinde magis confortatus, melius videt, postea totaliter perfecte, sic oculus intellectualis exercendus prius

1 Bern. *De octo punctis perfect.*, IV. — 2 Rich. de S. Vict. *De gratia contempl.*, V, 1. — 3 *Ibid.* V, 2. — 4 Bonav. *De luminar., serm. 3 in Hexaëm.* — 5 Greg. *Moral.* XXII. — 6 Ps. LXXXIII, 8.

in grossioribus, postea in subtilioribus, crescente lumine divino, donec tandem in ipsum Deum figat obtutum : et sic practice paulatim oportet ascendere. Et secundum Hugonem contemplatorem prius purgari oportet, postea illuminari, deinde perfici per contemplationem [1].

Sequitur : Debet prius ordinari affectus circa exteriora, ut objecta sincere apprehendantur, bona appetantur et mala fugiantur. Deinde libere quantum est in se intellectus et affectus ordinant mentem ad petendum et quærendum summum Bonum, et ad repellendum obstacula [2]. Hæc autem omnia humano studio ac diligentia, cum Dei auxilio, fieri possunt. Ergo acquisita est talis contemplatio, non vero infusa.

Ordo S. Bonaventuræ ad contemplandum.

Idem, in articulo tertio, de ordine ascendendi ad Deum dicit : Ex sensibilibus ad spiritualium cognitionem ascenditur. Primo per sensus externos concipiuntur sensibilia, secundo per imaginationem, per quam rerum similitudines concipiuntur, tertio per rationem, per quam concipiuntur rerum naturæ, quarto per intellectum, per quem percipiuntur spiritus creati, quinto per intelligentiam, per quam percipitur Spiritus increatus, sexto per sapientiam, per quam aperitur spiritualis gustus. Et sequitur : Sensus percipit, imaginatio repræsentat, ratio intelligit, intellectus judicat, memoria servat, intelligentia comprehendit et ad contemplationem adducit; sed sapientia gustare potest. Et sic ab inferioribus ad superiora fit ascensus ; quia sensus externus percipit res corporeas ; imaginatio est vis animæ, quæ rerum illarum similitudines recipit, et intellectui ministrat ; ratio est vis animæ, quæ rerum corporearum naturas et formas modo incorporeo percipit, abstrahens a corporeis, non actione, sed consideratione : et hæc ratio vera a falsis distinguit. Et hoc modo anima Deum cognoscere potest : illum meditatur, et meditando contemplatur, et sic eum amat. Intellectus est vis animæ,

Actus omnium potentiarum animæ.

1 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — 2 *Ibid.*

quæ invisibilia percipit, sicut Angelus, et illa ad contemplationem cooperatur. Intellectus aliquando accipitur pro dono et habitu primorum principiorum, et per istum veritates infallibiles cognoscuntur. Intelligentia est quædam vis clarior, qua Deus, quantum in via fieri potest, immediate cognoscitur ; et hic est quintus gradus ascendendi ad æterna. Sextus gradus est sapientia, id est sapor et gustus visorum per intelligentiam ; et sicut in illa visione est donum intellectus, ita in eo gustu et delectatione donum sapientiæ [1]. Hæc S. Bonaventura. Et sic patet quod, proprio exercitio, studio ac industria, potest homo in contemplatione se exercere et, Deo dante, ad perfectionem ejus per præfatos gradus pervenire.

Gradus in contemplatione.

Idem S. Bonaventura, in contemplationis doctrina magister, non dedignatur aliorum doctorum auctoritatibus comprobare quæ de ea docet. Ait per Origenem gradus ascendendi ad contemplationem plures esse. Primus, vita activa, quia, ex Gregorio, qui arcem contemplationis ascendere desiderant, prius necesse est ut in opere actionis perfecte se exerceant [2]. Secundus, sensuum exteriorum retractio ad interiora, et collectio eorum in unum, quia, ex Augustino, a temporalibus ad æterna regressio, est veteris hominis in novum reformatio [3]. Tertius, elongatio a phantasmatibus imaginativis ad spiritualia. Quartus, tollere impedimenta retardantia animam ad objecta superiora tendentem et ad divinæ naturæ cognitionem ; quod licet sit præter rationem, non est tamen super eam. Quintus, verus contemplator est, si sit super omnia intelligibilia in caligine ignorantiæ, et unitur, secundum Dionysium [4], incomprehensibilitati Dei, et excedit omnes cognitiones, et quasi a seipso segregatur, et per unionem affectivæ et dilectionis unitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo majori, quam sit intellectualis in eo quod intellectualem

1 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 3. — 2 Greg. *Moral.* VI. — 3 Aug. *De vera Religione.* — 4 Dion. *De mystic. theol.*, 1.

derelinquit, et super intellectum et mentem Deum cognoscit[1]. Hic ultimus gradus, ut in suo loco patebit, est contemplatio infusa; ceteri vero spectant ad acquisitam.

Origenis discursus.

Origenes, ex S. Bonaventuræ loco citato, sic de gradibus loquitur : « Contemplatorem verum et certum te judico, si prius te perficiat actio, si sensum ab exterioribus revoces, si imaginabilia felici motu pertranseas, si rationabilia celeri motu curras, si intelligibilia felici et illuminativa fide cognoscas, si in primo, vero et summo Bono intelligentiam et voluntatem tuam ponas; sugens unde teneritudinem tuam nutrias, bibas unde gaudeas, haurias unde nunquam deficias[2]. » Hæc autem omnia hominis contemplantis viribus, cum Dei auxilio, sicut cetera meritoria opera, fieri possunt.

S. Thomæ discursus.

S. Thomas dicit : « Magis acceptum est Deo quod aliquis animam suam et aliorum applicet contemplationi quam actioni[3]. » Et supra dicit : « Signum expressionis caritatis in Christum est, quod aliquis, prætermissis omnibus quæ ad hanc vitam (id est activam) pertinent, soli divinæ contemplationi vacare delectetur[4]. » Humana ergo ratione, cum Dei auxilio, exercetur contemplatio, et non solum per infusionem supernaturalem, qua Deus abstrahit hominem a sensibilibus, et species intelligibiles divinarum rerum speciali lumine infundit animæ, et detinet eam fixam in earum intuitu; hæc enim, ut mox dicam, est infusa contemplatio. At allati doctores de hac hic non loquuntur, sed de ea quæ fit sicut ceteræ orationes.

Discursus a paritate meditationis acquisitæ.

Probari potest etiam a paritate : Meditatio acquisita dari potest, et de facto datur; ergo et contemplatio acquisita. Antecedens a nemine negatur; omnes enim religiosi et congregationes sæcularium meditationi vacant. Consequens probatur : Quia, ut infra dicam, regulariter, et maxime in incipientibus, actus contemplandi sequitur ad actum meditandi; ea ergo virtute eoque spiritu, cum Dei

1 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 4. — 2 Origen. *Cantic. cant.* II. — 3 Thom. 2. 2, q. 182, art. 2, ad 3. — 4 *Ibid.*, ad 1.

auxilio, fit uterque actus. Verbi gratia, quis legit punctum de Incarnatione Filii Dei ; meditatur illud, credens primo, sive actualiter sive virtualiter, factum ; discurrit super illud, considerans quis sit iste qui incarnatus est ; et ex eo quod sit persona divina considerat humilitatem ejus, caritatem in genus humanum, et finem propter quem facta est Incarnatio, et alias circumstantias : hucusque meditatus est. Si tunc in veritate illa Incarnationis jam meditata figit oculum mentis, intuendo illam, cum suspensione omnis alterius actus, et cum admiratione magnitudinis facti illius veri, tunc contemplatur. Quis neget hoc fieri posse a meditante ? Et sic de aliis actibus contemplandi alia objecta revelata : ergo est acquisita.

Argumentum Gersonis.

Confirmatur ex singulari documento et monitione Joannis Gersonis invitantis omnes, et præsertim ecclesiasticos, ad contemplationem. Is enim dicit : « Nec est dicendum... quod tendens ad finem contemplationis, hoc est, ad amandum Deum summe, ex toto corde, quod talis nimis in altum aut præsumptuose agat ; imo... specialiter ecclesiastici et religiosi, quorum vita ad hoc ordinata est, omnino se dare debent ad vitam hanc potius quam ad aliam. Similiter et clerici, præcipueque theologi ; aut certe eorum scientia non jam eis auxiliabitur, sed iidem instabuntur, efficienturque vani, vacui et superbi [1].» Ergo contemplatio aliqua est virtus acquisibilis, alioquin frustra ad eam hortaretur Gerson.

Omnes invitantur ad contemplandum.

Præterea, ex modo introducendi et exercendi se in contemplatione, quem docet S. Bonaventura, clare patet dari contemplationem acquisitam, quæ scilicet humano modo, studio ac diligentia, sicut cetera opera bona et virtutum, cum Dei auxilio fieri potest ; et sic ait : « Qui vult, cum activa, contemplativam vitam habere, ut suum Dominum in omnibus contempletur, videtur mihi quod hæc via sit brevis et bona, videlicet ut se totum recolligens intret ad cor suum, et intima cordis ingrediens se

Ex documento acquirendi eam per S. Bonaventuram.

1 Gerson. *De monte contempl.*, XXVIII.

resolvat in Deum, ut nihil nec videat nec sentiat nisi Deum [1],... et cetera. »

Posset aliis pluribus exemplis comprobari quod, præter contemplationem infusam pure supernaturalem, ut postea dicam, detur etiam acquisita, vulgo dicta naturalis, si sedulo consideretur quid sit, et quod non est aliquid supra vires humanas Dei auxilio adjutas. Philosophi per vires pure naturales ab effectu pervenerunt ad cognitionem primæ causæ, quæ Deus est, eumque et ejus prædicata, quantum potuerunt conjicere, contemplati sunt, id est, sine ulteriori discursu, aciem mentis cum aliorum actuum suspensione et admiratione in eis fixerunt. Quare non poterit Christianus catholicus, sciens et credens per fidem ipsum Deum ejusque mirabilia prædicata et attributa, figere in eis aciem mentis, intuendo illa cum suspensione aliorum actuum, et admiratione atque affectu in ea? Hæc autem est vera et acquisita contemplatio.

A paritate philosophorum.

Potest Catholicus Dei auxilio credere omnia revelata, et in actibus credendi se exercere; potest actus caritatis et spei theologicæ elicere, et eos frequentare; qui tamen difficiliores sunt, quia invisa sunt objecta, et supra naturæ vires : quare, iis objectis cognitis, creditis, dilectis et speratis ut veris et bonis, non poterit intellectus in eorum consideratione admirando sistere? Certe non video cur hoc sit negandum.

A paritate fidei, spei, caritatis.

Adde, quod Dionysius Cartusianus ait : Contemplationi acquisitæ in animabus purgatis regulariter ex Dei favore succedit infusa, in qua consistit felicitas quæ in hac vita haberi potest de cognitione Dei [2].

Dionysius Cartusianus acquisitam fatetur.

Tandem concluditur dari contemplationem acquisitam et communem omnibus ex duplici praxi : prima est, quia multi in actibus contemplationis se exercent, qui sunt de communi hominum genere, non solitarii, non silentiarii, non purgati a passionibus, nec remoti a sæculi negotiis,

1 Bonav. *Stimul. div. amoris*, II, 7. — 2 Dion. Cart. *De fonte lucis*, VIII.

nec cetera habent quæ dicemus requiri a contemplatione infusa. Secunda praxis est, quod sancti et docti tradunt regulas, ut infra, de acquirenda et exercenda contemplatione proprio studio et labore ; quæ regulæ non dantur pro infusa, quæ a solo Deo pendet, sed narrantur tantum ea quæ tales contemplativi dicunt se obtinere ac pati.

CAPITULUM XI.

QUÆ DIFFERENTIA SIT INTER CONTEMPLATIONEM ACQUISITAM ET INFUSAM.

Adverto quod *De contemplatione infusa* erit speciale opusculum, in quo, quantum ex auctoribus practicis colligere potui, distincte loquar ; nunc autem aliqua tantum obiter de ea dicam, ut magis innotescant quæ in præcedenti de acquisita dicta sunt : ideo earum convenientias, et in quibus, ac earum differentias, et in quibus sint, adducam.

Inter acquisitam et infusam convenientiæ multæ.

Dico primo : Conveniunt in hoc quod utraque est simplex intuitus intellectus sine discursu, adeo ut utraque, cum suspensione actuum aliarum potentiarum, sit fixa cum stupore et admiratione cognitio, licet cum majori distractione et alienatione a sensibus infusa.

Dico secundo : Conveniunt in eisdem objectis ; utraque enim tendit in Deum ac divina principaliter, et in omnia alia a Deo revelata minus principaliter, cum ordine tamen ad Deum, ut infra de objecto acquisitæ dicam.

Dico tertio : Conveniunt in mediis ; quia utraque per species intelligibiles, et sæpe etiam per imaginabiles, cognoscit seu intuetur ea quæ in eis repræsentantur ; quia potest quis contemplari etiam corporalia per species utriusque generis.

Dico quarto : Conveniunt in aliquibus principiis, ut in

intellectu intuente et voluntate affecta seu amante, in auxiliis supernaturalibus, sine quibus nullum opus bonum fieri potest, quod sit fructuosum et meritorium ; licet majora requirantur in infusa et supernaturali.

Differentiæ autem, quæ inter istas contemplationes assignantur, multæ sunt, ut patebit, quum de infusa loquar ; aliquas tamen pro nunc afferam. Differentiæ inter eas multæ sunt.

Prima differentia est ex parte subjecti seu dispositionum ejus ; quia pro acquisita et communi contemplatione fructuosa, sufficiunt illæmet dispositiones quæ requiruntur pro meditatione fructuosa ; scilicet, ut sit homo capax, instructus de natura et qualitatibus contemplationis, et sit in statu gratiæ, id est quod, examinata conscientia, cognoscat se non habere mortale peccatum. At pro infusa hæc dispositio non sufficit ; sed requiritur regulariter ut per viam purgativam per multum tempus transierit, per virtutes morales refrenaverit passiones, sæcularia negotia deseruerit, concupiscentias omnes carnalium seu corporalium, necnon etiam spiritualium, ambitionis, honoris, famæ et gloriæ omnino abjecerit, et cetera plura, ut in proprio loco de via purgativa dicam, expleverit, et silentio ac solitudini se dederit.

Secunda differentia est, quod contemplatio communis et acquisita regulariter post meditationem fit, et raro sine illa, exceptis exercitatis in ea, qui, apprehenso objecto revelato, et supposita fide actuali vel saltem virtuali de illo, possunt actum contemplationis elicere : at non sic infusa ; quamvis enim aliquando habeatur cum meditatione prævia, regulariter sine illa accidit ; apprehenso nempe revelato objecto, intellectus statim figit in eo aciem mentis, illud cum admiratione et aliorum actuum suspensione intuendo.

Tertia differentia est, quia in acquisita et communi, contemplaturus est divino adjutus auxilio, sicut in meditatione et aliis bonis operibus ; proprio labore distrahit se ab externorum cogitatione, et a speciebus seu phantasmatibus aliarum rerum, et figit mentem in objecto quod me-

ditatus est vel tunc vel alias, ut dixi de exercitatis : non sic in supernaturali ac infusa contemplatione, quia statim ac contemplaturus vult se ad contemplationem applicare, apprehenso objecto aliquo revelato, Deus eum abstrahit ab omnium exteriorum et interiorum consideratione, subtrahens concursum inferioribus potentiis, ne perturbent; et adjuvat intellectum, ut intuitum figat et firmet in cognitione illius veri revelati, et eo detinetur, et non perturbatur ab aliquo creato.

Quarta differentia, quia in acquisita et communi, lumen supernaturale fidei, cum auxilio actuali, sicut in actu fidei et meditatione, sufficit : at in supernaturali et infusa, lumen majus Deus infundit, et ita magnum ut excedat vim intellectus, et quasi offuscet illum, et ideo a mysticis vocatur *caligo* et *tenebra*.

Quinta differentia est, quod in acquisita et communi, lumen fidei, ut dixi, et auxilium divinum requiritur ; at nullum donum Spiritus Sancti regulariter infunditur, quia tales contemplativi non perfecte purgati, non sunt effecti spirituales, id est a terrenis totaliter alieni : at cum infusa Deus antecedenter concedit contemplativo duo dona Spiritus Sancti, scilicet donum intellectus ipsi intellectui, per quod clare et distincte cognoscit objecta quæ contemplatur, et donum sapientiæ, id est saporis ac dulcedinis, voluntati, quo illa objecta et Deum in illis saporose ac dulciter amat.

Sexta differentia est, quia per acquisitam lente et cum aliquo labore per meditationem pervenitur ad intuitum veritatis ; per infusam vero fortiter et statim intellectus eam intuetur.

Septima differentia, quia per acquisitam incipientes non alienantur a sensibus, patientes extasim seu raptum, et proficientes aliquando ; at per infusam sæpe.

Octava differentia, quia per acquisitam non videntur aut cognoscuntur aliæ veritates, nisi illæ quæ assumuntur ad meditandum et contemplandum : at per infusam videntur aliæ, vel circa objecta assumpta tanquam eis

annexæ, vel etiam diversæ de aliis objectis quas Deus contemplantibus demonstrat.

Nona differentia est, quia acquisita valde remota est ab unione seu osculo Dei, in quo consistit perfecta felicitas, quæ potest in hac vita mortali communicari hominibus a Deo; at infusa est valde proxima ad eam, et qui dono infusæ contemplationis potiuntur, regulariter donum obtinent unionis. Nam, ut dicam in proprio loco, ad montem perfectionis in hac vita per hos gradus, et per hæc itinera pervenitur, per viam scilicet purgativam, per illuminativam, id est contemplativam, et per unitivam : et hic datur status. De his omnibus loquar in suo loco.

Decima differentia, quia per acquisitam, ut experiuntur incipientes, imo et proficientes, non statim sentitur dulcedo, sapor ac suavitas, sed potius molestia et amaritudo ac repugnantia sensus, eo quod in eis adhuc non sunt frenatæ passiones; at in infusa sentitur sapor de Deo, dulcedo et suavitas statim.

Undecima differentia, quia acquisitam multi possunt adipisci, si de ea instruantur, licet pauci proficiant; at infusa paucissimis ac raris et perfectissimis hominibus a Deo conceditur.

Duodecima differentia est, quia in acquisita et communi contemplans non ita supra se et extra se sit ut non cognoscat se, et reflectat in id quod facit; at in infusa, — ut ipsi contemplativi testantur, — contemplans ita est extra se et supra se actus, ut nec se nec aliud cognoscat, sed in solum objectum quod contemplatur firmiter et fixe intendat.

Decima tertia differentia est, quia post contemplationem acquisitam, contemplans potest distincte et absque difficultate narrare, et quod intuitus est, et modum omnesque circumstantias rei cognitæ et modi cognoscendi, sicut potest etiam meditans; at infusa non sic; quia, — ut testantur, et in suo loco referentur, B. Angela de Fulginio, S. Theresia, S. Petrus de Alcantara et S. Joannes de Cruce, — postquam quis ab actu contemplandi redit ad se, non

potest clare ac distincte referre nec quæ intuitus est, nec modum intuendi, in quo et per quid; sed dicit se nescire explicare quid actum sit. Et referam eorum verba, quibus difficultatem et stuporem explicant, et aliquid in confuso referunt; quia revera dicunt ineffabilia esse et imperceptibilia.

Aliæ plures adducentur differentiæ in suo loco.

Alias plurimas differentias, et maxime effectuum, contemplationis infusæ ab acquisita nunc omitto, quia oporteret totum tractatum de ea hic inserere, et ostendere plurima et innumera bona infusæ contemplationis; sed differentiæ allatæ pro nunc sufficiant, ut firmetur valde diversas esse inter se harum contemplationum species.

CAPITULUM XII.

AN ACTUS CONTEMPLANDI NECESSARIO PRÆREQUIRAT MEDITATIONEM.

Sensus quæsiti duplex.

Adverto quæsitum hoc habere duplicem sensum : primus est, an omnis homo qui vult vacare contemplationi, et vitam, ut dicunt, contemplativam ducere, debeat prius se in meditatione exercere; secundus sensus est, an quoties quis vult actum contemplationis exercere, debeat prius meditari illud objectum quod vult contemplari.

Adverto secundo, quod vel sermo est de incipientibus vitam contemplativam, vel de proficientibus aut perfectis in contemplativa acquisita, id est habituatis in ea; et de his diversimode est loquendum.

Incipientibus est necessaria meditatio.

Dico primo : Pro incipientibus vitam contemplativam regulariter est necessarium exercitium meditationis.

Probatur : S. Bernardus assignat quatuor gradus per quos pervenitur ad dulcedinem gaudiorum in hac vita, scilicet lectionem, meditationem, orationem et contem-

plationem[1]; deinde declarat omnium harum operationum munera. Igitur a meditatione transcundum est ad contemplationem. Et in paragrapho *Officia* circa medium inquit : « Hi autem gradus ita concatenati sunt, et vicaria ope sibi invicem deserviunt, quod præcedentes sine subsequentibus aut parum aut nihil possunt; sequentes vero sine præcedentibus aut raro aut nunquam haberi possunt[2]. »

S. Bonaventura, in titulo *Parvum bonum,* inquit : Per meditationem ascenditur ad contemplationem[3] : idem dicit in *Stimulo amoris*[4]; et ideo semper ad meditationem hortabatur, et composuit integrum et copiosum librum *De meditatione vitæ Christi,* ut meditantes ad contemplationem ac dilectionem Dei et ad unionem cum eo disponerentur.

Expressa ejus et aliorum doctorum mens, quod a meditatione incipitur.

Idem S. Doctor, in tractatu *De septem itineribus æternitatis*, sæpissime de hoc transitu meditationis in contemplationem loquitur, et præcipue in secundo itinere ubi ex Richardo atque Hugone ait : « Ecce jam studiosa mentis meditatio in tantum se exercuit et perfecit, quod in contemplationem transivit[5]. » Et post aliqua, ex Richardo ait : « Veritatem per meditationem diu quæsitam, tandem inventam, mens solet cum aviditate suscipere mirarique cum exsultatione, ejusdem quoque admirationi diutius inhærere; et hoc est jam meditando meditationem excedere, et per meditationem in contemplationem transire[6]. » Et post ait S. Bonaventura : « Ex his apparere potest, quomodo spiritus humanus per meditationem æternorum a temporalibus recedit et æternis inhæret, ut dicat cum Apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est*[7]. »

In sequenti distinctione[8] dicit : « Videndum est qualiter spiritus humanus ad veniendum, per iter studiosæ meditationis, ad intrinsecum et æternum Domini Jesu

1 Bern. *De scala claustr.*, I. — 2 *Ibid.*, 2. — 3 *Parv. bonum,* al. *Incend. amor.*, 3. — 4 *Stimul. amor.*, II, 7. — 5 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 2, dist. 6. — 6 *Ibid.* — 7 Philipp. III, 20. — 8 *De sept. itiner.*, it. 2, dist. 7.

secretum, ab ipso dulciter invitatur, dicens sponsæ in Canticis : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni*[1]. » Et infra ait : « Meditationis enim sedula exercitatio circa æterna mentem purificat, a temporalibus abstrahendo, et eam pulchrificat et formosam facit, ad æterna extendendo[2]. » Et post multa dicit : « Aqua sapientiæ salutaris advenit, quæ iter meditationis nostræ ab æternis non impedit ; sed promovet, dirigit et proficit, ideo (dicit) *veni*. Nam hæc aqua æstivalis (id est sapientiæ) spiritum tuum in meditationibus ad veniendum ad meam æternitatem sursum erigit, ad meam æternitatem salire facit, ad meam æternitatem introducit[3]. »

Meditationem exaltat S. Bonaventura.

Quod vero meditationis præfatum exercitium disponat ad contemplationem, idem Seraphicus Doctor immediate confirmat in sequenti æternitatis itinere, dicens : « Tertium iter æternitatis, per quod spiritus humanus venit ad intrinsecum et æternum manerium Jesu, est æternorum limpida contemplatio[4]. » Et statim inquit quæ sit contemplationis necessitas, et quare hoc iter sequatur immediate meditationem ; et hanc assignat rationem sic : « Quum meditatio æternorum sit quædam investigatio et inquisitio cum magna animi industria veritatis æternorum, nec ab inquisitione desistat, donec quod quærit inveniat quantum potest, planum est quod spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur quod per meditationem quærebatur. Sed quam cito quæsitum invenitur, et spiritus illi quasi acquiescendo cum admiratione inhærere cœperit, tam cito meditatio esse desinit, et in contemplationem transit[5]. » Et postquam Richardi sententiam conformem retulit, sic subdit : « Ex his igitur patere potest istius itineris necessitas, quia motus (et investigatio) meditationis imperfectus et minus utilis permaneret sine termino et quiete contemplationis, quum meditatio terminetur et

Meditatio disponit ad contemplationem, et quare.

[1] Cant. II, 10. — [2] *De sept. itiner., loc. cit.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.*, it. 3. — [5] *Ibid.*, dist. 1.

transeat in contemplationem, tanquam in illud quod perfectius est. Ex his etiam patet ordo istius itineris contemplationis ad iter meditationis, ex quo studio meditationis spiritus humanus surgit in iter contemplationis, et per veritatis contemplationem homo convertitur ad justitiam, et confirmatur ad gloriam [1]. » Hæc S. Bonaventura.

Meditatio terminatur et transit in contemplationem

Richardus de S. Victore, relatus ibi a S. Bonaventura, sic ait : « Per meditationem, diu quæsitam veritatem tandemque inventam mens solet cum aviditate suscipere, mirari cum exsultatione, ejusque admirationi diutius inhærere. Et hoc est jam meditationem meditando excedere, et per meditationem in contemplationem transire. Proprium est enim contemplationi jucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere ;... meditationi vero proprium est sua promotione semper in ulteriora tendere [2]. »

Richardi sententia circa hoc.

Ex modernis, qui facto et scripto de contemplatione multa docuit P. Philippus de SS. Trinitate, Carmelita discalceatus, postquam complura beneficia divina meditando retulit, in calce dicit : « Prædictis harum omnium meditationum notitiis debet occupari memoria, saltem in principio conversionis, ut aliis nocivis et inutilibus superius expressis evacuata ac penitus liberata, soli Deo vacare possit, et ad contemplationem, hac purgatione memoriæ, anima valeat disponi [3]. » Hæc ille.

P. Philippus de SS. Trinitate.

Dico secundo : In perfectis meditativis et proficientibus contemplativis, aut infusa contemplatione pollentibus, non in omni actu contemplandi requiritur antecedens meditatio ; sed sola veri revelati objecti reminiscentia dici poterit meditationis actus.

In perfectis non semper meditatio prærequiritur.

Declaratur et probatur prima pars : Perfectus meditativus, id est ex frequentatione meditandi in meditatione habituatus, et aliqualiter in contemplatione post meditationem exercitatus, dum ex lectione etiam accidentaria

[1] *De sept. itiner., loc. cit.* — [2] Rich. *Arca myst.*, I, 4. — [3] Philipp. de SS. Trin. *Myst. theol.*, I, t. 1, disc. 4, art. 9.

alicujus libri, vel auditione alterius legentis, concionantis vel familiariter loquentis, audit rem aliquam vel dictum quod alias meditatus est et contemplatus, poterit sine aliquo discursu seu meditatione in re illa mentis oculum figere, et cum admiratione verum illud intueri. In omni enim professione exercitatis hoc accidit, ut de rebus alias discursis recordentur, et, sine alio circa eas discursu, in earum consideratione, ab omni alia cogitatione distracti, sistant. Ita in casu. Verbi gratia, quis est assuetus meditari mysterium Trinitatis vel Incarnationis vel aliquid aliud simile, et contemplari illa; post longum exercitium in ejusmodi actibus, interdum ex casu legens aliquem librum, vel audiens aliquem de aliquo ex iis mysteriis loquentem, vel de eo reminiscens, fieri potest, ut, sine ullo discursu aut meditatione circa illud, hoc fiat sibi ita præsens, manifestum, ac si tunc fuisset meditatus ipsum; et sic in intuitu ejus cum admiratione sistat, et de eo delectetur, atque in ipsum amore afficiatur. Hæc, meo videri, clara et facilia sunt; et ita sine meditatione in habituatis accidere potest contemplatio.

Quomodo sine actuali meditatione quis possit contemplari.

De iis tandem, qui dono infusæ contemplationis potiuntur, facilius probatur quod, sine prævia meditatione, accidere potest contemplatio; quia, quum se exponunt ad orandum et meditandum prævia lectione alicujus puncti vel recordatione illius, Deus sæpe illos rapit a lectione vel recordatione, et per speciem a se infusam vel alio modo, ut in suo loco dicam, facit ut intellectus illorum sistat in intuitu objecti per eam speciem repræsentati, cum suspensione actuum sensuum, et cum admiratione, delectatione et amore.

Contemplativis incipientibus necessaria meditatio.

At existimo in incipientibus semper esse necessariam meditationem, quum quis contemplari vult, ex rationibus allatis S. Bernardi ac S. Bonaventuræ.

Ratio evidens cur etiam proficientibus sit necessaria meditatio.

Existimo pariter, etiam proficientibus et perfectis in contemplatione acquisita, necessariam esse meditationem regulariter, ut, considerato objecto meditando, eoque discusso et credito, transiri possit ad contemplationem illius.

Ratio est quia intellectus aliæque potentiæ inferiores, ab externis, sensibilibus et humanis necessitatibus continuo occupatæ, non facile obtinent hoc, ut ipsis, vel in phantasia per speciem sensibilem ac imaginariam, vel in intellectu per speciem intelligibilem, vel in utrisque, appareat objectum aliquod alias meditatum, creditum et contemplatum, cum tanta distinctione, claritate et energia seu efficacia, cum quanta apparuit in meditationibus et contemplationibus illius, alias de eo habitis; ut potest quisque in se experiri de aliis rebus alias frequenter et cum magna applicatione cogitatis. Ideo necesse est, ut volens contemplari aliquod mysterium, se interne recolligat, illud meditetur, discurrendo super omnes ejus partes et circumstantias; deinde aciem mentis in illo figat, cum aliarum potentiarum suspensione ac admiratione, affectu et dilectione. Et sic via ordinaria in acquisita contemplatione procedendum est, nisi Deus aliter de contemplante disponat, ut supra dixi, eum prævenendo.

Contemplativus habens infusam a meditatione quoque incipiat, ne tentetur Deus.

Imo de pollente infusa contemplatione idem dicerem, ut scilicet accingens se contemplationi, sicut de more facere solet statutis horis, prævia consueta invocatione Spiritus Sancti, et cetera, legat punctum et meditetur, ut transire possit ad contemplationem, ne videatur tentare Deum, exspectans ut ipsum abstrahat, rapiat, supernaturali modo rem contemplandam ostendat, ipso nihil agente. Nam aliquando, et pluries, Deus contemplantes non rapit, nec distrahit aut alienat a sensibus, sicut sæpe facit, sed permittit ut suo labore, studio et industria id faciant; et propterea debent se disponere ad contemplationem meditando, ut, si nolit Deus distrahere, rapere, ac modo supernaturali procedere tunc cum illis, vacui non remaneant, et præsumptuosi judicentur, exspectantes raptum et supernaturalem Dei motum, quasi esset ei debitus.

CAPITULUM XIII.

QUODNAM SIT CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ OBJECTUM.

Sensus quæsiti.

ADVERTO quod nomine objecti contemplationis intelligitur materia, seu id quod contemplandum est. Et nota quod aliud est loqui de eo quod contemplandum est, aliud vero de medio in quo repræsentatur seu apparet atque cognoscitur id quod quis contemplatur. De hoc secundo postea loquar, nunc vero de primo ; et sensus est, an solus Deus, id est sanctissima Trinitas, Personæ, prædicata et attributa divina sint objecta seu materia contemplationis ; an etiam aliæ res, et quæ ; num etiam corporales.

Omnia divina sunt primarium objectum contemplationis.

Dico primo : Deus, id est sanctissima Trinitas, omnes Personæ divinæ, et omnia essentialia Dei prædicata seu perfectiones, sunt primarium objectum contemplationis, etiam acquisitæ.

Omnes ita docent, et quare.

Omnes mystici, nemine excepto, in hoc conveniunt ; tum quia omnium operationum sanctarum finis est sanctissima Trinitas cum suis perfectionibus ; tum etiam quia contemplatio Beatorum in patria, quæ succedit contemplationi viæ, et, ut ait Gregorius, hic inchoatur, ibi perficitur[1], habet pro objecto primario sanctissimam Trinitatem cum suis prædicatis et perfectionibus ; ergo etiam contemplatio viæ.

S. Bernardus dicit objecta contemplanda esse Deum, Dei essentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, et cetera[2].

S. Gregorius ait : In contemplatione principium, quod est Deus, quæritur [3].

[1] *Moralium* XXX. — [2] Bern. *Homil. infra oct. Epiph.* — [3] *Moral.* VI, 8.

S. Thomas idem prorsus docet, et ex S. Augustino [1] comprobat, eo quod in patria hoc est objectum principale ac primarium illius æternæ ac felicissimæ contemplationis.

S. Bonaventura sæpissime id docet [2]; neque de hoc est difficultas, quia Deus est ultimus finis et ultimus terminus orationis, quæ essentialiter est ascensio mentis ad Deum, seu, ut dicit S. Basilius, est collocutio hominis cum Deo, et ascensio mentis ad eum.

Christus et ejus opera sunt objectum contemplationis.

Dico secundo : Primum objectum post sanctissimam Trinitatem, quod contemplari potest ac debet, est Christus ut homo-Deus, ejus vita, operationes, passio et mors.

Probatur : S. Bernardus enixe hortatur fideles ad meditationem et contemplationem Christi, ac vitæ et mortis ejus : Sit tibi semper Jesus in corde ; et nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio, mel tuum et desiderium tuum, lectio tua et meditatio tua, oratio tua et contemplatio tua, mors, vita et resurrectio tua [3].

S. Thomas ait : « Ea quæ sunt Divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus; sed ex debilitate mentis humanæ est quod, sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota ; inter quæ præcipuum est humanitas Christi, secundum quod in Præfatione dicitur : « Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in « invisibilium amorem rapiamur. » Et ideo ea quæ pertinent ad Christi humanitatem, per modum cujusdam manuductionis, maxime devotionem excitant ; quum tamen devotio principaliter circa ea quæ sunt Divinitatis consistat [4]. »

S. Bonaventura, in tractatu *De meditatione vitæ Christi* quod prætitulat *De tribus generibus contemplationis,* ait :

[1] Aug. *De Trinit.*, I, 8. — [2] *De sept. itiner., De parv. bono, De stim. amor.*, etc.— [3] Bern. *Epist. ad Fratres de Monte Dei.* — [4] Thom. 2. 2, q. 82, art. 3, ad 2.

Diversa objecta diversis contemplantium gradibus assignat S. Bonaventura

« Scire debes contemplationis tria esse genera, duo principalia propter perfectos, tertium additur pro imperfectis. Duo perfectorum sunt contemplatio majestatis Dei et contemplatio cœlestis curiæ; tertium pro incipientibus et imperfectis est contemplatio humanitatis Christi... Et ideo ab hac tibi incipiendum est, si vis ascendere ad majora, alias non tam ascendere quam reverti posses; nunquam enim ad sublimia Dei mente elevare te posse confidas, nisi in hac te diligenter et longo tempore exerceas [1]. » Et diffuse discurrit de duobus primis generibus; et in capitulo quinquagesimo primo, quod est *De contemplatione humanitatis Christi,* prolixe de ea discurrit; in capitulo sequenti, *De contemplatione cœlestis curiæ;* in capitulo subsequenti, *De contemplatione majestatis Dei.* Omnia ergo ad Christum spectantia sunt contemplationis objecta.

Idem S. Bonaventura inquit : « O cæcitas filiorum Adæ, qui per vulnera Christi nesciunt ad Deum introire [2] ! » Si bene Passionem Domini fueris meditatus, et multum intraveris latus ejus, cito pervenies ad cor ejus. Quicumque enim ad contemplationis quietem, nisi per illud ostium intrare voluerit, furem se reputet ac latronem. Idem ait : « Latus suum sacratissimum ferro lanceæ aperiri voluit, ut non nisi per plagas mens proficientis in Divinitatis intimis radicetur [3]. » In titulo *Parvum bonum* inquit : Vita et Passio Christi sunt contemplanda [4].

Creaturæ quomodo sunt objectum contemplationis.

Dico tertio : Omnes creaturæ, ut important respectum ad Deum, possunt esse objectum contemplationis religiosæ.

Declaratur et probatur : Omnis oratio est ascensio mentis ad Deum, ut sæpe diximus, seu collocutio cum Deo, ut ait S. Basilius; ergo, quum contemplatio sit perfectissima oratio et collocutio cum Deo, si aliquid intuetur, eatenus est contemplatio, quatenus aliquo modo respicit Deum :

[1] Bonav. *De medit. vitæ Christi,* c. 50. — [2] *Id. Stimul. amor.,* 1. — [3] *Id. Theol. mystic.,* c. 3. — [4] *Id. Parvum bonum,* c. 3.

sed per creaturarum considerationem Deus considerari potest ; *invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur ; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* [1]. Et quia, — supposita fide creationis et conservationis omnium creaturarum, et concursus Dei ad omnes operationes omnium creaturarum rationalium et irrationalium, ac etiam vegetabilium, — potest fidelis in cujuslibet horum operum consideratione Dei potentiam ac sapientiam considerare, ex hac ratione, et cum hac relatione ad Dei potentiam et sapientiam, evadunt objecta contemplationis religiosæ, quæ Deum respicit ac divinas perfectiones.

Corollarium notandum.

Ex his manifestum est, quod, loquendo de omnibus rebus extra Deum in ordine naturæ, supposita fide quod a Deo sint, esse possunt contemplationis materia. Et ita, incipiendo ab initio mundi, a primo capitulo Genesis per totum Pentateuchum, et prosequendo per omnes libros historiales canonicos, omnia facta et dicta quæ in eis narrantur, etiam si ordinis naturæ sint et mere genealogica, considerata ut a Dei sapientia et potentia ac providentia proveniunt, materia et objecta contemplationis esse possunt. Omne ergo punctum seu omnis veritas revelata in sacra Scriptura pertinens ad ordinem naturæ cadere potest sub contemplationis objecto ; et sic creatio mundi, cœlorum, elementorum, mixtorum, hominis et cetera, et omnia alia historica naturalia in toto veteri Testamento, cum relatione illa ad Deum, ut facientem, conservantem, et quoad modum ejus potentiæ ac sapientiæ congruentem, sunt objecta contemplationis.

Dico quarto : Omnia creata, in ordine gratiæ considerata, cum ordine et relatione ad Deum, ut efficientem, sapientem, misericordem, benignum, et cetera, sunt objecta contemplationis religiosæ. Sic dico ad differentiam philosophicæ.

Declaratur et probatur facile : Omnia ista habent forma-

[1] Rom. 1, 20.

Quomodo opera gratiæ sint contemplationis objecta.

le objectum contemplationis, nempe Divinitatem, ejusque prædicata in eis relucentia; in operibus enim gratiæ maxime Deus relucet, nam *gratiam et gloriam dabit Dominus* [1]. Etsi enim circa opera naturæ delirarunt philosophi, opera tamen gratiæ suis speculationibus attingere non potuerunt; ideo in eis omnino ignari dormierunt. Ac propterea, supposita fide operum gratiæ, non potest aliquis, nisi explicito ad Deum gratificantem respectu, aliquod eorum considerare, et sic Deum in opere illo intueri.

Primum autem opus, tam respectu efficientis quam respectu finis, termini et effectuum, est opus Incarnationis; item omnia dona supernaturalia Christi animæ collata: lumen gloriæ, summa gratia, omnia dona Spiritus Sancti, omnes gratiæ gratis datæ, ejus beatitudo a primo instanti creationis animæ, et cetera; imo omnia ejus opera supernaturalia et miraculosa, quia a Christo homine-Deo fiebant, et ideo theandrica dicta ratione efficientis, ad ordinem gratiæ spectant; et propterea legimus in multis levasse oculos ad cœlum, et gratias Deo egisse, quia eum semper audiebat.

Omnia prodigia et miracula a Deo facta.

Præterea, omnia miracula, prodigia, portenta aliaque supra naturæ ordinem a Deo patrata, vel immediate vel per Angelos aut homines, in sacra Scriptura relata, sunt materia seu objecta contemplationis; et in his omnibus contemplativi exercentur.

Dico quinto: Quatuor novissima, ut Deum respiciunt, quodlibet in suo ordine, sunt materia seu objecta contemplationis religiosæ.

Novissima sunt contemplationis objecta.

Declaratur et probatur: Novissimum gloriæ ex natura sua includit actus videndi Deum, ac illo fruendi, et ipsum Deum ut objectum; novissimum mortis respicit Deum, ut auctorem vitæ ac mortis; novissimum judicii respicit Deum, ut justum et severum judicem; novissimum inferni respicit Deum, ut exigentem pœnas pro delictis; — ad hoc etiam caput reduci potest purgatorium, licet pœnæ

[1] Ps. LXXXIII, 12.

sint temporales ; — quum ergo hæc omnia sint materia ascendendi ad Deum, eumque considerandi ac intuendi sub ratione justi remuneratoris quoad præmia et supplicia, omnia possunt esse contemplationis objecta.

Etiam omnia revelata Scripturæ.

Dico sexto : Omnia revelata in utroque Testamento, quocumque modo respicentia Deum, esse possunt contemplationis materia seu objecta.

Probatur et declaratur : Nihil eis deficit quin talia sint, nam revelata, et ideo credita, — quod est cujuslibet meditationis et contemplationis fundamentum, — Deus in eis involvitur velut finis ; quodlibet horum est quid divinum, ideoque contemplabile.

Et septem sacramenta.

Dico septimo : Septem sacramenta sunt contemplationis materia seu objecta, et ex S. Bonaventura, tota Ecclesia est contemplationis objectum.

Probatur et declaratur : Sacramenta, excepta Eucharistia, duplici ex capite respiciunt Deum, et ut auctorem eorum, et ut effectorem gratiæ et remissorem peccatorum ; Eucharistia autem, ne dum ex his motivis, sed ut contentum vere et realiter in ipsa ; ideoque omnia sunt materia seu objecta contemplationis, sicut Ecclesiæ hierarchia cum suo capite et membris a Deo disposita.

Item tota Ecclesia.

Virtutes theologicæ et alia Dei dona.

Dico octavo : Virtutes theologicæ, dona Spiritus Sancti, gratiæ gratis datæ, auxilia divinæ gratiæ, miracula, et cetera similia Dei dona, sunt materia seu objecta contemplationis.

Probatur eodem modo : Omnia hæc respiciunt Deum, ut eorum effectorem et ut concurrentem ad opera supernaturalia ; igitur per omnia ista potest mens ascendere ad Deum, et illum fixe ac simplici intuitu cognoscere, et cum eodem colloqui.

Necnon omnis res creata.

Dico nono : Omnis res creata cujuscumque ordinis et conditionis potest esse materia seu objectum contemplationis, ut respicit Deum.

Probatur et declaratur : Quælibet potest considerari ut opus factum a sapientia et potentia Dei, vel ex benevolentia et amore Dei in genus humanum ; ideoque poterit

ex eis mens ad Deum ascendere, et in eo obtutum figere, quod est contemplari.

Richardus de S. Victore [1], quem S. Thomas et S. Bonaventura in hac materia magnifaciunt et sequuntur, unico verbo rem totam hujus quæsiti resolvit, inquiens, eamdem esse posse materiam cogitationis, meditationis et contemplationis, sed cum alio modo, ut supra diximus referendo integram quamvis prolixam ejus auctoritatem. Omnia ergo increata et creata, cum respectu ad Deum, possunt esse contemplationis objecta.

CAPITULUM XIV.

AN IN CONTEMPLANDIS PRÆFATIS OBJECTIS SERVANDUS SIT ALIQUIS ORDO.

Sensus quæsiti.

ADVERTO primo sensum hujus quæsiti esse hunc : an contemplationi acquisitæ vacantes servare debeant aliquam methodum seu ordinem circa objecta contemplanda, ut nempe prius aliquod genus objectorum, verbi gratia corporalia a Deo facta ac facienda, quæ revelata jam sunt, contemplentur, deinde pertinentia ad vitam, opera, Passionem ac mortem Christi, et in his per aliquod tempus exerceri ; et postea contemplari spiritualia, animam, habitus spirituales ac supernaturales ceteraque opera gratiæ, Angelos, vitam et mortem æternam, visionem ac fruitionem Dei, et in horum contemplatione exercitari ; deinde in contemplatione attributorum Dei, potentiæ, sapientiæ, justitiæ, et cetera ; postea in prædicatis constitutivis Dei, unitatis essentiæ a se, infinitatis, æternitatis, intellectualitatis, et cetera ; tandem in horum omnium contemplatione versati, debeant contemplari sanctissimam

[1] Rich. *De contempl.*, 1, 3.

Trinitatem, et Personarum divinarum productiones : an, inquam, iste ordo servandus sit ? an indifferenter de quovis istorum fieri possit contemplatio, nullo servato contemplandi ordine ? Et de acquisita contemplatione tantum nunc loquimur.

Incipiendum a contemplatione sensibilium.

Dico primo : Regulariter loquendo, incipiens vacare contemplationi debet se prius exercere in contemplatione corporalium revelatorum, in quibus relucet aliqua divina perfectio. Dixi *regulariter* quia posset Deus alicui aliter inspirare, et hic deberet sequi inspirationem.

Ordo contemplandorum.

Probatur ex S. Bonaventura, in *Itinerario mentis ad Deum,* dicente : « Quoniam igitur prius est ascendere in scala Jacob, primum gradum ascensionis collocamus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tanquam speculum per quod transeamus ad Deum opificem summum, ut simus... cum Christo transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, simus et Sapientiæ amatores, quæ vocat et dicit : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me* [1]. *A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri* [2]. Relucet autem Creatoris summa potentia, sapientia et benevolentia in rebus creatis [3]. » Et post aliqua, assignat quæ in rebus creatis contemplari possint, in quibus divina relucet virtus, sic : « Adspectus contemplantis res in seipsis considerans, videt in eis pondus, numerum et mensuram : pondus quoad situm ubi inclinantur, numerum quo distinguuntur, et mensuram qua limitantur. Ac per hoc videt in eis modum, speciem et ordinem, necnon substantiam, virtutem et operationem ; ex quibus consurgere potest, sicut ex vestigio, ad intelligendum potentiam, sapientiam et bonitatem Creatoris immensam. Secundo, adspectus fidelis considerans hunc mundum, attendit originem, decursum et terminum ; nam fide credimus aptata esse sæcula Verbo vitæ ; fide credimus tria legum tempora, scilicet naturæ,

1 Eccli. XXIV, 26. — 2 Sap. XIII, 5. — 3 Bonav. *Itiner. mentis ad Deum,* I.

scripturæ et gratiæ, sibi succedere, et ordinatissime decurrisse ; fide credimus mundum per finale judicium terminandum fore. In primo potentiam, in secundo providentiam, in tertio justitiam summi Principii advertimus. Tertio, adspectus ratiocinantis investigans videt quædam tantum esse, quædam tantum esse et vivere, quædam vero esse, vivere et discernere... Videt iterum quædam tantum esse corporalia, quædam partim corporalia, partim spiritualia ; ex quo advertit aliqua esse mere spiritualia, tanquam utrisque meliora et digniora. Videt nihilominus quædam esse mutabilia et corruptibilia, ut terrestria, quædam mutabilia et corruptibilia, ut cœlestia ; ex quo advertit quædam esse immutabilia et incorruptibilia, ut supercœlestia. Ex his ergo visibilibus consurgit ad considerandum Dei potentiam, sapientiam et bonitatem, ut exsistentem, viventem et intelligentem mere spiritualem et incorruptibilem et intransmutabilem [1]. » Hæc S. Bonaventura.

Imo, ut contemplativus incipiens ac proficiens possit facilius et commodius ex his creatis corporalibus ascendere ad contemplationem alicujus vel plurium ex divinis perfectionibus, quæ in hisce sensibilibus relucent, ad supradicta verba hæc subnectit :

Species rerum contemplandarum.

« Hæc autem consideratio dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quæ est divinæ potentiæ, sapientiæ ac bonitatis testimonium septiforme, si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, operatio et ordo. Origo namque rerum secundum creationem, distinctionem et ornatum, quantum ad opera sex dierum, divinam prædicat potentiam cuncta de nihilo producentem, sapientiam cuncta lucide distinguentem, et bonitatem cuncta largiter adornantem. Magnitudo autem rerum secundum molem longitudinis, latitudinis et profunditatis, secundum virtutis excellentiam longe lateque et profunde se extenden-

Origo rerum.

Magnitudo.

1 Bonav. *Itiner. mentis ad Deum*, 1.

tis, sicut patet in diffusione lucis, secundum efficaciam operationis intimæ, continuæ et diffusæ, sicut patet in operatione ignis, manifeste indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ et bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, essentiam et præsentiam incircumscriptus exsistit [1]. »

« Multitudo vero rerum secundum diversitatem generalem, specialem et individualem in substantia, in forma seu figura et efficacia ultra omnem humanam æstimationem, manifeste trium prædictarum conditionum in Deo immensitatem insinuat et ostendit [2]. » Multitudo.

« Pulchritudo autem rerum secundum varietatem luminum, figurarum et colorum in corporibus simplicibus, mixtis, et etiam complexionatis, sicut in corporibus cœlestibus et mineralibus, sicut lapidibus et metallis, plantis et animalibus, tria prædicta evidenter proclamat [3]. » Pulchritudo.

« Plenitudo autem rerum, secundum quod materia est plena formis secundum rationes seminales, forma est plena virtute secundum activam potentiam, virtus est plena effectibus secundum efficientiam, idipsum manifeste declarat [4]. » Plenitudo.

« Operatio multiplex, secundum quod est naturalis, secundum quod est artificialis, secundum quod est moralis, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis et bonitatis, quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi [5]. » Operatio.

« Ordo autem secundum rationem durationis, situationis et influentiæ, scilicet per prius et posterius, superius et inferius, nobilius et ignobilius, in libro creaturæ manifeste insinuat primi principii primitatem quantum ad infinitatem potentiæ; ordo vero divinarum legum, præceptorum et judiciorum in libro Scripturæ, immensitatem sapientiæ; ordo divinorum sacramentorum, beneficiorum et retributionum in corpore Ecclesiæ, immensitatem bo- Ordo.

1 Bonav. *Itiner. mentis ad Deum*, c. 1. — 2 *Ibid.* — 3 *Ibid.* — 4 *Ibid.* — 5 *Ibid.*

nitatis, ita quod ipse ordo nos in primum et summum potentissimum, sapientissimum atque optimum manifestissime manuducit [1]. »

Duo docet S. Bonaventura.

Ecce quod Seraphicus Doctor docet duo : primo, quod incipientes contemplationis exercitium incipere debent a contemplatione sensibilium, quæ manuducunt ad Dei cognitionem, ut dicit S. Paulus : *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur ; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* [2]. Secundo docet fere omnia sensibilium contemplandorum genera, in quibus relucet divina potentia, sapientia et bonitas ; imo in eo capitulo sic concludit : « Qui tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est ; qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est ; qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est ; qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est [3]. » Ex his ergo ad Deum ascenditur.

In capitulo secundo ejusdem *Itinerarii,* S. Bonaventura refert omnes fere omnium sensibilium rerum species, ex quibus tanquam ex vestigio potest homo ascendere ad cognitionem et contemplationem Dei, ut ipse ibi docet.

Quæ in secundo loco contemplanda sunt.

Dico secundo : Vacans contemplationi, post notabile exercitium contemplandi Deum per sensibilia, in quibus relucet divina perfectio, regulariter loquendo, debet se exercere in contemplatione animæ rationalis, ejusque potentiarum et perfectionum, in quibus tanquam imagine Dei, Deus ipse cognoscitur.

Dixi *regulariter loquendo ;* nam posset Deus aliter inspirare contemplanti, ut scilicet contempletur divina immediate.

Probatur nunc conclusio ex eodem S. Bonaventura, contemplationis magistro theorice et practice. Is, in dicto *Itinerario mentis ad Deum,* postquam in duobus primis capitulis docuit contemplantem debere incipere exercitium contemplationis a sensibilibus, prout in eis relucet

[1] Bonav. *Itiner. mentis ad Deum,* c. 1. — [2] Rom. 1, 20. — [3] Bonav. *loc. cit.*

divina perfectio, in capitulo tertio docet contemplandum deinceps Deum per animam, illius imaginem, naturalibus potentiis insignitam. Supposita enim fide quod homo factus sit ad Dei imaginem [1], potest homo ex imagine ad prototypum per cognitionem manuduci : et ostendit sanctus doctor quomodo id fieri possit. Et quoniam anima dupliciter considerari potest imago Dei, in genere naturæ et in genere gratiæ, id est, ut donis gratuitis prædita; S. Bonaventura in dicto capitulo tertio docet quomodo ex anima secundum naturalia ascendi possit ad contemplationem Dei; et in capitulo quarto docet quomodo ex consideratione animæ gratuitis donis a Deo decoratæ, mens ascendere possit ad contemplandum Deum dona illa largientem; et dicit hunc esse quartum contemplandi gradum; et docet a gratuito summo dono Incarnationis Filii Dei incipiendum, et prosequendum per omnes actiones et passiones Christi Domini, quibus promeruit omnia gratuita dona, reparationem, sacramenta, virtutes theologicas, justificationem et cetera cuncta spiritualia ac supernaturalia dona; et ex his ascendit homo ad contemplandum potentiam, sapientiam, bonitatem et caritatem Dei.

Dupliciter consideratur anima.

Gratuita dona consideranda.

Dico tertio : Postquam contemplans in præfatorum objectorum contemplatione se exercuit per aliquod tempus, poterit Deum in se immediate contemplari, primo secundum perfectionem primariam, quæ est *esse*.

Alia series contemplandorum.

Probatur ex S. Bonaventura qui, in capitulo quinto dicti *Itinerarii mentis ad Deum,* quod dictis verbis prætitulat, dicit : « Qui exercitati sunt in primo modo (id est per vestigium contemplati sunt Deum), intraverunt jam in atrium ante tabernaculum; qui vero in secundo (id est per imaginem), intraverunt in Sancta; qui autem in tertio (id est per gratuita), intrant cum summo Pontifice in Sancta Sanctorum, ubi supra arcam sunt Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, per quæ intelligimus duos modos seu gradus contemplandi Dei invisibilia et æterna,

[1] Gen. 1, 26, 27.

quorum unus versatur circa Dei essentialia, alius circa propria Personarum. Primus modus primo et principaliter defigit adspectum in ipsum esse, dicens quod *Qui est,* est primum nomen Dei [1]. » Et multa dicit de hoc esse Dei, et de essentialibus ejus.

Tandem in capitulo sexto ait : « Post considerationem essentialium, elevandus est oculus intelligentiæ ad contuitionem beatissimæ Trinitatis... Sicut autem visionis essentialium ipsum esse est principium radicale, et nomen per quod cetera innotescunt, sic contemplationis emanationum ipsum bonum est principalissimum fundamentum [2]. » Et de Personis divinis complura contemplanda subtiliter docet.

Hic ergo ordo a contemplativis contemplationi acquisitæ vacantibus servari deberet, ut prius Deum per sensibilia creata cognoscant et contemplentur, deinde per intelligibilia naturalia et gratuita, tandem ipsum Deum secundum prædicata essentialia et trinitatem Personarum, nisi aliter inspiret Deus.

CAPITULUM XV.

SUB QUO CONCEPTU APPREHENDI DEBET DEUS IN CONTEMPLATIONE ACQUISITA.

Sensus quæsiti declaratur.

Advertо primo, pro declaratione quæsiti, quod, ex communi omnium sententia, duobus modis potest concipi seu apprehendi Deus, scilicet sub conceptu positivo et negativo ; non quidem quod Deus vel ejus perfectiones sint negationes vel entia negativa, — fatuum enim et stultum esset hoc somniare, — sed sic intelliguntur isti modi : Deus est ens subsistens ; est bonus, sanctus, potens, justus, sapiens et cetera. Certum est quod intelle-

[1] Bonav. *Itiner. mentis ad Deum*, c. 5. — [2] *Ibid.*, c. 6.

ctus creatus, præsertim in via, quum non adæquetur entitati et intelligibilitati Dei, non potest concipere nec apprehendere istas perfectiones Dei vel aliquam earum quantum est apprehensibilis secundum totam suam latitudinem seu secundum omnes gradus ejus, quia quælibet infinita est. Hoc autem supposito, potest aliquis concipere Dei entitatem, verbi gratia, positive sicut quoddam ens continens formaliter vel eminenter omne ens : sic sapientiam, ut quamdam excessivam virtutem omnes alias sapientias superantem, immensitatem, tanquam exsistentiam in omni loco, et ita de aliis ; et hoc modo concipitur positive. Negativo autem modo concipitur sicut ens sine imperfectione aliqua ex iis quæ videntur in rebus creatis ; verbi gratia : Deus ens absque dependentia ab aliquo, absque mutabilitate, et cetera ; sapientia, sed non ut accidens quoddam, non exposita deceptioni. Si concipitur substantia Dei sub conceptu negativo, concipitur non esse ut sunt substantiæ creatæ, sive non viventes sive viventes, non ut substantiæ hominum vel Angelorum ; uno verbo dicam : quoties concipitur aliqua perfectio Dei sub hoc conceptu, quod magna quidem sit, et non sicut perfectiones creaturarum, et sine conditionibus atque accidentibus istarum, tunc dicitur concipi sub conceptu negativo.

Conceptus positivus qui.

Negativus qui.

Adverto secundo, quod quæstio hæc utilis quidem est, sed mere theologica ; nihilominus fuit explicanda pro tironibus, etiam contemplativis, ut sciant, et in contemplatione et extra eam, dum aliquem fidei actum eliciunt, concipere Deum quem credunt, et cui credunt omnia revelata ; possintque conceptum illum de Deo ejusque perfectionibus formatum in sua memoria retinere, in eoque intuitum simplicem ac firmum figere, dum contemplantur, sistendo in conceptu illo, ut denudato ab omni imperfectione, licet hoc litteratorum sit, non rudium et simplicium.

Cur hoc quæsitum discutitur.

Dico ergo : Utroque modo, nempe sub conceptu positivo vel negativo, potest Deus concipi, tam in casu contemplationis, quam extra ; sed præcipui doctores consu-

Utroque modo potest Deus concipi.

lunt concipiendum sub negativo, quasi melius explicante perfectiones Dei, a creatura incomprehensibiles.

Probare incipiam secundam partem : Qui hoc docent fundantur in auctoritate S. Dionysii Areopagitæ, qui, loquens de Dei conceptu, ait : « Dicamus ascendentes, quod neque Deus est anima, neque intellectus, nec ratio, neque intelligentia ; nec dicitur, neque intelligitur, nec stat, neque movetur, nec potentiam habet, neque potentia est, neque lumen, neque vivit, neque vita est; neque substantia est, nec scientia aut veritas, neque sapientia, nec unum, nec unitas, nec spiritus est, neque filiatio, nec paternitas, nec aliud quid nobis, nec alicui entium cognitorum ; neque quid non entium, neque quid entium est, neque entia eam cognoscunt, ut ipsa est; neque ratio ipsius est, neque nomen, neque agnitio, nec lumen, nec error, nec veritas ; neque est universaliter ipsius positio, neque ablatio. Omnia quippe incomparabiliter ac inexcogitabiliter excedit ; et nec numero, nec specie, nec genere quidquam cum eo communicat[1]. » Vult docere quod nullum istorum adæquate explicat Deum.

S. Thomas idem docet.

S. Thomas sequitur S. Dionysium, dicens : « Deum autem, ut Dionysius dicit, cognoscimus ut causam, et per excessum et per remotionem[2]. » Clarius autem, et plenius id docet in libro *Contra gentiles*, capitulo quod sic prætitulat : *Quod ad cognitionem Dei oportet uti via remotionis*. In corpore quæsiti, ait : « Est autem via remotionis utendum, præcipue in consideratione divinæ substantiæ. Nam divina substantia omnem formam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit ; et sic ipsam apprehendere non possumus cognoscendo quid est, sed aliqualem ejus habemus notitiam cognoscendo quid non est, tantoque enim ejus notitiæ magis appropinquamus, quanto plurima per intellectum nostrum ab eo poterimus removere ; tanto enim unumquodque perfectius cognosci-

1 Dion. Areop. *De myst. theol.*, c. 5. — 2 Thom. 1 p., q. 84, art. 7, ad 3.

mus, quanto differentias ejus ad alia plenius intuemur [1]. »
Et sequitur aliis multis.

Optima metaphora.

Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, in tractatu *De simplificatione cordis,* idipsum docens, quod nempe Deus concipiendus sit ut ens perfectissimum per negationem omnis imperfectionis, utitur S. Dionysii exemplo de statuario qui, ut statuam faciat perfectam, aufert a lapide omnes illas partes, quæ impediebant formationem pulchræ et nobilis statuæ; sic dum concipitur Deus, removendæ sunt omnes imperfectiones, et sic remanet perfectissimus Dei conceptus. Sic autem loquitur: « Exemplum palpabile dat ipse Dionysius pro manuductione cognitionis hujus theologiæ mysticæ. Considera fabricatorem statuarum, nonne hic format imaginem vel statuam non addens quidquam, sed rescindens et removens; ex qua subtractione remanet agalma (id est simulacrum) pulcherrimum, imago pulchre figurata vel sculpta? Sic agit suo modo meditantis animus, dum ab hoc conceptu vago entis, habito ab exterioribus sensatis, intra facit abstractionem, removendo ab hoc conceptu vago quidquid est imperfectionis in entibus cognitis per phantasmata [2]. » Et post aliqua ad idem ait: « Qua abstractione facta, dici nequit quod nihil remaneat cognitum in abstrahentis animo, quin potius resultat agalma pulcherrimum, seu... remanet conceptus entis perfecte denudatus ab omni imperfectione. Et hujusmodi est proprius Dei conceptus absolutus, licet non intuitivus [3]. »

Dionysius Cartusianus refert duas sententias de modo concipiendi Deum, per conceptum positivum, vel negativum, id est per remotionem imperfectionum, et hic secundus ei magis placet, dicens Deum sub conceptu entis absoluti concipiendum, remotis imperfectionibus; « idem de vita, de bonitate, de sapientia, de potentia, et de consimilibus prædicatis perfectionalibus. Flecti videtur in

1 Thom. *C. Gent.*, lib. 1, c. 14. — 2 Gerson *De simplific. cordis*, not. 8. — 3 *Ibid.*

istam sententiam Augustinus in pluribus locis præsertim *De Trinitate* [1], » Bonaventura quoque in suo *Itinerario,* et alibi.

Sed post S. Dionysium, primus omnium qui docuit Deum conceptu negativo melius concipi quam positivo, fuit S. Cyprianus, qui dicit : « Affirmatio quippe de Dei essentia in promptu haberi non potest, neque enim definibilis est Divinitas; sed verius sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam asserendo quid sit; quoniam quidquid sensui subjacet illud esse non potest quod omnem superat intellectum [2]. »

S. Bonaventura refert utramque sententiam.

At S. Bonaventura utramque opinionem refert in tractatu *Parvum bonum,* ubi sic habet : « Nota quod adspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia ; et hæc sunt mysteria summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea, et hoc dupliciter : vel per positionem, vel per ablationem. Primum ponit Augustinus, secundum Dionysius. Per positionem primo intelligimus in divinis esse quædam ut communia, quædam ut propria, quædam ut appropriata, quædam sunt media inter hæc et illa. Intellige ergo et contemplare, si potes, circa Deum communia, et vide quoniam Deus est essentia prima, natura perfecta, vita beata : quæ necessariam habent consequentiam. Iterum intende et vide, si potes, quoniam Deus est æternitas præsens, simplicitas replens et stabilitas movens : quæ similiter consequentiam habent et connexionem naturalem. Postremo attende et vide quoniam Deus est lux inaccessibilis, mens invariabilis et pax incomprehensibilis : quæ non tantum essentiæ unitatem, sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem : quæ sunt propria divinarum Personarum [3]. »

Modus negativus perfectior.

Deinde subnectit prædicata tam propria quam appropriata eisdem divinis Personis; et aliquibus aliis interjectis, sic concludit : Hæc est igitur erectio per viam

[1] Dion. Cart. *In lib. S. Dion. de myst. theol.*, c. 5. — [2] Cypr. *De oper. card. Christi,* in prolog. — [3] Bonav. *Parv. bon.*, c. 3.

affirmationis. Et prosequitur : « Sed alia est eminentior per viam negationis ; quoniam, ut dicit Dionysius, affirmationes incompactæ sunt, negationes vero, licet videantur nihil dicere, plus tamen dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem trium, ita quod in negationibus illis sit ordo, incipiendo ab inferioribus usque ad superiora. Est etiam supereminentis positionis inclusio ; ut quum dicitur Deus non est quid sensibile sed supersensibile, nec imaginabile sed superimaginabile, nec intelligibile sed superintelligibile, nec exsistens hoc vel hoc sed super omne ens. Et tunc veritatis adspectus fertur in mentis caliginem, et altius elevatur, et profundius egreditur pro eo quod excedit se et om ne creatum. Et hic est nobilissimus elevationis modus. Sed tamen ad hoc quod sit perfectus, præexigit alium, sicut perfectio illuminationem, et sicut negatio affirmationem. Hic autem modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior, tanto fructuosior, quanto affectio proximior. Et ideo utile valde est in illa exerceri. » Hæc S. Bonaventura. Quum autem alter etiam modus S. Augustino placeat,

Modus positivus cognoscendi Deum.

Probatur altera pars, de concipiendo Deum positivo conceptu ad effectum contemplandi : Quamvis doctis et versatis in theologia facile sit Deum et divina concipere sub conceptu negativo, et sic eum ejusque virtuales perfectiones sine ulla difficultate contemplari, tamen personis piis, quidem in actibus fidei, spei et caritatis, ac in meditationibus exercitatis, sed illitteratis, esset difficile sic depurare, ut ita loquar, conceptum Dei et aliarum perfectionum divinarum antequam intuitum mentis figant in aliquam earum, et contemplentur intuendo ac amando. Et ex alia parte, fideles omnes ab infantia instructi et assueti sunt concipere Deum et divina per conceptus positivos, et sub eis illa omnes semper crediderunt, quia et in Symbolo et in Catechismo et in sacra Scriptura sub positivis conceptibus revelantur et explicantur ; omnes enim credimus tres divinas Personas, credimus divinas perfectiones, intellectum, voluntatem, potentiam, justitiam,

misericordiam, caritatem, et cetera ; item, divinas productiones activas et passivas, et cetera divina ; quæ quidem nullus puto fidelis, — et a me incipio, — quando ista objecta incepit apprehendere atque credere, et prosecutus est actus fidei et meditationis circa ea facere, cogitavit de conceptibus negativis, seu, ut ita dicam, de depuratione intellectuali talium objectorum ab omni creata imperfectione vel perfectione ; sed ea apprehendunt omnes et credunt tanquam perfectissima, licet gradum talis perfectionis non attingant, sed credunt esse infinita. Et nullus parochus, nullus magister, nullus episcopus, nullus Papa aut Concilium docuit fideles sub negativo conceptu apprehendere aut credere debere Deum, Trinitatem et ceteras divinas perfectiones.

Sub positivis revelata.

Præterea quum Deus, ut in sacra Scriptura legitur, revelavit se aut suas perfectiones, sub positivis nominibus et conceptibus revelavit. Dicit Moysi : *Ego sum qui sum*[1]. Quod sit unus revelavit positivo vocabulo, dicens Moysi, quod est solus Deus : *Neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra*[2]. Trinitatem revelavit Christus positivis vocabulis : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*[3]. Unitatem Personarum in essentia eodem modo revelavit Christus : *Ego et Pater unum sumus*[4]. Immensitatem revelavit Deus vocabulo positivo : *Numquid non cœlum et terram ego impleo*[5]? Nimis prolixum esset referre omnes Dei perfectiones et attributa ab ipsomet Deo revelata sub positivis conceptibus, ut facile mihi esset, at quia non est necessarium, omitto.

Neuter modus excluditur.

Concludo ergo, quod supracitati doctores optime dicunt quod magis adæquate et magis plene ac perfecte conciperetur Deus, si ejus essentia et perfectiones positivæ conciperentur per conceptum negativum, id est per actum intellectus quo removentur ab eis omnes imperfectiones;

[1] Exod. III, 14. — [2] Deut. III, 24. — [3] Matth. XXVIII, 19. — [4] Joann. X, 30. — [5] Jer. XXIII, 24.

at non docent nec dicunt quod non possint aliter et sub conceptu positivo concipi, et quod sub hoc nequeant esse objecta contemplationis. Quocumque ergo modo concipiantur, possunt esse contemplationis objecta.

CAPITULUM XVI.

IN QUO MEDIO CONTEMPLATIO INTUETUR OBJECTA.

Momentum quæstionis.

Advertо primo, quæsitum hoc vere et proprie ad contemplativos theologiæ ac philosophiæ ignaros non pertinere, quia sufficit contemplativo si, objectum meditandum et contemplandum apprehendens, sciat quos cognitionis actus debeat circa illud exercere, et eo modo quo sæpe dictum est, nempe discurrendo in meditatione, et fixe ac firmiter intuendo in contemplatione, parum curando de medio in quo repræsentatur, sive in specie imaginaria phantasiæ, sive in specie intelligibili intellectus contemplantis. Nihilominus pro contemplativis philosophis, aut etiam theologis, videtur discutiendum, et pro aliis studiosis et curiosis, quia puto multos in hoc puncto hallucinari.

Sensus quæsiti quis sit.

Adverto secundo, sensum quæsiti esse, an contemplatio fiat in speciebus tantum intelligibilibus, in quibus repræsentari debeant objecta contemplabilia, ita ut, quum fit contemplatio, phantasia seu imaginativa tunc otietur sicut otiantur sensus externi; an phantasia aliquando, et circa quæ objecta tendere possit, dum intellectus contemplatur; his enim modis fit cognitio absente objecto.

De acquisita contemplatione est sermo.

Adverto tertio, hic esse sermonem de contemplatione acquisita seu naturali dicta, quæ communiter fieri solet, licet ex gratiæ auxilio, sicut meditatio; nam de infusa seu supernaturali loquar postea, inquiramque in quo medio fiat, an in eisdem in quibus acquisita, an in aliis.

Spiritualia in solis speciebus intelligibilibus cognoscuntur.

Dico primo : Objecta mere spiritualia in solis speciebus intelligibilibus sunt contemplabilia, et nullo modo in phantasmatibus imaginativæ ; et quum intellectus ea contemplatur, imaginatio circa ea nihil operatur.

Quare non per imagines seu phantasmata.

Probatur et declaratur : Spiritualia cognosci non possunt per sensus externos, ergo neque per imaginativam seu phantasiam ; quia hæc non cognoscit, nisi per externos sensus ei immittantur species cognitorum externe, et sic, quum phantasia non habeat species spiritualium, hæc nequeunt in phantasmatibus repræsentari et cognosci. At spiritualia de facto cognoscuntur et creduntur, ut Deus, divinæ Personæ, perfectiones Dei, etc., Angeli, lumen gloriæ, habitus theologici, dona Spiritus Sancti, etc., item anima ipsa, et alia similia ; igitur, si in speciebus imaginariis cognosci non possunt, in intelligibilibus tantum cognoscuntur.

Omnes Deum cognoscunt, et credunt, sic et alia spiritualia.

Quocumque modo ex sensibilibus insensibilia, ut ait Apostolus [1], cognoscantur, certum est, et unusquisque in se cognoscit, haberi cognitionem Dei, SS. Trinitatis et divinarum perfectionum per fidem ; ita de Angelis et aliis rebus spiritualibus. Ista tamen, ut dixi, per phantasmata repræsentari non possunt, sed per solas species intelligibiles causatas in intellectu possibili per agentem, ut ex libris *De anima* suppono. Quando ergo legitur vel auditur punctum contemplabile de aliquo spirituali, vel contemplans, sine lectione vel auditione, sed ex sola recordatione, cogitat de illo, et vult illud contemplari, id est figere obtutum in eo objecto, manifestum est quod intuetur illud in suo repræsentativo ; hoc autem aliud non est, nisi species intelligibilis. Imo, ut mox dicam, etiam si objectum contemplandum esset aliquod corporeum ; quum tamen hoc eatenus sit contemplabile quatenus dicit respectum aliquem ad Deum, semper est necessaria species intelligibilis in contemplatione, quæ repræsentet Deum ; neque scio aut capere possum quomodo aliter fieri pos-

Quomodo fiat cognitio spiritualium.

[1] Rom. 1, 20.

sit istorum spiritualium contemplatio seu pura cognitio.

Confirmatur a paritate actuum credendi, sperandi et amandi Deum et divina; quum enim homo exercet actus fidei de Deo et de ejus perfectionibus, de beatitudine, de lumine gloriæ et ceteris, ac sperat in illo, vel diligit, certum est quod ejus intellectus et voluntas habent pro objecto Deum et illa alia, at non in se præsentia objective, sed in speculo et ænigmate, ut ait Apostolus[1], id est in speciebus intelligibilibus quas homo ille formavit de Deo ac divinis ceterisque spiritualibus; quæ species quomodo fiant, dicam postea cum S. Bonaventura, licet hoc ad rem nostram non faciat; eas tamen habemus: ideoque quum contemplans spiritualia, eadem prorsus fixe et simplici intuitu cognoscat ac intueatur quæ per fidem credidit, in eisdem pariter speculis intuetur — in quibus prius cognita fuerunt etiam credita; at non cognita nec credita in phantasmatibus, quia hæc non possunt repræsentare nisi corporalia; ergo cognita et credita in speciebus intelligibilibus seu spiritualibus.

A paritate actuum credendi, diligendi ac sperandi.

Id quod creditur contemplatur.

Dico secundo: Si in contemplatione acquisita objecta contemplanda cum ordine ad Deum sunt corporalia, possunt videri et cognosci, nedum in speciebus intelligibilibus, sed etiam in phantasmatibus; ita tamen ut Deus, seu ejus potentia, aut sapientia aliave perfectio, quam respicit illud corporale, cognoscatur in sola specie intelligibili.

Quomodo cognoscuntur corporalia cum spiritualibus.

Probatur et declaratur: De omni objecto cognito per sensus in phantasia seu imaginativa seu sensu communi, — quæ per me et Scotum idem sunt, — remanent species seu imagines cognitorum, quæ appellantur phantasmata; et ex his depuratis per intellectum agentem, producuntur species intelligibiles et spirituales, quæ resident in intellectu, possibili dicto: et sic utriusque rei corporeæ cognitæ duo specierum genera remanent in homine, sensibiles et intelligibiles. Hoc posito, dico quod contemplaturus ali-

Quomodo causantur in intellectu species rerum omnium.

Quomodo res intelliguntur.

1 I Cor. XIII, 12.

quod corporale, ut Christi humanitatem aliudve de illo humanum, vel creationem mundi, judicium, mortem, pœnas inferni, etc., ista videt, seu videre et intueri potest, in utriusque speciebus; quia utræque repræsentant illa et movent ad intuendum : imo ex illis speciebus phantasticis movetur intellectus ad cognoscendum intellectualiter, quia, ex Philosopho, oportet intelligentem phantasmata speculari, seu ad phantasma converti; et hic est naturalis et humanus in hac vita intelligendi modus ac series.

Modus contemplandi per corporalia.

Si ergo vult quis contemplari creationem cœli, vel aliud simile corporeum, et in eo vel ex eo potentiam aut sapientiam Dei facientis, tunc ex visibilibus, juxta doctrinam Apostoli [1], transit ad invisibilia, et per speciem intelligibilem spiritualem, quam habet de Dei potentia ac sapientia, intuetur fixe potentiam et sapientiam. Imo adverto quod, quum quis ista spiritualia ex corporalibus contemplatur, semper vel quasi semper, ut me docet frequens experientia, duo videt : unum quasi directe et principaliter, scilicet potentiam seu sapientiam Dei, aut Deum, et cetera, et id in specie intelligibili; aliud quasi indirecte et, ut ita dicam, oblique, nempe rem illam corpoream in qua exercita est Dei potentia, et hanc rem corpoream, licet cum minori attentione et studio seu applicatione, intuetur in sua specie propria, vel in ea quæ residet in intellectu, vel etiam in ea quæ residet in phantasia. Ita existimo cognosci meditando vel contemplando omnia spiritualia quæ ex corporalibus cognoscuntur habentque cum istis connexionem aliquam; et hoc regulariter loquendo. Quod si quis spiritualia ista sine corporalibus illis vult meditari vel contemplari, poterit hoc facere, vim sibi dulciter inferendo, ut relinquat intuitum corporalium relucentium in phantasmatibus, vel in propriis speciebus intelligibilibus, et attendat ad spiritualia tantum, si potest.

In duplici specie cognoscuntur spiritualia et corporalia.

Quando deserendæ species imaginariæ.

Et hoc est grave illud documentum quod, ex S. Dionysio Areopagita, mystici tradunt contemplativis : *Desere imagi-*

[1] Rom. 1, 20.

nes seu phantasmata; quod sic intelligitur : quum contemplaris mere spiritualia, *desere imagines,* — non solum eas per quas fortasse putares repræsentari posse spiritualia illa, quum hoc impossibile sit, sed etiam alias imagines seu phantasmata aliarum rerum quæ perturbare, impedire possunt intellectum contemplantem, — et siste in solo intuitu rei spiritualis. Item *desere imagines,* id est, quando contemplaris spiritualia quæ connexionem habent cum corporalibus, sive per modum efficientis, sive finis, verbi gratia in exemplo allato de creatione mundi vel de aliquo Christi opere ; si vis Dei potentiam, vel sapientiam, aut caritatem, vel Divinitatem ipsam contemplari, *desere imagines* mundi, cœli materialisve Christi operis, et intuere spiritualem illam veritatem. At si vis illud spirituale contemplari ut exercitum seu in usu positum illo corporali, non prohiberis hoc facere ; neque hoc repugnat contemplationi acquisitæ ; de infusa vero loquar postea. Ecce quando et quales imagines deserendæ sunt a contemplante.

CAPITULUM XVII.

AN OMNES HOMINES SINT CAPACES CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ.

Aliud est actum aliquem contemplandi exercere, aliud vero vitam contemplativam ducere.

Advertо primo unum, — quod debui sæpe advertere, ad removendas quorumdam mundanorum deridentium contemplantes objectiones, — quod aliud est actum aliquem contemplationis exercere, aliud vero vitam contemplativam ducere ; pauciora siquidem requiruntur pro primis quam pro secundis, ut dicam de dispositionibus contemplativorum et de requisitis ad eam servandam.

Adverto secundo, quod aliud est loqui de contemplatione acquisita, aliud de infusa. De prima hic loquor, et in proprio opusculo loquar de secunda, ad quam etiam prima disponere potest.

Omnes instructi sunt apti ad aliquos contemplationis actus.

Dico primo : Omnes homines cujuscumque status, conditionis et sexus, si instruantur, sunt capaces exercendi actus contemplationis acquisitæ.

Probatur primo : Omnes tales, si instruuntur, sunt capaces meditationis, ut in suo loco dictum est ; ergo etiam contemplationis ; nam si apto ad meditandum dicatur : Postquam considerasti Christi, verbi gratia, nativitatem vel flagellationem, non discurras amplius circa circumstantias illius facti, sed siste et fige oculum mentis in illo vero facto, tanquam si id haberes ante oculos, cum fide ad ipsum ; homo sic edoctus et instructus id facile faceret, si vellet ; igitur, quum omnes rationis capaces possint sic instrui, omnes fieri possunt contemplationis capaces sicut et meditationis.

Confirmatur : Capaci meditationis præfatarum rerum dici potest quod, dum res illas considerat, oculum mentis ad Deum dirigat hæc ex sua in nos misericordia ordinantem, cum admiratione et suspensione animi ab omni alia operatione veritatem hanc intueatur ; sicut, verbi gratia, intueretur picturam aliquam, vel gemmam aliquam aliamve similem rem pulcherrimam, etiam absentem, et in sola phantasia præsentem, cum admiratione et suspensione animi ab omni alia re videret seu consideraret. Certe hujusmodi operandi omnes homines sunt capaces.

Confirmatur secundo : Quilibet rationis capax aliquando negotium aliquod grave et urgens habet, sive commodum, sive incommodum, et in eo figit cogitatum, et ab eo difficile removetur ; is autem doceri et instrui potest quod sic prorsus facere debet dum revelatum aliquid cogitat seu meditatur : ergo erit capax contemplationis, si sic instruatur.

Omnes cujuscumque conditionis sunt capaces contemplationis.

Probatur secundo ex S. Gregorio Magno *In Ezechielem* sic dicente : « Non enim contemplationis gratia summis datur et minimis non datur, sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus ha-

bet, illustrari etiam lumine contemplationis potest,... ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur [1]. » Et post aliqua : « Non solum alta Ecclesiæ membra quæ præeminent habent contemplationis gratiam, sed plerumque hoc donum etiam illa membra percipiunt quæ, etsi jam per desiderium ad summa emicant, tamen adhuc per officium in imo jacent. Nisi enim et his qui despecti videntur omnipotens Deus lumen contemplationis infunderet, fenestræ in vestibulis non fuissent [2]. » Nota quod S. Gregorius explicat sensum mysticum templi, quod Ezechiel prophetice viderat, habens fenestras in fronte et in vestibulis. Priores fenestras templi dicit esse eos qui in Ecclesia sunt majores potestate et scientia ; fenestras vestibuli dicit esse inferiores, qui videntur despecti. Et subdit Gregorius : « Videmus itaque alios in summis locis sanctæ Ecclesiæ constitutos alta de cœlestibus loqui, miro studio, in quantum illustrata mens sufficit, supernæ patriæ secreta rimari : fenestræ sunt in frontibus. Alii vero in sanctæ Ecclesiæ sinu continentur, et despecti humanis oculis videntur ; sed apud se sapientiæ studiis vacant, ad cœlestia anhelant, atque, in quantum prævalent, quæ sint gaudia æterna considerant : fenestræ itaque obliquæ sunt, sed in vestibulis [3]. »

Non ergo alicui tantum conditioni hominum est data contemplationis gratia, sed potest omnibus inesse, si omnes instruerentur et ad eam exercendam a Deo illuminarentur ; sæpe enim, ut ait Apostolus, infirmiores ad hujusmodi sublimia vocantur : *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ;... et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret ; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* [4]. Nullum ergo hominum genus, nullaque conditio a contemplationis exercitio rejicitur, si de eo instruatur, velitque, Deo illuminante, inspirante et adjuvante, illi vacare.

Sæpe infirmiores ad eam vocantur.

1 Greg. Magn. *In Ezech.*, hom. 17, al. lib. 2, hom. 5. — 2 *Ibid.* — 3 *Ibid.* — 4 I Cor. 1, 27-29.

Confirmatur : Omnis homo rationis capax, est etiam capax exercendi actus fidei, spei et caritatis erga Deum, si de iis exercendis instruatur ; qui tamen actus difficiliores sunt ; ergo multo magis erunt capaces actuum contemplationis, quæ in fide et caritate præcipue fundatur, si de iis a perito directore instruantur.

Non est necessarius status eremiticus, vel similis ad exercendum actum contemplationis.

Probatur tertio : Potior difficultas, quæ videtur obstare, est quia non omnes omnis conditionis homines possunt esse solitarii, cælibes, sine negotiis vel curis domesticis, et continuo reperiri in statu gratiæ. Sed hæc difficultas non obstat quin omnes homines cujuscumque status et conditionis possint elicere actus fidei, spei et caritatis. Secundo, non obstat quin possint elicere actus meditationis mysteriorum fidei ; omnes siquidem recitant rosarium et meditantur ea mysteria. Tertio, difficultas urgeret, si nunc loquerer de vita contemplativa, quæ, ut dicam infra, plura requirit quam communes et simplices actus contemplandi qui præfatas conditiones in contemplante non requirunt. Quarto, est ratio præcedentis, ut aliquis theologus vel etiam philosophus speculetur veritates supernaturales seu revelatas, et sistat in earum consideratione, non est necesse ut sit solitarius, cælebs, sine negotiis aut curis domesticis, et in statu gratiæ, ut notum est ; alioquin paucissimi invenirentur theologi ; sed quilibet theologus cujuscumque status et conditionis potest actus speculandi, credendi et considerandi Deum ejusque perfectiones exercere, et in eis intuitum mentis figere. Ergo idem dicendum de actibus contemplandi pro quolibet statu hominum, si isti a perito directore instruantur ; et cum fructu ac meritorie actus illos facient, si in statu gratiæ facient, etiamsi conjugati, mercatores, curiales, agricolæ, aliisve negotiis impliciti ; nam nec totam diem nec majorem ejus partem, sed minimam partem, ut mediam horam, vel etiam minorem in contemplatione, si ad eam sint a Deo vocati, sufficiet insumere, sicut in aliis devotionibus ac pietatis actibus insumere possunt. Et quemadmodum, si fideles actus pietatis, devotionis, meditationis, misericordiæ alia-

rumve virtutum, etiam fidei, et cetera, faciunt extra statum gratiæ, non merentur, sed bona opera faciunt; ita etiam qui actus meditandi aut contemplandi faciunt extra gratiæ statum, non merentur, sed actus bonos faciunt.

Remote omnes sunt capaces vitæ contemplativæ, sed non proxime.

Dico secundo : Non omnes cujusvis status et conditionis homines sunt proxime apti seu capaces vitæ contemplativæ acquisitæ. Dixi *proxime capaces ;* quia remote omnis homo rationis capax, aptus est ad eam, si, a Deo vocatus, velit ad eam se disponere, ipsoque adjuvante prosequi.

Ratio.

Probatur : Non omnis homo continuo vel frequenter se exercet in actibus contemplandi, ut omnibus notum est ; at sine actuum frequentatione haberi nequit habitus, ac professio seu status alicujus virtutis ; ergo non omnes sunt proxime apti ad eam, hæc enim exigit frequentationem actuum.

Activa vita communis est multorum.

Probatur secundo : S. Bernardus, loquens de vita activa et contemplativa, inquit : « Activa vita communis est multorum, contemplativa vero paucorum[1]. »

Multa requiruntur ad vitam contemplativam : Primo ex S. Bernardo.

Probatur tertio ex requisitis et signis eorum qui contemplativam degunt vitam a S. Bernardo in præfato sermone allatis, sic : « Audi virtutes vitæ contemplativæ. Contemplativa vita est, caritatem Dei et proximi tota mente retinere, ab exteriori actione acquiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ita ut jam nihil agere libeat, sed, despectis omnibus curis sæculi, ad videndum faciem sui Creatoris animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis optare hymnidicis Angelorum choris interesse, appetere admisceri cœlestibus civibus et de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere. » Et post aliqua sequitur : « Quicumque prius in vita activa proficit, ad contemplativam bene conscendit. Qui hanc temporalem gloriam aut carnalem affectat concupiscentiam, a contemplativa prohibetur. » Hæc Bernardus[2]. Sed nedum pauci, verum paucissimi homines his conditionibus et perfectionibus prædíti sunt ;

[1] Bern. *Serm.* 53, *De modo bene vivendi.* — [2] *Ibid.*

ergo nec omnes nec multi sunt capaces seu apti ad vitam contemplativam ducendam. Alia requisita adducuntur infra.

Ex S. Bonaventura.

S. Bonaventura pluries de requisitis in contemplativo loquitur ; in *Centiloquio* ait : « Proprietates contemplativi præcipuæ sunt istæ : prima, contuitus pulchritudinis summæ Majestatis cum dilectione respectu rationalis ; secunda proprietas est quies cum securitate respectu irascibilis ; tertia est munditia cordis cum bonitate respectu concupiscibilis. Caritatem Dei et proximi retinet, ab exteriori operatione quiescit, soli Dei desiderio inhæret, et, calcatis omnibus curis, ad videndum faciem Creatoris inardescit et cœli civibus misceri [1]. »

In tractatu *De septem itineribus æternitatis* fere eadem repetit : « Spiritus contemplativus debet esse sine peccato, alioquin impeditur ne sursum feratur. Debet esse liber a cura temporalium ; quia liber spiritus dimittitur quando, calcatis terrenis desideriis, ab appetitione temporalium in securitate mentis exoneratur secundum Gregorium [2]... Debet esse perspicax et sanatus, oculum carnis a cupiditatibus avertens et oculum mentis in Deo figens, et de hoc oculo dicit Sponsus : *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* [3], » et cetera plura dicit Seraphicus Doctor de his qui contemplativam vitam eligunt, ut sequantur [4]. At nec omnes homines, nec multi his qualitatibus prædiți reperiuntur : ergo non omnes sunt proxime idonei seu apti ad ducendam vitam contemplativam.

Multæ aliæ dispositiones quæ ad eam requiruntur, difficile reperiuntur in multis.

Probatur quarto ex dispositionibus aliis multis, quas ad vitam contemplativam, etiam acquisitam, dicemus requiri, sive antecedentes, sive comitantes, sive subsequentes, quæ nec omni homini, nec omni statui personarum possunt regulariter convenire ; verbi gratia : « Puritas cordis continua vel quasi continua, passionum frenatio per exercitium virtutum moralium acquisita, fuga sæculi, abstinentia a

[1] Bonav. *Centiloq.*, c. 46. — [2] Greg. *Mor.* III. — [3] Cant. IV, 9. — [4] Bonav. *De sept itiner.*, it. 3, dist. 2.

negotiis curisque mundi, solitudo, taciturnitas, in humanis successibus non lætandum, nec tristandum pro amicis et cognatis, sed pro eis orandum, sine multiloquio, voce remissa, placido vultu; paucis verbis loquendum ac respondendum, diligendum plus audire quam loqui, non innitendum propriæ prudentiæ, non esse sapiens in oculis propriis, nec sensibus confidendum, altiora non quærenda et fortiora non scrutanda, nunquam otiosum manendum, sed semper legendum, orandum vel aliquid meditandum, singulis horis singula tribuenda exercitia, considerandum quantum quis proficit, et quod grandis restat via donec videatur Deus in Sion. » Hæc summatim, juxta S. Bernardum [1], requiruntur in homine spirituali contemplativo, et alia plura, ut dicam infra. Hæc autem in omnibus non sunt; ergo non omnes sunt apti ad vitam contemplativam.

[1] *De oct. punct. perfect.*

OPUSCULUM QUARTUM

DE

VITA ACTIVA

ET CONTEMPLATIVA

CAPITULUM PRIMUM.

IN QUO CONSISTANT ET IN QUO DIFFERANT ISTÆ VITÆ.

Necessitas solvendi hoc dubium.

ADVERTENDUM est, quod de necessitate dubium hoc solvendum fuit, ne fideles audientes tantum laudari et extolli contemplationem, et videntes se ad eam ineptos, desperent de salute vel perfectione ; sed sciant per aliam viam atque vitam nedum posse perfici et salvari, sed, maximis cum meritis, magnos gloriæ gradus posse adipisci sine contemplatione. Sicut enim ait Salvator : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* [1] ; et ex Apostolo : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum ; stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum* [2], quia Deus *reddet unicuique secundum opera ejus* [3] ; sic et in hoc sæculo dantur multæ viæ et multa media, per quæ ad sublimes illas diversasque mansiones perveniri potest, *alius quidem sic, alius vero sic* [4], ait Apostolus. Omnes autem istæ viæ seu vivendi

In utraque et alterutra vita salus.

Plures viæ perfectionis.

1 Joann. XIV, 2. — 2 I Cor. XV, 41-42. — 3 Matth. XVI, 27. — 4 I Cor. VII, 7.

modi (si martyrium excipias) reducuntur ad istas vitas seu vivendi modos, nempe *ad activam* vel *contemplativam*, vel, ut dicit S. Bonaventura, *mixtam* ex utraque.

Ad salutem quæ sunt necessaria.

Adverto secundo et suppono, quod ad salutem consequendam sufficiat servare præcepta Dei et Ecclesiæ, et decedere in gratiam, nam Salvator interrogatus a quodam : *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam ?* respondit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et replicante illo : *Quæ ?* Christus enumeravit præcepta Decalogi [1] : at in nova lege adsunt, ut suppono, præcepta Ecclesiæ, et cetera. Verum ad perfectionem in hoc sæculo et majorem gloriam in futuro ac tutiori medio acquirendam, est necessaria observantia consiliorum evangelicorum ; quia in eodem Matthæi loco, idem qui Dominum interrogaverat, subdidit : *Hæc omnia,* id est mandata, *custodivi ab adolescentia mea, quid adhuc mihi deest* [2] ? Dominus respondit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me* [3]. Hoc est unum consilium ; et alia plura sparsim tradidit in Evangelio, ut de castitate, exemplo castrantium se propter regnum cœlorum [4], de patientia, quum dixit : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram* [5], et de mansuetudine ac contemptu bonorum : *Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit a te, da ei ; et volenti mutuari a te, ne avertaris* [6]. Et ita de aliis consiliis evangelicis. At nota quod pro simplici assecutione gloriæ dixit : *Serva mandata.* Ut vero ille esset perfectus hic et haberet *thesaurum* in cœlo, id est maximam gloriam, dixit esse vendenda bona et danda pauperibus ; quod sub consilio est, sicut et cetera nuper dicta. Omnia tamen humana opera bona, sive præcepti sive consilii, reducuntur ad vitam activam vel contempla-

Consilia observanda ad perfectionem acquirendam.

At pro salute, mandatorum observantia sufficit.

1 Matth. XIX, 16-19. — 2 *Ibid.*, 20. — 3 *Ibid.*, 21. — 4 *Ibid.*, 12. — 5 *Ibid.* V, 39. — 6 *Ibid.*, 40-42.

tivam, quæ, ex communi Patrum sententia, et præsertim S. Augustini, figuratæ fuerunt in Martha et Magdalena sororibus, Christum hospitari solitis, et in duabus uxoribus Jacob, Rachele et Lia, ista operante, illa contemplante.

Duæ vitæ ex S. Augustino, activa et contemplativa.

Adverto tertio ex S. Augustino, *De consensu Evangelistarum*, sic de vitis istis loquente : « Duæ virtutes propositæ sunt in anima, una activa, altera contemplativa ; illa, qua itur, ista qua pervenitur ; illa qua laboratur ut cor mundetur ad videndum Deum, ista qua vacatur, et videtur Deus ; illa est in præceptis exercendis hujus vitæ temporalis, ista in doctrina illius vitæ sempiternæ. Ac per hoc illa operatur, ista requiescit : quia illa est in purgatione peccatorum, ista in lumine purgatorum. Ac per hoc, in hac vita mortali, illa est in opere bonæ conversationis, ista vero magis in fide, et apud perpaucos, per speculum in ænigmate, et ex parte in aliqua visione incommutabilis veritatis. Hæ duæ vitæ in duabus uxoribus Jacob figuratæ intelliguntur. Lia quippe interpretatur, Laborans ; Rachel autem, Visum principium [1]. » De quo argumento late loquitur contra Faustum [2].

De duplici hac vita est tractatus iste.

De his ergo duobus vivendi modis, qui communiter appellantur vita activa et contemplativa, aliqua obiter dicemus, ut tirones, Dei servitio se accingentes, considerent ad quam se videant propensos, quamque cum Dei adjutorio velint eligere, et quid ipsius in alterutra sit agendum, ne sine fructu operentur et in vanum, eorum culpa, Dei gratiam recipiant. Et quia sancti et pii viri de utraque vita multa et varia dixerunt, breviori quo poterimus methodo, plura ex illis afferemus.

Quinam sunt veri religiosi.

Adverte tandem et memoriter tene, ne decipiaris,—quod sciolis quibusdam accidit,—ex S. Thoma, « quod religiosi quamvis dici possint omnes qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur qui totam vitam suam divino

1 Aug. *De cons. Ev.*, lib. I, c. 5. — 2 *Id. Contra Faust.*, lib. XXII, c. 52 et seq.

cultui dedicant a mundanis negotiis se abstrahentes ; sicut etiam contemplativi dicuntur non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant [1]. » Et ego addo : Et omnia alia requisita ad vitam contemplativam habent, quæ passim aperientur hic, et prolixius quum de dispositionibus et aliis sequentibus loquemur.

In quo consistit vita activa fidelium.

Dico primo : Vita activa fidelium præcipue consistit in continuo vel frequenti, pro posse, exercitio operum misericordiæ spiritualis et corporalis in proximos, et frequenti virtutum exercitio circa suimet directionem erga Deum ac proximum, sive opera sint præcepti, sive consilii.

In quibus opera misericordiæ spiritualis et corporalis.

S. Bernardus ex S. Gregorio Magno.

Probatur prima pars, de operibus misericordiæ in proximos, ex totidem et distinctis verbis S. Bernardi, qui, docens quamdam dominam de utraque vita, in tractatu *De modo bene vivendi* [2], ubi rescribit omnia adamussim quæ sex ante sæculis docuerat et scripserat S. Gregorius Magnus, dicit : « Soror carissima, inter activam vitam et contemplativam maxima est differentia. Activa vita est : panem esurienti dare, verbum sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad viam humilitatis superbientem proximum vocare, infirmos visitare, mortuos sepelire, captivos et in carcere positos redimere, quæ singulis quibuscumque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant providere [3]. » Hæc S. Bernardus.

S. Thomas dicit idem in virtutum moralium exercitio.

S. Thomas, per quatuor articulos, expedit tractatum de vita contemplativa, et eadem dicit quæ S. Bernardus, addens quod exercitium omnium virtutum moralium spectat ad vitam activam : quod confirmat ex Philosopho [4], qui ordinat virtutes morales ad felicitatem activam [5].

S. Bonaventura, idem.

S. Bonaventura eadem docet cum S. Bernardo, et præcipue in *Pharetra* [6] ; et replicat in tractatu *De septem itineribus æternitatis* [7], ubi de natura, perfectione et operibus

[1] Thom. 2. 2, q. 81, art. 1, ad 5. — [2] Bern. *De modo bene viv.*, serm. 52. — [3] Greg. Mag. *hom.* 14, al. *lib. II, hom. 2 in Ezech.* — [4] Arist. X *Ethic.*, c. 7 et 8. — [5] Thom. 2. 2, q. 181. — [6] *Pharet.*, lib. 4. *de act. et contempl.* — [7] *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 6 et 7.

utriusque vitæ diffuse agit sequens divum Gregorium et S. Isidorum.

Ante eos eadem et pluribus docuerat S. Prosper seu Julianus Pomerius, in libris primo ac tertio *De vita contemplativa ;* et ante eum hanc primam partem docuerant SS. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, et ceteri qui de Marthæ et Magdalenæ operibus erga Christum in earum domo docentem locuti sunt.

Alia opera moralia spectantia ad vitam activam.

Probatur modo secunda pars, de aliis operibus moralibus, quæ circa propriam personam, vel circa Deum aut Sanctos, vel circa proximos fiunt, et ad activam vitam reducuntur ex S. Bernardo relato a S. Bonaventura, qui eum sequitur in tractatu *De meditatione vitæ Christi.* Sic autem dicit S. Bernardus : « Bonam autem vitam, ego puto, et mala pati et bona facere. Arbitror autem, quod tu, qui in Congregatione es, bene vivis ordinabiliter tibi, sociabiliter aliis, humiliter Deo : ordinabiliter, ut in conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas in conspectu Domini et in conspectu proximi, cavens et tibi a peccato et illi a scandalo ; sociabiliter, ut studens amari et amare, et blandum te et affabilem exhibere, supportare, non solum patienter, sed et libenter, infirmitates fratrum tuorum, tam morum quam corporum ; humiliter, ut, quum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex hujusmodi nasci solet : et quantumcumque illum senseris, nega omnino consensum. Sic et in patiendo malum, quoniam triplex est, triplicem oportet adhibere providentiam. Est enim quod a te pateris, quod a proximo, quod a Deo. Primum est austeritas pœnitentiæ, secundum vexatio alienæ malitiæ, tertium flagellum correptionis divinæ. In eo quod a te pateris, debes voluntarie sacrificare, quod a proximo, patienter ferre, quod a Deo, sine murmuratione et cum gratiarum actione sustinere[1]. » Hæc et alia plura in eo capitulo de exercitiis vitæ activæ prædixerat S. Bernardus, et concludit : « ... et hæc de exercitio vitæ activæ[2]. »

Directio sui erga Deum et proximos pertinet ad vitam activam.

Virtutes morales pertinent etiam ad activam vitam.

1 Ecrav. *De medit. vitæ Christi,* c. 48; ex Bern. *De exerc. vit. act.,* c. 7. — 2 Bern. *loc. cit.*

De duabus partibus vitæ activæ, quarum una respicit directionem sui erga Deum, alia erga proximum.

Ideo S. Bonaventura dicit vitam activam duas habere partes, unam quæ respicit directionem sui, aliam quæ respicit proximorum. Patet ergo quod exercitium omnium virtutum moralium, tam principalium quam specierum earumdem, — sive respiciant ipsum habentem in directione et correctione suorum morum, sive mortificatione carnis ; sive respiciant Deum aut Sanctos in latria, dulia ac devotionibus cunctis; sive tandem respiciant proximos, — ad activam vitam pertinere dicendum est [1].

Omnes habent exercitium aliquod vitæ activæ.

Ex quibus habes primo, quod omnes homines qui aliquid de activa vita participant (nequioribus exceptis, qui nec proximis nec sibi consulunt) in aliquarum moralium virtutum exercitio vehementius laborant ; aliqui tamen plus, aliqui minus, aliqui in pluribus, aliqui in paucioribus ; et aliqui in uno tantum virtutum genere se exercent frequentius, in aliis urgente præcepto.

Omnes mortificationes pertinent ad activam vitam.

Habes secundo, quod omnia mortificationis propriæ vitæ opera ad vitam activam spectant, sive sint ex præcepto et obligatione, sive ex consilio et ex supererogatione ; et sic jejunia, ciliciorum usus, flagellationes, itinera, silentia, vigiliæ, solitudines et similia, quibus corpus affligitur, ad activam spectant.

Item omnia opera misericordiæ.

Habes tertio, quod omnia misericordiæ spiritualis aut corporalis in proximos opera ad activam pertinent, ut docere ignaros, admonere peccatores, consolari afflictos, condonare offensas, orare Deum pro defunctis, pro vivis, maxime pro hæreticorum et aliorum peccatorum conversione. Item corporalia, ut eleemosyna seu cibum dare egenis et esurientibus, potum sitientibus, vestimentum nudis, visitare infirmos vel carceratos, redimere captivos ac sepelire mortuos, et alia his similia in proximorum necessitatibus facere, ad activam spectant vitam.

Omnes actus devotionis, mortificationis, etc.

Habes quarto, quod vacare operibus pietatis in Deum et sanctam Virginem ceterosque Sanctos, per latriæ, hyperduliæ ac duliæ actus, per sacramentorum et vocalium

[1] Bonav. *De medit. vitæ Christi*, c. 47.

orationum frequentiam, vel per alias corporales afflictiones ac devotiones, ad activam spectat, licet dici posset spectare ad mixtam ex activa et contemplativa ob mentalem cooperationem, ut dicam postea.

Omnes superiores recte exercentes jurisdictionem in subditos.

Habes quinto, omnes superiores, sive ecclesiasticos sive sæculares, exercentes jurisdictionem coactivam, sive etiam solum directivam in alios secundum rectas regulas, vitam activam exercere, Deo gratam, utpote a Deo institutam, quia, ex Apostolo, *non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* [1]. Ideo episcopi, ex S. Augustino [2], activam exercent vitam, et ipse consulit eis mixtam. Curam animarum exercentes, inferiores episcopis, quovis vocentur nomine sive sæculares sive regulares, vitam activam ducunt, et debent mixtam ducere. Item concionatores, confessarii, scholarum magistri doctrinam christianam docentes, et hujusmodi animarum directores in Congregationibus vel extra, activam agunt vitam. Qui autem aliquod hujusmodi institutum ex voto exercent, majori cum merito faciunt. Quo vero ad judices et principes, qui aliis præsunt ut prosint, et regulas sacras et ab Ecclesia permissas in judiciis et ordinationibus servant, activam et rectam vitam ducunt; sin minus, malam. Et hæc obiter de activa dixisse sufficiat.

Ecclesiastici omnes curam animarum habentes, deberent vitam mixtam ducere.

Vita contemplativa quæ sit.

Dico secundo : Vita contemplativa consistit in continua seu frequenti Dei ac divinorum et omnium revelatorum consideratione, et caritate cum totali abdicatione sæculi, puritate cordis, ac passionum domatione, et cetera.

S Bernardus ex S. Gregorio narrat multa quæ spectant ad vitam contemplativam.

Probatur ex S. Bernardo, sermone ut supra [3], ubi pariter exarat de verbo ad verbum ea quæ docuerat et scripserat S. Gregorius Magnus : « Contemplativa vita est caritatem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nihil jam agere libeat, sed, calcatis omnibus curis,

1 Rom. XIII, 1-2. — 2 Aug. *De civ. Dei,* lib. IX, c. 19. — 3 Bern. *De modo bene viv.,* serm. 53.

ad videndum faciem sui Creatoris animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere[1]. » Hæc S. Bernardus.

Ex S. Bonaventura plurima requirit vita contemplativa.

S. Bonaventura ait : « In contemplativa vita aliter et longe aliter quam in activa te vivere oportet. Contemplator enim soli Deo vacare debet et manere in solitudine saltem mentis. Nihil ad eum de aliquibus rebus communibus vel propriis, nihil ad eum de proximis quantum ad obsequia corporalia pro illo tempore, sed a ratione, devotione et compassione intendit ad eos. Nihil etiam ad eum de seipso. Omnia breviter debet post tergum projicere, et tanquam insensibilis et mortuus esse, ut soli Deo vacare possit, nisi eum necessitas implicet vel invitum ; oportet enim quod hanc sapientiam discat in otio ; oportet quod minoretur actu et taceat, exemplo Mariæ, quantumcumque et quotiescumque interpelletur ; et ipsius exemplo dimitat Dominum respondere et facere, ut omnia dignantissime providentiæ suæ committat[2]. »

Aliæ multæ conditiones vitæ contemplativæ, ex S. Bonaventura.

Deinde adducit alias conditiones vitæ contemplativæ allatas a S. Bernardo, sic : « Habet Martha, dum agit, formam bene operantis ; Maria vero speciem exprimit contemplantis, dum sedet, dum tacet, dum interpellata non respondet, sed tantum in Dei verbum toto mentis studio intendit, ac solam quam diligit gratiam divinæ cognitionis, cetera respuens, medullitus haurit ; forisque ut insensibilis redditur, dum intus ad contemplanda Dei sui gaudia felicissime rapitur[3]. » Alia plura de exercitio vitæ contemplativæ dixerat sanctus Bonaventura in eodem tractatu *De meditatione vitæ Christi*[4], et nos multa alia dicemus infra de dispositionibus ad vitam contemplativam esse necessaria ; ita quod eam ducens, agens, seu exercens, ita spiritualis

1 Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — 2 Bonav. *De medit. vitæ Christi*, c. 53. — 3 Bern. *Serm. 5 de Assumpt. B. M. V.* — 4 Bonav. *De medit. vitæ Christi*, c. 46.

esse debet ut, abnegato semetipso, mundo moriatur, et tollat crucem suam et sequatur Christum.

Alia plura in vita contemplativa sunt necessaria.

Tandem, in fine illius capituli, S. Bonaventura, ex S. Bernardo, hæc dicit contemplatori : « Simplex est non tantum sine dolo, sed etiam absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio ejus (id est Sponsi), cujus et vox dulcis et facies decora. Unum cave, ne incipias abundare in sensu tuo, et velis plus sapere quam oportet ; ne forte, dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano [1]. » Et S. Bonaventura de suo addit : « Vidisti quoniam contemplator debet omnia dimittere, occupationes et exercitia corporalia ; quia occupatio recte opponitur vacationi, et est unum de majoribus impedimentis quæ possit habere contemplator ; nam pluribus modis impedit eum : et non solum quum est in occupatione, sed etiam postea ; et primo reddendo mentem sollicitam et inquietam circa id quod fecit aut facere habet, etiam et relinquendo imaginationes et phantasmata quæ multum impediunt contemplantem [2]. » Hæc S. Bonaventura.

Magna differentia inter contemplantem et vitam contemplativam ducentem.

Ex his ergo de vita contemplativa dictis conjicere potest qui putat se contemplativæ addictum, an contemplativam agat necne, si per aliquod temporis spatium aliquando vel quotidie actum aliquem contemplationis facit. Maxima siquidem est differentia inter contemplantem et vitam contemplativam agentem ; quilibet enim instructus potest actum aliquem contemplandi exercere, et fructuose si in statu gratiæ sit, etiam si negotiis mundi implicitus ; et sine fructu potest pariter contemplari in peccato exsistens, ut sæpe accidit, et in hæreticis ac schismaticis semper : at non proinde isti ducunt vitam contemplativam et perfectam, — quæ a Sanctis laudatur, et antonomastice *contemplativa* nuncupatur, — si præfatis careant conditionibus.

1 Bonav. *De medit. vitæ Christi*, c. 49. — 2 *Ibid.*

CAPITULUM II.

DE VITA MIXTA, EX ACTIVA ET CONTEMPLATIVA.

Vita activa potest conjungi cum contemplativa in eodem subjecto.

ADVERTO quod, quamvis sancti Patres, ut advertit S. Bonaventura in tractatu *De meditatione vitæ Christi*[1], vitam humanam moralem, — ex facto duarum sororum Marthæ laborantis et Magdalenæ contemplantis, — distinguant in vitam activam et contemplativam, quæ etiam dici solent actuosa et otiosa, non propterea opinandum est, quod istæ vitæ ita sint inter se contrariæ ut in eodem homine conjungi non possint, et sic ex utriusque vicissitudinario exercitio majus et copiosius meritum obtineri. Unde Seraphicus Doctor, in tractatu *De luminaribus Ecclesiæ,* dicit tres morales vitas dari : actuosam, otiosam et mixtam. At quænam istarum sit perfectior, dicetur postea.

Ex S. Augustino utraque vita laudata.

Adverto secundo, quod S. Augustinus, *De verbis Domini de utraque vita,* sic loquitur de Martha et Magdalena : « Remanserunt in illa domo quæ susceperat Dominum, in duabus feminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles, una laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa ; ambæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles ; sed una laboriosa, altera otiosa : nulla facinorosa, quam cavere debet laboriosa ; nulla desidiosa, quam cavere debet otiosa[2]. » Igitur unitæ perfectiorem faciunt habentem ; ideo

Potest quis utramque habere, eisque pro opportunitate uti.

Dico : Activa et contemplativa sic possunt copulari, quod possit homo fidelis ac devotus et spiritualis ab activa vita ascendere ad contemplativam, et quum necessitas

[1] *De medit. vitæ Christi,* c. 45. — [2] Aug. *Serm. 104,* al. *De verb. Dom.,* serm. 27.

urget a contemplativa ob bonum proximi descendere ad activam, et postea redire ad contemplativam.

Ab una ad alteram ascenditur et descenditur.

Probatur totidem fere S. Gregorii verbis : « Ante activa agitur, ut ad contemplativam postmodum perveniatur. Sed sciendum est quia, sicut bonus ordo vivendi est ut ab activa in contemplativam tendatur, ita plerumque utiliter a contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. Debet ergo nos activa ad contemplativam transmittere, et aliquando tamen ex eo quod introrsus mente conspeximus, a contemplativa melius ad activam revocare,... quia post visum principium, laboriosa vita boni operis non est funditus deserenda [1]. »

Transitus ab una vita ad alteram et e converso, ex S. Bernardo.

S. Bernardus, *De modo bene vivendi,* idem dicit quod S. Gregorius : « Qui prius in activa proficit, ad contemplativam bene contendit. » Et infra : « Viri sancti, sicut aliquando egrediuntur a secreto contemplationis ad activam vitam, ita rursus ab activa vita revertuntur ad secretum intimæ contemplationis, ut intus Deum laudent, ubi acceperunt unde foris ad ejus gloriam operentur. Sicut Deus vult ut aliquando contemplativi egrediantur ad activam vitam, ut aliis proficiant, ita aliquando vult ut nemo eos inquietet, sed ut quiescant in secreto contemplationis suavissime; quod bene in Cantico Canticorum Sponsus insinuat dicens : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem,... ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit* [2]. Hoc est ne suscitetis neque evigilare faciatis animam divinæ contemplationi deditam, orationibus et divinis lectionibus occupatam, et cetera [3]. »

Vitam mixtam exaltat S. Bonaventura.

S. Bonaventura, in *Pharetra* [4], multa digna dicit, præsertim ex S. Augustino, *De civitate Dei,* sic : « Ex tribus illis vitæ generibus, scilicet otioso, actuoso, et ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, et ad sempiterna præmia pervenire,

1 Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — 2 Cant. II, 7. — 3 Bern. *De modo bene viv.*, serm. 52. — 4 *Phar.*, lib. IV, c. 45 *de act. et contempl.*

interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio caritatis impendat. Nec sic esse debet unusquisque otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. Otium sanctum quærit caritas veritatis; negotium justum suscipit necessitas caritatis[1]. » Et infra ex S. Bernardo : « Bonum acquirit gradum qui bene ministraverit proximo; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo; optimum autem, qui perfectus est in utroque[2]. »

Qui utramque habet perfectior est.

Vicissim exercentur istæ vitæ.

De vicissitudine operandi in utraque vita loquitur Seraphicus Doctor, in tractatu *De meditatione vitæ Christi,* sic : « Hoc siquidem vera et casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo et desiderio acquirendi Deum qui eum similiter diligat, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat. Et rursum, potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in ipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit. Et iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacriter recurrat[3]. »

Vicissitudo in exercenda alterutra vita.

Et de his in utraque vita exercitatis, ait sanctus Doctor quod æstuant et fluctuant quam pro aliquo tempore debeant exercere, sic : « Ceterum inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens et vehementer æstuans ne forte alteri horum, dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus justo inhæreat, et sic in utroque vel modicum a divina deviet voluntate. Et fortassis aliquid tale sanctus Job patiebatur, quum diceret : *Si dormiero, dicam : Quando consurgam et rursum exspectabo vesperam*[4]... Hoc est, et quietus, neglecti operis, et occupatus, perturbatæ nihilominus quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis et somnum contemplationis graviter æstuare, et in bonis licet semper conversantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, et Dei

[1] Aug. *De civ. Dei,* lib. XIX, c. 19. — [2] Bern. *De modo bene viv.,* serm. 52. — [3] Bonav. *De medit. vitæ Christi,* c. 47. — [4] Job VII, 4.

cum gemitu singulis momentis inquirere voluntatem [1]. » Hæc ex S. Bernardo S. Bonaventura.

Consilium in dubio exercendi alterutram.

In his autem casibus fluctuationis et æstuationis in homine spirituali exercitato in vita activa et contemplativa, an et quando alterutram debeat exercere, dicit idem sanctus Doctor ibidem, sic : « Unicum quippe in hujusmodi remedium seu refugium oratio est, quia frequens gemitus ad Deum, ut quid, quando, et quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur [2]. »

Ex S. Augustino quæ vita exercenda, et quando.

S. Augustinus [3], præter ea quæ supra cum S. Bonaventura, referente ejus verba, diximus, commendans mixtionem vitæ activæ cum contemplativa, ita prosequitur : « In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio aut inventio veritatis, ut in ea quisque proficiat, et quod invenerit teneat, et alteri non invideat. In actione vero non amandus est honor in hac vita, sive potentia, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eumdem honorem vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum quæ secundum Deum est ; propter quod ait Apostolus : *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* [4]. » Declarans deinde quod episcopus græcum vocabulum est, quod latine sonat superintendens, id est vitam activam agens circa se et subditos dirigendos, « ut intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse, » subdit : « Itaque a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium ; locus vero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit caritas veritatis ; negotium justum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati ; si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem ; sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, ne

Episcopus in utraque vita exerceri debet.

[1] Bonav. *De medit. vitæ Christi*, c. 47. — [2] *Id. Ibid.* — [3] Aug. *De civ. Dei*, lib. XIX, c. 19. — [4] I Tim. III, 1.

subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. » Digna quidem, ut de more, dicit sanctus magister Augustinus.

Plura documenta circa has duas vitas

Ex his ergo et ex primis supra cum S. Bonaventura allatis S. Augustini dictis, plura colliguntur et sancta documenta : primum, quod vita activa conjungi potest et deberet cum contemplativa; secundum, quod pro opportunitate, modo in una, modo in altera potest homo operari; si non urgeat præceptum caritatis, contemplativæ vacet, si necessitas proximi urget, vacandum est activæ, et illa cessante redeundum ad contemplativam. Tertium est quod, licet aliquæ dignitates et honores præstent modum exercendi activam, ut episcopatus verbi gratia et aliæ similes, tunc propter opus illud seu activam vitam exercendam, appeti possunt, non ex alio motivo; quartum, quod episcopus aliive prælati non debent delectari quod præsunt aliis, sed quod prosunt; quintum, quod isti et activæ et contemplativæ possunt et debent vacare; sextum, quod subditi qui sarcinam subjectionis portant, si contemplationi vacant, dum eis a suis superioribus præcipitur ut proximi necessitati consulant, parere debent, omittendo ad tempus contemplationem, ut postea, præterita necessitate succurrendi proximo, ad illam redeant.

Pro prælatis documenta.

Alia pro subditis.

A contemplativis parendum est prælatis.

Damnanda igitur, ut de Illuminatis damnata fuit, quorumdam fatuorum opinio, asserens quod, si subditus religiosus, vacans contemplationi, præceptum habeat a Superiore de aliquo activæ vitæ opere exsequendo, non teneatur exsequi; vel si ejusdem conditionis uxor præceptum habeat a marito, vel filius a patre de aliquo domestico opere peragendo, non teneatur obedire. Siquidem ex justitia tenentur obedire; et tunc in ejusmodi operibus vitam exercent activam in suimet directione.

Christus utramque exercuit.

Hinc est, quod præcipui Sancti, ipsiusmet Domini Jesu Christi exemplo, qui utramque vitam summe perfectam duxit, ut in sequenti dicam, in utraque pariter pro opportunitate sese exercuerunt, ut Apostoli, qui in Evangelii prædicatione, et moralium atque theologalium virtutum

exercitio, verbo et exemplo in proximorum utilitatem laborantes, meditationes et contemplationes divinarum rerum pro temporum opportunitatibus non omiserunt. Sic de sanctis doctoribus græcis ac latinis legimus; etsi enim in concionibus et librorum, quibus Ecclesiam illustrarunt et mundum docuerunt, scriptione tantum ut vix credibile sit, desudarunt, contemplationem tamen divinorum non reliquerunt; imo ex hac illuminati, ad ea prædicanda et scribenda aptiores et promptiores sunt effecti.

SS. Doctores utrique vacarunt.

Notandum autem est, pro fidelium piorum consolatione, quod hic contemplationis vocabulo intelligitur, nedum pura ac sublimis, infusa vel acquisita contemplatio, id est simplex intuitus revelatæ veritatis sine discursu, sed etiam meditatio quæ cum discursu fit; semper enim, ut exercitati experiuntur, in meditatione alicujus puncti revelati, aliquis contemplationis, esto per transitum, et modicus saltem gradus intervenit. Imo ad majorem consolationem fidelium dico cum S. Thomas, quod actus omnes præparatorii ad contemplationem acquisitam ac ad meditationem, ut examen conscientiæ, lectio puncti meditandi, contemplandi, gratiarum actio et petitio, ad contemplationem reducuntur. Is ergo, qui mundo corde activæ vitæ operam vacat, et suis temporibus, mentalibus hisce orationibus vel alterutri incumbit, gaudeat in Domino; certusque de maximo præmio oret Deum, ut usque in finem in hac mixta et conjuncta vita perseveret, et æternam omnisque laboris et actuosæ vitæ expertem, evidentem ac facialem Dei contemplationem consequatur.

Hic quid nomine contemplationis intelligitur.

CAPITULUM III.

AN CONTEMPLATIVA VITA SIT MELIOR ACTIVA, AN E CONTRA, VEL MIXTA EX UTRAQUE.

ADVERTO quod sancti Patres unanimiter utramque vitam collaudant et perfectam dicunt, et perfectiorem, imo optimam ex Christi oraculo [1], contemplativam. At de meritis earum video illos non uniformiter loqui : quænam scilicet earum sit magis meritoria ; neque mirum. Ideo

Non semper aliquid perfectum est magis meritorium.

Adverto secundo, quod non semper omnis res omnisque humana actio quæ præcellit alteri in perfectione, præcellit etiam in ratione meritorii ; fieri enim potest ut res aliqua perfectior secundum suam essentiam, nedum non sit ita meritoria sicut alia imperfectior, sed neque ullo modo sit meritoria ; imo, vel sit comprincipium actionis meritoriæ,

Exempla multa.

vel sit præmium illius, verbi gratia : omnes habitus infusi, fides, spes et caritas, et alii si dentur, sunt principia actionum meritoriarum et comprincipia hominis merentis per earum actus ; ipsi tamen habitus nec sunt merita, quia non actiones ; neque merentes, quia non sunt supposita viventia quibus competit mereri. Ita de lumine gloriæ, de contemplatione seu visione ac fruitione Dei in patria, perfectissimæ et optimæ omnium res et actiones sunt, at non merita nec meritoriæ, sed meritorum terminus ac præmium. Ideo nemo miretur si in auctore aliquo seu sancti alicujus doctoris libro legat merita majora modo activæ modo contemplativæ, et tamen legatur in eis contemplativa perfectior.

Omnes istæ, tres vitæ sunt perfectæ et meritoriæ.

Dico ergo primo : Tam activa et contemplativa vita, quam mixta ex utraque, sunt laudabiles et meritoriæ ac perfectæ.

1 Luc. x, 42.

Probatur primo, ex dictis in præcedentibus, et ex dicendis in sequenti conclusione, quæ ad idem est. Secundo probatur : De activa Salvator præcipit : *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est* [1]. Imo protestatur quod de operibus misericordiæ in proximum exacta ratio sumenda sit ab ipso in die judicii, et præmium ac supplicium ad eorum mensuram sit conferendum ; dicet enim : *Esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes eram, infirmus,* et cetera [2]. *Venite, benedicti Patris mei, possidete... regnum,* et cetera [3]. Reprobis vero : *Esurivi, sitivi,* et cetera, *et non dedistis* [4] ; *discedite..., maledicti, in ignem æternum,* et cetera [5] : ergo... Activa vita a Christo commendata.

Idem Salvator ascensurus ad cœlum præcipit Apostolis vitæ activæ exercitium : *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos,* et cetera, *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* [6]. Illi autem profecti prædicaverunt ubique ; et labores quos Apostoli peregerunt, in eorum Actibus referuntur ; hæc autem activæ vitæ opera sunt : ergo perfecta est. Præcipit eam

De utraque vita S. Gregorius ait : « Bene has utrasque vitas duæ illæ mulieres signaverunt, Martha videlicet et Maria, quarum una satagebat circa frequens ministerium, alia vero sedebat ad pedes Domini, et audiebat verba de ore ejus. Quumque contra sororem quereretur quod se adjuvare negligeret, respondit Dominus dicens : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [7]. Neque enim bonam partem dicit elegisse Mariam, sed optimam, ut etiam pars Marthæ indicaretur bona [8]. » Ex S. Gregorio utraque bona.

S. Bonaventura ex S. Bernardo utramque commendat, et utramque dicit ad æternam vitam conducere ; et ex eodem subdit : « Bonum acquirit gradum qui bene ministraverit proximo ; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo ; optimum autem, qui perfectus est in utroque [9]. » Ex S. Bonaventura.

1 Luc. VI, 36. — 2 Matth. XXV, 35, 36. — 3 *Ibid.*, 34. — 4 *Ibid.*, 42, 43. — 5 *Ibid.*, 41. — 6 *Ibid.* XXVIII, 19, 20. — 7 Luc. X, 42. — 8 Greg. Mag. *In Exech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — 9 Bonav. *Phar.*, lib. VI, c. 45.

Omnes itaque perfectæ sunt, sed una perfectior alia ; mixta autem supra singulas.

Contemplativa est perfectior.

Dico secundo : Contemplativa vita est perfectior activa, imo respectu hujus optima.

Probatur ex Christi oraculo, qui, Martha laborante et Maria sedente ad pedes ejus et audiente illum docentem, dum Martha doleret quod Maria eam non adjuvaret, dixit : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Contemplativa optima, quare.

At quare sit optima, et unde id sibi competat, videndum est, supposito ex supradictis, cum sanctis Patribus, quod Maria fuerit figura vitæ contemplativæ, Martha vero activæ. S. Gregorius dicit contemplativam esse optimam ea ratione quam assignat Christus, *quia non auferetur* ab habente ; activa enim desinit cum temporali vita, at contemplativa sequitur animam et manet in æternum ; « quia, ait S. Gregorius, hic inchoatur, in patria perficitur [1]. » S. Gregorium secuti sunt S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Thomas, Glossa ordinaria in illud Lucæ [2]. At ipse S. Gregorius a S. Augustino noscitur accepisse.

S. Gregorius dicit quod permanet post mortem.

S. Thomas ex octo motivis dicit esse optimam.

S. Thomas docet ob octo motiva contemplativam esse optimam respectu activæ. Primum est, quia exercetur per actus nobilissimos intellectus et voluntatis, qui conveniunt homini secundum quod homo est, et circa nobilissimum objectum, Deum nempe et divina ; activa vero, circa exteriora, et per actus inferiores. Secundum, quia potest esse magis continua, licet non quantum ad summum gradum contemplationis ; ideo de Maria dicitur quod secus pedes Domini assidue sedebat. Tertium, quia major est delectatio contemplativæ quam activæ ; ideo Martha tristabatur, ait S. Augustinus, Maria vero epulabatur. Quartum, quia in ea homo paucioribus indiget quam in activa ; ideo Marthæ dicitur : *Turbaris erga plurima* [3]. Quintum, quia contem-

[1] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [2] Luc. x, 41-42. — [3] *Ibid.*, 41.

plativa propter se diligitur, activa propter aliud. Sextum, quia contemplativa consistit in quadam vacatione et quiete ; ideo in psalmo dicitur : *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus*[1]. Septimum, quia est circa divina, activa vero circa humana. Octavum, quia est, secundum id quod est, magis proprium homini secundum intellectum ; at in operationibus vitæ activæ communicant etiam inferiores vires, quæ sunt nobis et brutis communes. Nonum additur ex dicto Domini : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*[2]. Hæc et alia S. Thomas[3].

Ex S. Bonaventura.

S. Bonaventura inter innumeras hujus vitæ perfectiones ex diversis Patribus et ex semetipso has enuntiat, sic : « Vita contemplativa est summum beneficium quod conferri potest animæ ; habet enim sibi annexas perfectissimas et supremas et ultimas delectationes, consequentes virtutes, dona, beatitudines et fructus, magnificativas et contentivas, et unitivas spiritus creati rationalis et Dei increati, tanto felicius quanto immediatius, sicut dicit Origenes super Cantica. Signa familiaritatis patent in Evangelio. Spiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplativæ vigili somno quietatur et illuminatur post luctam vitæ activæ, sicut patet de Jacob, qui post luctam et somnum contemplationis, dicit : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*[4]. » Et infra : « Spiritus in itinere contemplationis facie pulchrificatur, visu clarificatur. Unde Hugo dicit : Contemplatio est deifica similitudo, quia dum per eam illuminati lucentes fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt[5]. Et S. Gregorius dicit[6] : Vita contemplativa speciosa est in anima contemplantis, unde dicitur animæ contemplativæ : *Tota pulchra es, amica mea*[7]. Quinto, spiritus humanus, ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, dulciter et multipliciter reficitur ; nam cibatur primo ut fortificetur ;

Multa dicuntur de contemplativa.

1 Psalm. XLV, 11. — 2 Luc. X, 42. — 3 2. 2, q. 182, art. 1 in corp. — 4 Gen. XXXII, 30. — 5 Hug. de S. Vict. *De Ang. hier.*, lib. VII. — 6 *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — 7 Cant. IV, 7.

comedere autem animæ spirituale, est supernæ lucis contemplationibus pasci, ait S. Gregorius[1]. De hac refectione subdit super Ezechielem[2] : Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est, quæ supra semetipsam animam rapit, cœlestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritualia oculis mentis patefacit, corporalia abscondit, ut talis contemplatrix dicat : *Ego dormio, et cor meum vigilat*[3].Vigilanti enim corde dormit, per hoc quod dum interius contemplando proficit, ab inquieto corporis opere foris quiescit, neque adhuc tamen præsens Deus in sua claritate conspicitur, sed quædam sub ipsa speculatur anima, unde refecta proficiat et post ad visionis gloriam pertingat. Hanc refectionem gloriatur anima contemplativa se esse expertam, dicens : *Fructus ejus dulcis gutturi meo*[4]. Item in hoc itinere vitæ contemplativæ spiritus reficitur potu inebriantis gratiæ; ideo anima contemplativa dicit : *Introduxit me rex in cellaria sua*[5]. Unde Glossa ait : Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit, ita me recreatam spiritu, et ab amore terrenorum in superna translatam sentio, ac si in cellam vinariam introducta, novo suo meri odore et poculo inebriata sim. Item in hac via ambulantibus Deus associatur, et cum eis confabulatur, eosque ut comes suis confabulationibus relevat. Cum eis Deus habet dulcia susurria, quibus tanto fortius clamat, quanto efficacius susurrat. Ideo contemplativa dicit : *Vox dilecti mei pulsantis,...* et cetera[6]. Item ambulans in hoc contemplationis itinere, ultra omnia inferiora mentaliter elevatur, in cœlestibus floribus spiritualiter commoratur, et in sancta Trinitate ineffabiliter jucundatur; unde Hugo dicit[7] : Contemplatio claustrum animæ dicitur, cujus sinu dum se recipit animus, sola cœlestia meditatur, a terrenis separatur, a turba carnalium cogitationum longe ponitur ; dulces carnis refugit affectus,

Dignæ perfectiones vitæ contemplativæ.

[1] Greg. Mag. *Moral.* V, c. 6. — [2] Hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [3] Cant. v, 2. — [4] *Ibid.* II, 3. — [5] *Ibid.* I, 3. — [6] *Ibid.* v, 2. — [7] Hug. de S. Vict. *De claustro animæ,* lib. III, c. 1.

vagos sensuum adstringit motus; in Domino delectatur, angelica dulcedine fruitur, legit in libro vitæ; pro silentio pacem tenet, in choro virtutum servat concordiam morum; summi Patris potentiam considerat, sapientiam Filii investigat, Spiritus Sancti benignitatem amat[1]. » Hæc et alia plura S. Bonaventura, ex quibus evidenter colligitur excessus perfectionum contemplativæ vitæ supra activam, cui præfata non competunt.

Dico tertio : Vitæ mixta ex contemplativa et activa est perfectior alterutra.

Vita mixta est perfectior.

Probatur ex S. Bernardo, quem affert S. Bonaventura ubi supra : « Bonum acquirit gradum qui bene ministraverit proximo; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo; optimum autem, qui perfectus est in utroque[2]. » Et ratio evidens est, quia, quum utraque vita sit bona et perfecta singulariter sumpta, si uniantur, majus efficiunt. Et quamvis pars Mariæ appelletur a Christo *optima,* id intelligitur respectu partis Marthæ, quæ bona erat, non quia dari nequeat status perfectior statu Mariæ, si status iste uniatur cum illo alio etiam perfecto.

Christus utramque vitam exercuit.

Ideo Christus Dominus, magister et doctor noster, virtutum omnium exemplar ac prototypus, in utraque vita perfectissime voluit se exercere. Fuit enim, sicut et nunc est, continuus Dei ac divinorum omnium contemplator; quia a primo instanti suæ conceptionis beatus, Deum clare et semper videns, omnesque ejus perfectiones, tam ad intra quam ad extra, creaturas scilicet in Deo resplendentes, et potentiam, justitiam, sapientiam, caritatem, misericordiam et cetera per scientiam beatam ac infusam intuens. Præterea in operibus misericordiæ in genus humanum perpetuo fuit occupatus; etsi enim usque ad trigesimum annum non legamus ejus opera exteriora ad utilitatem humani generis conducentia, perpetuam tamen ejus orationem pro nostra salute, et applicationem suo-

1 Bonav. *De sept. itiner.,* it. 3, dist. 3, art. 5. — 2 *Id. Phar.,* lib. IV, c. 45.

rum laborum, paupertatis, jejuniorum pro nobis jam ab initio suæ formationis in utero Matris, omnes pie credimus. Ab anno vero trigesimo, id est a baptismo per Joannem accepto, et a quadragesimali jejunio usque ad ignominiosam mortem ac sepulturam, et ab ea usque ad ascensionem in cœlum, fide credimus ipsum in activa vita pro humani generis salute et utilitate continuo exercitatum, omniaque spiritualia ac supernaturalia, quæ abunde habemus, ad salutem media, et januæ cœli aperitionem, suis laboribus et sanguinis effusione ac ignominiosa morte nobis comparasse.

Apostoli et alii sancti in utraque vita perfecti fuere.

Salvatorem imitati sunt Apostoli aliique sanctissimi viri, ac præcipui Ecclesiæ doctores, qui nedum Dei divinarumque ejus perfectionum, tam ad intra quam ad extra, contemplationi sedulo vacarunt, et de illis tot tantisque libris fideles erudierunt, sed etiam in misericordiæ operibus in alios semetipsos assidue exercuerunt, ut notorium est de SS. Cypriano, Gregorio Nazianzeno et Magno, Basilio, Chrysostomo, Athanasio, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, et de novissimis, Thoma ac Bonaventura, ut ceteros omittam, et de omnium istorum post Apostolos antesignano, S. Dionysio Areopagita, qui verbo et exemplo in utraque vita præcelluit.

Pastores Ecclesiæ in utraque vita exerceri debent.

Imo S. Gregorius Magnus dicit Ecclesiæ præpositos in utraque vita debere excellere : « Sit Rector in actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione suspensus [1]. »

Ante illum, S. Augustinus primo dicit : « Ex tribus vero illis vitæ generibus, scilicet otioso, actuoso, et ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, et ad sempiterna præmia pervenire, interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio caritatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus ut contemplationem non requirat Dei [2]. » Deinde,

[1] Greg. Mag. *Pastor.*, p. II, c. I, al. c. 12. — [2] Aug. *De civ. Dei*, lib. XIX, c. 19.

declarans illud Apostoli : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* [1], pluribus docet episcopum vitæ mixtæ ex activa et contemplativa incumbere debere, et pro opportunitate modo hanc, modo illam exercere ; subdens : « Otium sanctum quærit caritas veritatis ; negotium justum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam (id est episcopatus) si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati ; si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem ; sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas [2]. »

Utrumque docet S. Augustinus : et quod vita mixta sit perfectior, nam per eam caritas in Deum et proximum exercetur, et quod prælati Ecclesiæ, quum sint in statu perfectionis exercendæ, utrique debent incumbere.

Istæ vitæ in meritis possunt esse æquales.

Dico quarto : Quoad merita alterutrius vitæ (salva pace), ceteris paribus, æqualis meriti esse possunt ; si tamen caritas præcellat in alterutra, illa in qua præcellit majoris meriti dicenda est.

Probatur prima pars ex S. Bonaventura in *Pharetra,* ubi, ex S. Bernardo comparante Martham activam ad Mariam contemplativam, dicit : « Optimam partem elegit sibi Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ ; sed de electione Maria laudatur, quoniam illa quidem omnino, quantum ad nos spectat, nobis eligenda ; hæc, si injungitur, patienter est toleranda [3]. » Quæ verba, ut patuit, sunt S. Augustini.

Dixi *ceteris paribus,* id est, si duo, verbi gratia, æqualiter sint habituati, unus in una, alter in altera vita, tunc existimo habere locum S. Bonaventuræ ac S. Bernardi dictum de æqualitate meritorum ; secus, nequaquam.

Duo præcipua mandata caritatis.

Confirmatur hæc prima pars : Caritas in proximum valde commendatur a Christo, qui interrogatus, *Quod est mandatum magnum in lege?* respondit : *Diliges Dominum Deum tuum,* et cetera. *Secundum autem simile est huic :*

[1] I Tim. III, 1. — [2] Aug. *loc. cit.* — [3] Bonav. *Phar.*, lib. IV, c. 45.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet, et Prophetæ [1]. Notandum, quod dicit, *secundum simile est huic,* quasi diceret, non minoris meriti est observatio hujus secundi præcepti. Deinde notandum est quod Christus in die judicii dicit se rationem exacturum de operibus misericordiæ principaliter; et iis qui ea exercuerunt se dicturum : *Venite, benedicti Patris mei,* et cetera [2]; iis vero qui non exercuerunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* [3]. Ergo activa vita magni meriti est, et quo magis perfecta, eo majoris meriti. Tertio, quia vita activa laborat, contemplativa vacat; activa turbatur, contemplativa jucundatur. Multi in proximorum commodum, nedum omnia sua tradiderunt, quod ex Christi oraculo ad perfectionem spectat, sed semetipsos pro eorum redemptione vendiderunt, ut S. Paulinus, qui utrumque fecit. Quarto, quia activi, quum ab innumeris conspiciantur in suis actionibus abundare, iis omnibus sunt exemplum ad easdem faciendas, et sic eos facto erudiunt. Magni ergo et æqualis meriti esse potest activa vita.

Magna vitæ activæ merita

Probatur secunda pars : Omne meritum principalius pendet a gratia et caritate; at fieri potest ut exercens activam vitam majori polleat gratia et caritate; tunc autem majus erit istius meritum. Nam accidere potest, ut tam activus, quam contemplativus æquali caritate tendat in Deum et tamen activus majorem exerceat caritatem in proximum : verbi gratia, exponat se vitæ periculo propter proximum, ut Sancti multi, qui non solum servituti se subegerunt, ut fratres liberarent, sed et alii plures, ut virgines aliquas a tyrannorum prostitutione liberarent, mutatis vestibus, virgines e carceribus exire procurarunt, deceptis custodibus, et ipsi intus remanserunt : quamobrem mortem per martyrium oppetiere, quod quidem contemplativi in cellis vel eremitoriis non faciunt. Hos autem Salvator maxime commendat : *Majorem hac dile-*

Quo major est caritas, eo majus meritum.

Caritas a Christo exaltatur.

[1] Matth. xxii, 36-40. — [2] *Ibid.* xxv, 34. — [3] *Ibid.*, 41.

ctionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis[1]. Quod adeo verum est ut Apostolus diceret : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*[2]. Quod exponens S. Chrysostomus dicit : « Ita totam mentem ejus demerserat amor Christi, ut etiam hoc quod ei præ ceteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret[3]. » Igitur ex magnitudine caritatis activa esse potest majoris meriti.

CAPITULUM IV.

DE GRADIBUS VITÆ CONTEMPLATIVÆ ACQUISITÆ.

Varie loquuntur doctores de gradibus.

Adverto primo, quod doctores ac theologi mystici de diversitate seu gradatione vitæ contemplativæ et ipsiusmet contemplationis, variis vocabulis loquuntur. Quidam distinguunt in genera, quidam in gradus ; qui plane modi loquendi rem non variant, ut patebit ; nam diversitas vel oritur ab objectis contemplandis, vel ex actuum contemplandi et affectuum intensione ac fervore, vel a modo concipiendi objecta, prævis vel non prævis sensationibus externis ac internis; vel ex imperfectione contemplantium, de quibus postea, vel ex alio capite. Ideo mysticorum de hac re loquentium dicta adducam, ut qui huic exercitio incumbit, vel alios in eo instruit, calleat quid faciat, et an contempletur necne, dum mentaliter operatur, ne decipiatur aut decipiat.

S. Bonaventura optime distinguit et docet.

S. Bonaventura dicit quod est aliud loqui de gradibus contemplationis, et aliud loqui de dispositionibus per quas pervenitur ad contemplationem. De secundis ego nunc non loquar, quia de eis diffuse loquar infra, sed de

[1] Joann. xv, 13. — [2] Rom. ix, 3. — [3] Chrysost. *De compunct.*, lib. I, c. 7.

primis; de quibus ait sanctus Doctor : « Gradus contemplationis (seu vitæ contemplativæ) sunt quidam progressus et profectus intellectualis cognitionis et saporosæ dilectionis, ad contemplandum Deum sub ratione veri et boni. Unde S. Gregorius [1] ait : Gradus sunt mensuræ crescentium virtutum. Tales autem gradus profectuum sunt innumerabiles [2]. » Ita quidem quia, sicut in ceteris virtutibus et scientiis unus est alio doctior ac perfectior, ita in virtute contemplationis; quia, ut ex S. Gregorio ait S. Bonaventura, « nemo de repente fit summus [3], » sed gradatim proceditur in omni professione.

Idem S. Bonaventura dicit septem esse gradus contemplationis. Et sunt : « Ignis, unctio, extasis, speculatio, gustus, quies, gloria. » Inquiens primo : « Anima ignitur, ignita ungitur, uncta rapitur, rapta speculatur seu contemplatur, contemplans gustat, gustans quiescit. Hæc in via possunt acquiri, non tamen subito sed gradatim. Citius autem hæc experitur qui frequentius in spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur, abundantius his qui se in præcedentibus gradibus exercuerunt [4]. » Deinde incipit gradus istos declarare, quid importent; at quia, ut video, gradus isti spectant verius ad contemplationem infusam, quum de illa agam, eos cum sancto Doctore referam et explicabo.

S. Bernardus aliter assignat

S. Bernardus gradus diversos contemplativæ vitæ aliquando assignat ex parte actuum contemplationi annexorum, et aliquando ex parte personarum contemplantium. De prioribus sic dicit : « Adverte in quatuor istis, contemplationis species quatuor. Prima et maxima contemplatio est admiratio majestatis. Hæc requirit cor purgatum, ut a vitiis liberum et exoneratum peccatis, facile ad superna levet; interdum quoque, vel per aliquas morulas stupore et extasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem

1 Greg. Mag. *Moral.* XXII, c. 1. — 2 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — 3 *Id.* ex Greg. *loc. cit.* — 4 Bonav. *De sept. grad. contempl.* (opusc.)

species accessoria est huic ; est enim intuens judicia Dei, quo sane pavido adspectu, dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem servat, virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas. Tertia contemplatio occupatur, vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum, et ne dimittat ingratum, sollicitat memorantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit Psalmista : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt* [1]. Quarta, quæ retro sunt obliviscens, in sola requiescit exspectatione promissorum ; quæ, quum sit meditatio æternitatis, longanimitatem alit, et perseverantiæ dat vigorem [2]. » Et subdit : « Puto jam facile est quatuor hæc nostra, quatuor illis Apostoli assignare, dum *longitudinem* comprehendit consideratio promissorum, *latitudinem* recordatio beneficiorum, *sublimitatem* contemplatio majestatis, *et profundum* inspectio judiciorum [3]. » Ubi vides quod penes diversitatem actuum assignat S. Bernardus diversitatem graduum seu specierum contemplationis.

Alio modo S. Bernardus assignat diversa genera contemplationum.

Idem S. Bernardus ex alio capite distinguit contemplationis et contemplantium gradus, nempe ex parte objectorum, sic : « Sunt enim multa genera contemplationum ac spiritualium visionum ; quæ tamen omnia vel ad Dei potentiam vel sapientiam vel benignitatem pertinere noscuntur ; nam si cogitetur Deus rerum omnium causa, quorumdam ut sint, quorumdam autem ut rationales ac per hoc sapientiæ capaces sint, multorumque ut bene sint, primum illud potentiæ, alterum sapientiæ, ultimum adscribitur bonitati [4]. » Et post aliqua : « Ergo in rerum creatione contemplamur ejus potentiam, in forma sapientiam, bonitatem in usu [5]. »

Deinde docet contemplanda opera Christi, et incipiens a Nativitate, prosequitur narrando, ut contemplationis ob-

1 Ps. CXLIV, 7.— 2 Bern. *De consid. ad Eug.*, lib. v, c. ult.— 3 *Ibid.* — 4 *Id. Hom. infra oct. Epiph.*, al. tract. *De Jesu duodeni.* — 5 *Ibid.*

jecta, opera infantiæ, adolescentiæ et virilitatis, miracula, labores, et cetera.

Vides ergo quod etiam corporalia et imaginaria sunt contemplationis objecta, ut dicunt respectum ad Deum, sicut diximus de contemplationis objecto.

Tertio modo S. Bernardus distinguit contemplationis species.

Idem S. Bernardus distinguit gradus vitæ contemplativæ ex parte personarum, inquiens : « Duo sunt contemplativorum genera ; alii namque vivunt in communi in monasteriis, alii vero sunt solitarii et ab omnibus separati [1]. » Deinde dicit aliquos contemplativos in necessitate proximi transire ad activam, prædicando, docendo, et cetera, et redire postea ad contemplandum; et e contra multos ab activa transire ad contemplativam : de quo transitu multa diximus, quum de vita mixta loqueremur. Postea subdit : « Multos sæculares homines visitat Deus, et per suam gratiam elevat ad altitudinem contemplationis ; et multos contemplativos, justo atque occulto judicio suo, Deus in terrenis actibus lapsos derelinquit [2]. »

Lincolniensis ex S. Bonaventura.

Lincolniensis relatus a S. Bonaventura, gradus contemplativæ vitæ distinguit per majorem aut minorem perfectionem et claritatem intuendi seu cognoscendi objectum contemplatum. Ex S. Bonaventura sic : « Sicut oculi carnis infirmiores prius suscipiunt lumen solis obscurum et magis coloribus superfusum, deinde, magis confortati, suscipiunt illud a coloratis mediis coloribus, et postea, visu roborato, plus suscipiunt illud superfulgidum coloribus albis, deinde vero, plus aucta sanitate, suscipiunt illud fulgentibus coloribus superfusum, ut speculis tandem, oculis perfecte sanatis, suscipiunt solarem radium, non autem alicui superfusum, sed in se purum ipsum solem in ipso puro solari lumine irreverberare conspicientes ; sic etiam oportet mentis oculum infirmiorem prius assuefieri ad conspiciendum lumen solis, intelligentia in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem, ex ipsa

[1] Bern. *Ad soror. De modo bene viv.*, c. 53. — [2] *Ibid.*

luminis datione multis multipliciter superfusa, extendamur et restituamur in simplicem ipsius radium [1]. »

Conclusio S. Bonaventuræ.

Ex quibus concludit S. Bonaventura « quod, tam in radioso lumine contemplationis speculativæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, oportet paulatim et gradatim proficiendo ascendere, et ascendendo clarius cognoscere Deum ; quia, sicut dicit Hugo [2], quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur et confortetur, et affectus mentalis magis purificetur et inflammetur, ut totus homo exterior et interior in Deum ordinetur ; et hoc verius et perfectius videtur fieri per gradus illos, qui mentem ad similitudinem cœlestis hierarchiæ purgant, illuminant et perficiunt [3]. » Hæc et alia multa de hac partitione refert ex Hugone S. Bonaventura.

Richardus aliter distinguit gradus contemplationis.

Richardus de S. Victore aliam partitionem graduum contemplationis assignat, ut refert S. Bonaventura, per actus prævios tendentes ad ultimum et proprium actum contemplationis. Sic autem loquitur Richardus : « Sex sunt contemplationis species seu gradus. Primus infimusque gradus est in imaginatione, quæ non est actus intellectualis, sed longe inferior est intellectu et affectu, et ab illa ascenditur gradatim usque ad cognitionem increatæ veritatis [4] ; » quia ait Richardus : « Nos debemus a novissimis incipere, et per exteriorum notitiam ad invisibilium cognitionem ascendere ; et tunc contemplatio nostra in imaginatione versatur et secundum solam imaginationem formatur, quando nihil arguendo quærimus et ratiocinando investigamus, sed libere mens nostra huc illucque discurrit, quo eam in hoc genere speculationis admiratio rapit, dum imaginamur quam sint multa et varia et pulchra et jucunda ; talium enim forma et imaginatio in considerationem adducta inferunt stuporem et admiratio-

Primus gradus est imaginatio.

1 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — 2 Hug. de S. Vict. *De Ang. hier.*, lib. IX, p. 2. — 3 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — 4 Rich. de S. Vict. *De contempl.*, lib. IV, c. 2.

nem. Et de imaginatione distinguit, quod duplex est, bestialis et rationalis. Prima est quando circa ea quæ ante vidimus vel fecimus, sine utilitate et absque deliberatione, huc illuc vaga mente discurrimus ; rationalis est quando aliqua imaginamur rationabiliter ex his quæ vidimus, et illis utimur in contemplatione [1]. » Et ait S. Bonaventura : « Licet imaginatio non sit aliquis gradus intellectus, est tamen ordinata dispositio ad intellectum, et rationi famulatur, ideo aliqualiter gradus contemplationis dicitur [2]. » Sic S. Bonaventura. Notent ergo moderni, qui imaginationes seu phantasmata a contemplatione tanquam ei contraria rejiciunt, quum tamen ex S. Bonaventura et Richardo famulentur contemplationi.

Secundus gradus ex Richardo est rationis fundatæ in imaginatione.

Secundus gradus contemplationis, ex Richardo et S. Bonaventura, « consistit in imaginatione ; tamen secundum rationem formatur, et procedit ratiocinando circa ea quæ imaginationi præsentantur ; quod fit quando ea quæ in imaginatione versamus, et ad primum gradum contemplationis pertinent, ratione quærimus et invenimus, et inventa in considerationem cum admiratione adducimus. Hic gradus est superior primo, quia ratio in eo operatur, licet cum imaginatione quæ rationi subjicitur ; imaginatio enim ad rationem non ascendit, sed ei quasi a longe ostendit quædam ad quæ ipsa non potest pervenire. Et hic dicitur gradus contemplationis, quia per ipsum humanus spiritus magis appropinquat et ascendit ad veram contemplationem, quam primus gradus [3]. »

Tertius gradus.

Tertius gradus, ex Richardo et S. Bonaventura, est « qui in ratione secundum imaginationem formatur ; isto enim gradu tunc veraciter utimur, quando rerum visibilium multifaria similitudine, ait Richardus, in rerum invisibilium speculationem sublevamur (id est, ego dico, ex speciebus phantasticis intelligibiles formamus). Hæc speculatio in ratione consistit ; dicitur autem secundum ima-

[1] Rich. de S. Vict. *De contempl.*, lib. IV, c. 2. — [2] Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 2. — [3] *Ibid.*, ex Rich. *loc. cit.*

ginationem formari, quia ex rerum visibilium imaginatione in hac speculatione similitudo trahitur, unde in rerum invisibilium investigatione animus adjuvetur. Et hic gradus est perfectior præcedentibus eo quod se extendit ad contemplationem invisibilium et spiritualium, licet ex imaginatione visibilium similitudinem trahat in sui adjutorium ; *invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur* [1]. Ex quo colligi potest, quod ad invisibilium cognitionem nunquam ratio consurgit, nisi ei sua ancilla imaginatio rationi invisibilium formam repræsentaret [2]. » Et his certe docetur modus quo intellectus cognoscit spiritualia, formans species intelligibiles ex imaginationibus seu phantasmatibus.

Ex imaginatione ratio formal speculationem per speciem intelligibilem rei.

Quartus gradus contemplationis, ait ex Richardo S. Bonaventura, « in ratione consistit, et secundum rationem formatur, quod utique fit quum, semoto omni officio imaginationis, animus solum illis intendit quæ imaginatio non novit, sed mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem deprehendit. Tali enim speculationi insistimus, quando per invisibilia nostra, quæ per experientiam novimus, in cœlestium contemplationem assurgimus. Et hæc in ratione consistit, quia, semotis sensibilibus, solum intelligibilibus intendit ; et hæc contemplatio ab invisibilibus nostris videtur initium et fundamentum sumere [3]. » Hic gradus, dicit S. Bonaventura, « aliis præcedentibus videtur perfectior, eo quod tam a corporalibus quam a temporalibus magis elongatur, et spiritus magis in eo purificatur et æternis unitur [4]. » Hæc et plura Bonaventura.

Quartus gradus contemplationis.

Quintus gradus contemplationis, ait ex Richardo S. Bonaventura, dicitur ille, « qui est supra rationem, sed non præter rationem ; et est, quando mentis speculatione ascendimus ad ea quæ per revelationem cognoscimus,

Quintus gradus ex Richardo, qui est supra rationem, sed non præter rationem.

1 Rom. 1, 20. — 2 Rich. de S. Vict. *De contempl.*, lib. 1, c. 60. — 3 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 2, ex Rich. *loc. cit.* — 4 *Ibid.*

quæ nulla ratione humana plene comprehendere valemus, nec ulla ratiocinatione intelligere et investigare sufficimus. Talia sunt illa quæ de Divinitatis natura in illa simplici essentia credimus, et divinarum Scripturarum auctoritate probamus. Tunc contemplatione animus ascendit supra rationem, quia humanæ capacitatis metas transcendit; at non est præter rationem, quia ei quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non potest, quin potius facile acquiescit, quia revelata sunt. Et subdit Richardus : Quædam sunt infra rationem, ut quæ sensu corporeo percipimus; quædam secundum rationem solam, ut sunt illa quæ ratione investigamus; quædam supra rationem sunt, ut quæ sola revelatione scimus credendo, et nulla ratione humana, nec experimento nec intellectu, comprehendere possumus, sed veraciter ea credimus [1]. »

Sextus gradus contemplationis est eorum quæ videntur præter rationem.

Sextus tandem contemplationis gradus, ex Richardo et S. Bonaventura, « est ille qui versatur in iis quæ sunt supra rationem, et videntur esse præter rationem, seu etiam contra rationem. In hac suprema contemplationis specula tunc animus exsultat atque tripudiat quando illa ex divini luminis irradiatione cognoscit atque considerat quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt pene omnia quæ de Personarum trinitate credere jubemur; de quibus, quum humana ratio consulitur, nihil aliud quam contraire videtur. Iste gradus perfectior est omnibus præcedentibus, eo quod in eo pura intelligentia operatur, quæ ad contemplationem divinæ majestatis admittitur[2]. » Sic Richardus.

Plures causæ hujus gradus.

De hoc supremo contemplationis gradu, quo ad magnalia Dei ex ejus beneplacito contemplanda mens sublevatur, subdit ex Richardo S. Bonaventura : « Hæc sublevatio, quæ quandoque extenditur usque ad mentis elevationem, fit ex tribus : quandoque ex magnitudine

[1] Bonav. *De sept. itiner.*, it. 8, dist. 4, art. 2, ex Rich. *loc. cit.* — [2] *Ibid.*, ex Rich. *De contempl.*, lib. IV, c. 2.

devotionis, quandoque ex magnitudine admirationis, quandoque ex magnitudine exsultationis. Magnitudine devotionis, quando mens supra semetipsam elevatur, et tanto cœlestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, quæ animam ad ceræ similitudinem liquefactam a pristino statu resolvat, et ad instar fumi extenuatam in superna elevet et ad summa emittat. Magnitudine admirationis anima supra seipsam ducitur, quando divino lumine irradiata, et summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut a suo statu funditus concutiatur, et in modum fulgoris coruscantis, quanto profundius ex despectu sui ad ima dejicitur, tanto sublimius ac celerius per summorum desiderium reverberata, et supra seipsam rapta in sublimia elevatur. Magnitudine vero exsultationis et jucunditatis mens humana supra semetipsam rapitur et a se alienatur, quando intima illa æternæ suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur, et in alienationis excessum tripudii sui nimietate traducitur, et in supermundanum affectum sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur [1]. » Hæc ex Richardo [2] S. Bonaventura, licet gradus hic ultimus ad infusam contemplationem magis proprie spectet.

Effectus illius.

Placuit sic diffuse gradus istos, a Richardo assignatos et a S. Bonaventura approbatos, referre, ut qui contemplationi incumbit, vel de ea loquitur, sciat quid faciat et quid dicat ; sciat quinam sint actus proprii contemplationis, qui reductitii ad eam ; quænam sint objecta contemplationis ; et quod non solum objecta contemplationis sunt illa divina revelata, ad quæ non potest pertingere humana ratio, sed sola fide creduntur, ut unitas essentiæ cum trinitate Personarum, unio hypostatica, et cetera, sed etiam alia divina revelata, circa quæ humana mens potest ratio-

Plura contemplationis objecta.

1 Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 2. — 2 Rich. de S. Vict. *De contempl.*, lib. v, c. 5.

cinari, ut divina potentia, sapientia, justitia, et cetera, quæ dicunt perfectionem, et ea tribuimus Deo; sed etiam tandem corporalia et imaginaria, quæ dicunt ordinem ac relationem ad Deum, ut diximus de objecto contemplationis. Et sic vitæ etiam contemplativæ status ab ejusmodi graduum contemplandi diversitate diversificantur.

Alia divisio vitæ contemplativæ.

Alia vitæ contemplativæ partitio seu gradatio est de incipientibus, proficientibus et perfectis, quorum graduum signa per effectus in suo loco adducentur.

Alia divisio acquisitæ et infusæ.

Ultima tandem divisio seu gradatio vitæ contemplativæ est in acquisitam ac infusam. Harum differentias multas supra adduximus, et in opusculo *De infusa* adducemus. At communis et palmaria ac omnibus nota differentia est, quia acquisita ex auxilio quidem gratiæ fit cum proprio contemplantis labore, studio ac diligentia, sicut meditatio, infusa vero ex divino prorsus favore, sine humano studio. Alias plures differentias supra adduxi, et plenius adducam quum de infusa loquar.

CAPITULUM V.

AN INTER GRADUS CONTEMPLATIONIS DETUR ILLE QUI DICITUR « ORATIO QUIETIS, » ET IN QUO CONSISTAT.

Quies quid sit.

Adverto primo, quod tam apud grammaticos quam apud philosophos, quies idem est ac vacatio, otium, tranquillitas ac cessatio a labore. Unde Romani, ex S. Augustino [1], sicut venerabantur deam Murciam, quæ facit hominem murcidum et inactuosum, et deam Strenuam, quæ facit hominem strenuum, ita deam Quietem, quæ facit hominem cessare a labore et tranquillum; cui ædificarunt ædem extra portam Collinam, eam tamen, dicit S. Augustinus, publice colere noluerunt. Ego puto id con-

[1] Aug. *De civ. Dei*, lib. IV, c. 16.

tigisse eo quod vellent cives in laboribus, non in quiete exerceri.

Quietem quomodo sumunt mystici.

Adverto secundo, quod theologi mystici, cum analogia aliqua ad quietem grammaticalem et philosophicam, docuerunt, inter gradus seu actus contemplationis, dari actum seu gradum quemdam dictum quietis, non quia sit sine ullo prorsus intellectus et voluntatis actu, — fatuum enim esset hoc dicere, quia eo ipso quod est actus contemplationis, est actus intellectus cum saporosa dilectione, ut dicit S. Bonaventura, — sed dicitur quietis ex alio capite : quia scilicet, quum Deus speciali favore animam contemplantem visitat lumine aliquo majori, quo perfectius Deum et divina cognoscit, non solum potentiæ inferiores vacant ab omni operatione, sed anima est in magna pace ac tranquillitate, intuendo Deum ipsum et quod sibi Deus ostendit, eoque fruendo.

Quietis diversi gradus.

Adverto tertio, plura hic esse videnda : primo, an in contemplativis detur gradus seu actus iste; secundo, an detur in contemplatione infusa tantum, an etiam in acquisita ; tertio, quum in contemplatione acquisita exerceantur incipientes, proficientes ac perfecti, videndum est an omnes isti sint capaces istius gradus, seu idonei ad illum ; quarto, an dentur gradus quietis diversæ rationis et speciei, an ejusdem ; et in quo consistant gradus isti quietis.

Cur dicitur oratio.

Notandum autem quod actus iste, sive in infusa, sive in acquisita contemplatione, appellatur oratio, sicut omnis contemplatio vocatur oratio, ex ea generali ratione quia est ascensio mentis ad Deum ; ita est gradus iste.

Omnis contemplatio dicitur quies.

Adverto quarto, quod, licet omnis actus contemplationis a sanctis Patribus et Doctoribus appelletur quies et otium, ex eo capite quod intellectus et voluntas per eam quiescant in suo termino jam invento, — in intuitu scilicet ac dilectione primi veri et summi Boni, ut optime docet S. Gregorius sic : « In contemplatione jam quietis internæ gustus contingitur[1]; » et infra : « Quum ergo quies contemplativæ

1 Greg. Mag. *In Ezech.* hom. 14, al. lib. 2, hom. 2.

vitæ agitur in mente, silentium fit in cœlo : quia cum terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ad secretum intimum auris animum apponit ; sed quia hæc quies mentis in hac vita perfecta esse non potest, nequaquam hora integra factum est in cœlo silentium dicitur, sed quasi media hora, ut neque ipsa media hora sentiatur, quum præmittitur quasi, quia mox ut se animus sublevare cœperit et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, et confusus cæcatur [1] : » et sic patet quod ipsa contemplatio est quies, — tamen gradus iste quietis, de quo hic loquimur, est specialior quies et peculiari perfectione decoratus.

Datur gradus contemplationis dictus quietis.

Dico primo : Pro personis spiritualibus, perfectis tam in contemplatione infusa quam in acquisita perfecta, ex speciali Dei favore, datur aliquando quidam gradus contemplationis dictus quietis, in suavi animæ pace et tranquillitate consistens.

Ex S. Bonaventura solis valde spiritualibus competit.

Probatur de infusa primo ex S. Bonaventura in tractatu *De septem gradibus contemplationis,* inter quos sexto loco ponit quietem. Declarans postea quid sit, et quibus contemplativis, et quomodo istis competat, inquit : « Quies est totius animæ mira quædam et suavis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valde spiritualibus experientia hujus quietis conceditur, quibus et datur etiam ipsas supercœlestes substantias contemplando transcendere. Superignota enim bonitas, ipsis familiaris, seipsam eis immittit, et ipsi tota virtute dilatato sinu sancti desiderii potenter suscipiunt beatas immissiones, animalibus præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris sanctorum contemplativorum animabus, tam insueto nutrimento ditissime adimpletis, splendescit ipsorum ratio, dulcescit concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione quorum deificam illam quietem non ambigimus emanare [2]. » Hæc Seraphicus Doctor.

[1] Greg. Mag. *In Ezech.* hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [2] Bonav. *De sept. grad. contempl.*

Probatur secundo ex dictis S. Theresiæ, in libro *Via perfectionis,* ubi loquens de quiete, inquit : « Hæc oratio dici potest quædam amoris scintilla quam Deus accendit in anima; vult enim quod divinum suum amorem cum suavitate experiamur. Hic anima manifeste percipit, sed via non ordinaria, quod multum accessit ad Deum, et quod parum est, quin in eum per unionem amoris transformetur. Non quod ipsum Deum vel externis vel internis oculis videat; sed quia Deus hoc ei mirabili modo, ipsique animæ prorsus ignoto, manifestat, et sentit prope se regem suum : quod tantam in eo causat reverentiam ut nihil ab ipso audeat postulare. Et simul cum hac quiete summa satisfactio et gaudium animæ, maximaque corpori accidit delectatio; nam anima tam læta ex hoc solo remanet quod se prope fontem vitæ sentiat, quod plene satiata sibi videatur, etiam si nondum biberit, nec reputat aliquid ultra desiderandum. Tam quietæ sunt potentiæ quod nec audent se movere; non quod suspensæ sint vel ligatæ, imo sentiunt se prope Deum esse. Memoria ac intellectus sunt liberi ad proprias operationes, sola voluntas manet captiva et Deo unita, sique patitur in hoc statu aliquid, hoc est : quod ad suam pristinam libertatem seu proprium operandi modum redire possit. Nollet enim intellectus aliquid aliud intelligere, nec memoria in aliis occupari; clare enim vident hoc unum esse necessarium, ceteraque omnia extra illud multum inquietare. Nollent quod corpus moveretur; timent etiam ne vel minimo ejus motu quam possident pacem amittant. Loqui fastidium parit, et vix spatio unius horæ dominicam Orationem possunt recitare. Hic accidunt quædam lacrimæ dulces, et cum magna suavitate profluentes. Videtur his quod non sunt de hoc mundo, nec quidquam aliud videre vel audire vellent quam Deum ipsum. Nihil ipsis causat laborem, nec causare posse videtur. Denique, toto tempore quo durat hæc pax et interna quies, voluntas propter delicias quibus fruitur sic manet absorpta ut nihil sibi ulterius videatur optandum, et libenter cum S. Petro diceret : *Domine,*

Ex S. Theresia.

Infusæ quietis effectus.

Quid faciunt potentiæ in illa quiete.

Voluntas aliud nollet videre nec audire.

bonum est nos hic esse; si vis, faciamus tria tabernacula[1]. » Hactenus S. Theresia[2] : sed hæc infusa est.

De eadem oratione quietis infusa pluribus aliis in locis suorum operum loquitur et mirabilia dicit eadem S. Theresia, nempe in *Vita sua*[3], ubi diffuse de ea agit in *Mansione*[4], et alibi sæpe.

Ex Thoma a Jesu quid facit quies illa.

De hac infusa oratione quietis loquens Thomas a Jesu, carmelita discalceatus, ait : « Demum est alia contemplationis species, quæ quies in Deum vocatur, in qua Deus infuso ac eminenti amore possidetur, et ipse in anima cum dilectione prolabitur, alterque alterius in possessione et quiete mutua requiescit. In ea spiritus clarificatur, et totus divino lumine ac fulgore perfunditur, et Deus cum ipso, et ipse cum Deo mira caritatis adhæsione et jucunditate adinvicem conglutinantur. Hæc jucundissima quies a pura Dei contemplatione provenire solet, estque proxima ad unionem fruitivam dispositio[5]. »

Ex patre Balthasare Alvarez.

Probatur tertio, ex doctrina insignis ac piissimi viri Balthasaris Alvarez, jesuitæ, qui a Ludovico de Ponte asseritur magister S. Theresiæ. Is ergo Balthasar, ex eodem Ludovico in *Vita* ejus[6], nedum orationem quietis seu præsentiæ Dei mirum in modum commendat, et describit (ut infra) in quo consistat, sed viris perfectis ex singulari Dei favore concedi ; et ad Dei gloriam fatetur se, post sexdecim annos exercitiorum ac meditationum, a Deo eam obtinuisse. Imo, quia imperitis quibusdam videbatur nova forma orandi et exotica, jussu Generalis Everardi Mercuriani, ut istius suæ orationis quietis seu præsentiæ Dei rationem redderet, commentariolum de hac rescripsit, et ad Generalem misit ; in quo, postquam narravit suæ vitæ in exercitiis meditationum seriem, de oratione quietis ait :

Describitur oratio quietis.

« Ex quo largitatem hanc tantam in me Deus effudit, hæc meæ precationis est forma. Divinæ illius præsentiæ sisto

[1] Matth. XVII, 4. — [2] Ther. *Via perfect.*, c. 31. — [3] *Ead. Vita sua*, c. 14. — [4] *Ead. Mans.*, lib. IV, c. 2, 3. — [5] Thom. a Jesu *De orat. inf.*, lib. III. — [6] Ludov. de Ponte *Vita Balth. Alvarez*, c. 13 et seq.

me, quam mihi intime extimeque spectandam per modum habitus permanenter ipse mihi obtulit, quum semel ipsius suavitate cum ipso perfruerer[1].» Et cum D. Thoma[2] probat multis (de quibus postea) hunc modum orandi cum quiete in Deo, perfectum esse; et sequitur : « Inter orandum, alias divinorum a sacris Paginis verborum significata sensusque arcanos animæ mecum ipse commentor ; taceo alias et quiesco : at hoc coram Deo cum quiete silentium thesaurus est ingens. Deo enim loquuntur omnia, ejusque oculis res nulla non patet : meum cor, mea vota, meus animus, conatus mei, quidquid intra meipsum est; quæ scio, quæ valeo, divini Numinis oculi sunt, qui mea possent evellere vitia, cupiditates meas incendere, alas sufficere ad volandum, mei boni suique obsequii appetentiore ipso quam me[3], » et cetera plura. Et infra : « Id vero illud est, quod in præsentia primum specto, recreorque profecto, quod ejus oculis, pro quo ipsius voluntate acceptum me exercitumque contemplor. Jam vero quandoquidem hanc precandi rationem ingressus objurgantem intra me sensi, si ab ea ad usus alios ratiocinandi deflecterem, contuli ad auctores, rationesque pervestigandas, quibus eam effulcirem[4]. » Et numerat sanctos Doctores qui eam commendant, quos in suo referam loco. Et post : « Hoc enim ferculum tam dulce vacuumque periculo, alias mitti quam ipsius (Dei) manu non potest[5]. » Rationes plures adducit, cur in Deo invento quiescendum ; quia David inquit : « *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus*[6], et hujusce vitæ sublimitas compluribus notis a divino Spiritu describitur[7]. Quum primum vero Spiritus hic sapientiæ in animam influit, tantum illi accedit pretii ut nihil mortalium oculos suos fulgore defigat, quocum possit illa conferri : non aurum et cetera omnia cum illa bona subeunt. Suavis est enim Dominus, benignus, locu-

Magna bona adducit oratio quietis.

1 Ludov. de Ponte *Vita Balth. Alvarez*, c. 13. — 2 Thom. 2. 2, q. 182, art. 2, ad 1. — 3 Ludov. de Ponte *loc. cit.* — 4 *Ibid.* — 5 *Ibid.* — 6 Psalm. XXXIII, 9. — 7 Sap. VIII.

ples, et cetera, cujus gustum ubi quis cœperit, dimittit a se omnia quibus antea servierat, suique incipit esse juris, ac liber[1]. »

Rationes hujus formæ orandi.

Postea assignat plures rationes hujus formæ orandi : « Prima, ait, licet absit ab ea ferme ratiocinatio, petitio tamen adest ; in eaque quam Deus animæ impertit quiete virtutum plena excogitatio est, ibidem petitio intercedit non in actu signato, sed in actu exercito[2], » et cetera, ut dicam postea de exercitio et usu hujus orationis. « Alia ratio, quod ea est forma qua sentitur de Deo præstantius, hoc vero excelsæ illius majestatis par est. Tertia, oratur hoc modo prolixius, compluriumque sanctissimorum virorum preces ejusmodi fuisse probatur ; mentis enim agitatio defatigat, illorum vero assidua erat precatio. Quarta, quod emendare in anima ratiocinando connitimur, compendiosius a Deo fieri apparet. Hac via atque ejusmodi homines studiosiores virtutum sunt, subjectiores præpositis, suis cupiditatibus majores, efficacioresque cum proximis[3]. »

Non omnes sunt ejus capaces.

At subdit : « At enim hæc utique via non omnes admittit. Admittit quidem illa quam sanctissimus pater Ignatius in Societate constituit[4] ; » et cetera. Et postea dicit ipsum quoque S. Ignatium eadem via incessisse, quia de eo in ipsius vita legitur quod postea erat patiens divina : quod perfectorum contemplativorum est proprium.

Maximus gradus est.

Et infra Ludovicus de Ponte de Balthasare dicit : « Postremo ait, præcelsam illam in quam evectus est a Deo per orationem ex altissimis fuisse gradibus contemplationis divinæ ; intimus nempe quo ornari consuevere a Deo perpauci[5]. » Et in sequenti capitulo[6], quia forte commentarius iste Balthasaris aliquas pati videbatur difficultates, ipsemet Ludovicus de Ponte eas diluit, assignatque primo cur dicatur oratio præsentiæ Dei, secundo cur dicatur oratio quietis, cur oratio silentii : de quibus vocabulis eo-

[1] Ludov. de Ponte *Vita Balth. Alvarez*, c. 13. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.* — [6] *Ibid.*, c. 14.

rumque etymologiis dicam postea ; nunc enim subsistentiam hujus orationis in perfectis spiritualibus ab ipsius magistris discere studuimus, et Deo duce invenimus.

P. Philippus a sanctissima Trinitate.

Confirmari potest ex iis quæ docet doctissimus ac piissimus pater Philippus a sanctissima Trinitate in *Summa theologiæ mysticæ*, in qua recapitulat omnia quæ nos ex S. Theresia adduximus, et in capitulo sequenti adducemus. Et ex iis quæ ipse notat signis hujus veræ orationis evidenter colligitur quod loquitur de ea oratione quietis quæ reperitur in contemplativis vel meditativis perfectis post longum meditationum exercitium. Signa autem ex ipso sunt ista : « Pax interna, remanens etiam transacta illa quiete, profunda humilitas, habilitas et dispositio ad exercitia spiritualia, lux cœlestis in intellectu, et in voluntate firmitas ad bonum et reliquas virtutes, quas Dominus ipse multo excellentiores concedit quam propria possint industria acquiri ; nam humilitas hic concessa propriam generat confusionem, et certam nostræ infirmitatis cognitionem inspirat, qua vellemus nosipsos coram Deo annihilare[1], » et cetera plura. Et subdit : « Sed inter alios effectus orationis quietis, specialis est desiderium proficiendi in oratione, nec ipsius exercitium dimittendi, licet in eo continuando plurimum foret laborandum. Deinde, est quædam moralis certitudo propriæ salutis, sed humilitati conjuncta, quæ servilem excludens timorem damnationis, inducit filialem. Ibi purum amorem Dei, absque propriæ utilitatis aut mercedis intuitu, anima experitur. Vellet diutius in solitudine remanere, ut abundantius tanto bono frui posset. Nec tunc potest dubitare quin hujusmodi quieta communicatio sit Dei secum familiariter agentis[2]. »

Signa veræ orationis quietis.

Multa bona spiritualia relinquit in anima.

Singularis et proprius effectus est gustus, et suavitas a Deo concessa.

Prosequitur : « Sed proprius et singularis hujus orationis effectus est gustus et mira suavitas quam ponit in anima ; nam gustus in oratione quietis communicatus, quia Deum et ut principium et ut finem habet, cor mira-

[1] Philipp. a S. Trinit., p. III, tract. I, art. 2. — [2] *Ibid.*

biliter dilatat. Ex hac vero suavitate et cordis dilatatione procedit quod anima multum audet dum aliquid ad majorem Dei gloriam efficiendum occurrit; expellitur timor amittendi sanitatem in mortificationis exercitio, videt enim se omnia posse in Deo qui ipsam confortat; non sic formidat labores ut ante solebat, imo sæpe eos desiderat et quærit; mundi gaudia despicit; tandem in omni virtute profectum experitur[1]. » Quæ omnia perfecti spirituales tantum experiuntur.

Conclusio ergo horum omnium evidens et firma est pro nunc : quod in perfectis spiritualibus vel aliis, ex singulari Dei favore, datur oratio ista dicta quietis. An vero detur in aliis, et quæ, mox dicetur.

CAPITULUM VI.

AN IN CONTEMPLATIONE ACQUISITA DETUR GRADUS DICTUS « ORATIO QUIETIS, » INFERIOR JAM DICTO, ET IN QUO CONSISTAT.

Sensus quæsiti quis sit.

Advertо primo, sensum hujus quæsiti hunc esse : an scilicet, præter orationem quietis, quæ, ut supra patuit, confertur a Deo in contemplatione infusa, estque magnum Dei donum quod proxime disponit ad perfectam unionem cum Deo, detur aliud genus orationis quietis inferius illo, utpote oratio non simpliciter infusa, sed dicta acquisita seu naturalis; quia, licet ex adjutorio supernaturali efficiatur, tamen ex studio et labore etiam nostro fit, et, ut infra dicam ex Balthasare Alvarez, dicitur etiam præsentiæ Dei, ac silentii, et ab aliis puræ fidei. De hac quærimus, an detur, in quo consistat; at qui sint ejus capaces dicetur postea.

[1] Philipp. a S. Trinit. *loc. cit.*

Cavendum ab erroribus quorumdam

Adverto secundo, ut bona a malis secernamus ne pusilli decipiantur, eliminandos omnium primo esse Illuminatorum et aliorum quorumcumque errores, qui circa orationem mentalem ad hunc usque diem sparsi sunt. Fanatici enim illi homines, inter alia ad negotium nostrum spectantia, docuerunt quod orans mentaliter ita se colligere debet quod nec discurrat nec meditetur, ne in Jesu Christi quidem Passione, multo vero minus in sanctæ humanitatis cogitatione immoretur ; et quod nullo modo unquam sit vacandum imaginibus ut quis se ad orandum colligat, quum ipsæ tantum ut blandimenta et illecebræ censeantur. Alios eorum errores, sicut et Beguardorum ac Beguinarum, retuli in opusculo *De oratione mentali* [1], quos hic referre non est necessarium, sed ibi videantur.

Balthasar Alvarez explicat quid sit oratio quietis.

Adverto secundo, quod, quamvis aliqui sancti et mystici aliique doctores varie adumbrarint ac descripserint gradum istum contemplationis acquisitæ, dictum oratio quietis, ut mox referam, et alii libellos plures pro ejus defensione scripserint, nullus tamen, quem legerim, apertis et claris verbis declaravit in quo consistat, nisi unus Balthasar Alvarez, pius et devotus jesuita, ut refert Ludovicus de Ponte in ejus *Vita* [2]. Is enim a Generali suo, Everardo Mercuriano, compulsus fateri in quo consistat hæc oratio quietis, quam commendabat et frequentabat, scripsit, ut diximus, summarium profecto legendum de toto negotio ; et primo dicit : « Hæc meæ precationis est forma : divinæ illius præsentiæ sisto me, quam mihi intime extimeque spectandam per modum habitus permanenter ipse mihi tunc obtulit, quum semel ipsius suavitate cum ipso perfruerer [3]. » Dicit deinde quæ in ea fiunt et quæ facienda occurrunt, ut postea.

Quomodo sit.

In hoc ergo dicitur consistere oratio quietis acquisita, quæ gradus seu species contemplationis est, « ut justus spiritualis aliquo tempore, vel magno vel parvo juxta de-

[1] Supra, Op. II, *De orat. ment.*, c. 4. — [2] *Vita Balth. Alvarez*, c. 13. — [3] *Ibid.*

votionis spiritum, ab omni temporalium cura se abstrahens, et ab omni alia cogitatione, sive præcedente aliquo meditationis alteriusve præparationis actu, sive cum sola Spiritus Sancti invocatione, semetipsum in se, id est in animo suo, recolligens, sibi præfigat in se, sicut revera est, Dei præsentiam, eamque credendo firmiter, — omne phantasma seu imaginationem fugans, quia nequit Deus per imagines phantasticas repræsentari, — Deo præsenti inhæreat per fidem intuendo, eoque perfruatur amando[1].»

In quo consistat.

In hoc ergo consistit gradus hic acquisitæ contemplationis, dictus præsentiæ Dei, vel silentii, seu oratio quietis. An autem in ea anima per potentias patiatur tantum, vel agat, et quid agat, dicam infra. De hac ergo quærimus, an detur, an bona et utilis sit, et qui illius sunt capaces : quæ dubia partim hic, partim postea solventur.

Et quod admittenda sit, et quod sit bona, religiosa et utilis, ac mysticis familiaris, nullum potest esse dubium ; quia est actus veræ et puræ contemplationis. Sed de modo eam agendi ac de circumstantiis ejus esse potest dubium ; quia et audio et experior a quibusdam adulterari, et defectibus ac erroribus multis sic conspurcari ut non videatur amplius penes ipsos precatio, sed potius imprecatio, nec quietem in eis pariat, sed inquietudinem : et ideo in capitulis sequentibus eam ab ejusmodi injuriis, Deo duce, vindicare conabor.

A mysticis admittitur oratio quietis acquisita.

Dico primo : Gradus contemplationis acquisitæ dictus oratio quietis, cum suis debitis circumstantiis, a sanctis ac mysticis doctoribus admittitur, et modis variis, ad idem tamen tendentibus, explicatur.

Doctrina S. Bonaventuræ.

Probatur et declaratur : S. Bonaventura videtur hoc aliud inferius genus orationis quietis docere, sic : « Qui vult cum activa contemplativam vitam habere, ut suum Dominum in omnibus contempletur, videtur mihi quod hæc via sit brevis et bona : videlicet ut, se totum recolligens, intret ad cor suum, et intima cordis ingrediens, se

1 Ludov. de Ponte *Vita Balth. Alvarez*, c. 13.

resolvat in Deum, ut nihil nec videat nec sentiat, nisi Deum [1]. » Sic autem incipit oratio quietis, nempe per recollectionem in seipso. Aliquis orans, relictis omnibus curis et cogitationibus omnium rerum, recolligit se ad cor suum, et cogitat atque per fidem credit Deum esse sibi intime præsentem per illapsum generalem immensitatis, fide ipse illum intuetur, eoque fruitur amando, et in eo quiescit tanquam in termino a se optato, quæsito et invento. Et hoc modo adumbrata seu descripta videtur acquisita contemplatio quietis.

In S. Bonaventuræ doctrina præfata pluranotanda sunt.

In qua Seraphici doctrina plura notanda sunt. Primo, quod non solum purus contemplativus potest ad hunc gradum contemplationis quietis pervenire, sed etiam qui vitam ducit activam, et tamen contemplari cupit; quia ait : « Qui vult cum activa contemplativam vitam habere, ut suum Dominum in omnibus contempletur. » Secundo, debet se totum recolligere, id est de nulla alia re cogitare; dicit enim : « Se totum recolligens. » Tertio, in cordis arcanum ingredi debet; quia ait : « Intret ad cor suum. » Quarto, debet fide Deum sibi inexsistentem invenire; quia dicit : « Et intima cordis ingrediens, se resolvat in Deum. » Quinto, debet Deum solum et nihil aliud videre aut audire; quia dicit : « Ut nihil nec videat nec sentiat, nisi Deum. » Ecce quis sit homo positus in contemplatione seu oratione quietis; alias circumstantias dicam infra. At quod maxime notandum venit, est quod actus iste non est de infusis, sed acquisitus, labore scilicet proprio electus, licet cum Dei adjutorio, sine quo nihil boni fieri potest; quia ait : « Qui vult cum activa contemplativam habere; » ecce electio propria; proponitur ei via quam eligat. Recolligit se, et sic non recolligitur ab alio. Intrat ad cor suum, resolvit se in Deum, quem intuetur et amat. Ecce quod in omnibus his functionibus homo ille agit, et non agitur, quod esset proprium infusionis.

Est actus acquisitus.

Sancta Theresia, quæ in sæculo præterito fuit magistra

1 Bonav. *Stimul. amor.*, p. II, c. 7.

contemplationis, præter orationem quietis infusam in præcedenti capitulo relatam, videtur assignare aliam quamdam, illa inferiorem, et meo ac omnium videri acquisitam seu acquisibilem labore proprio cum Dei adjutorio, eamque docebat moniales ceterosque fideles. Patienter legat lector quæ ego ex sancta illa magistra patienter exaro.

S. Theresia de acquisita loquitur sic.

Primo comparat spiritualem orantem hortulano, qui aquam e puteo haurit adminiculo rotæ aut tuborum; in quo casu plus haurit, ac minore cum labore, et non oportet continuo laborare, sed aliquantum quiescit; et statim subdit : « Hunc ego hauriendi modum similem esse dico orationi quam quietis vocant, et de illa impræsentiarum agere constitui. Hic ergo anima se recolligere incipit, et hic quiddam supernaturale quodammodo tangit; nam quantumcumque adhibeat diligentiam, nullo tamen modo id sibi ipsa poterit acquirere. Fateor tamen eam, se in rota hac versanda, et per intellectum operando, ut tubos aqua repleret, aliquantum defatigasse videri : at aqua hic altior est; unde etiam minor in ea educenda labor insumitur quam dum ea e profundo puteo haurienda est. Dico aquam viciniorem esse, quod hic gratia se animæ clarius cognoscendam præbeat. Hoc nihil aliud est, quam quædam potentiarum animæ recollectio intra se, ut majori cum gustu hac voluptate et gaudio fruantur. Non tamen propterea hæ aut perduntur aut dormitant, sed sola voluntas occupatur, adeo ut nesciens quomodo captivetur, consensum dumtaxat præstat ut eam Deus captivet [1]. »

Ex metaphora haurientis aquam per rotam colligitur quod sit acquisita.

Ex quo discursu, quamvis sublimi, ex metaphora tamen haurientis aquam per rotam aut tubos applicata orationi quietis, colligitur quod labore et studio proprio, etsi non grandi, fit hæc oratio; ex recollectione potentiarum, habetur quod sic orans ab aliis curis debet esse alienus; ex hoc quod pauco labore ex gratiæ præsentia id facit, colligitur quod auxilium speciale gratiæ concurrat; ex hoc

[1] Ther. *Vita sua*, c. 14.

quod sic orans supernaturale aliquid tangit, et voluntas in eo fruendo occupatur, colligitur quod Deum per fidem intuetur sic orans, et in ejus delectatione quiescit; ex hoc quod dicit potentias non perdi nec dormitare, colligitur quod operantur : intellectus intuendo per fidem cum admiratione, et voluntas cum amore, gaudio ac delectatione fruitur.

S. Theresia ex professo de oratione quietis.

In capitulo vero sequenti ejusdem suæ vitæ, S. Theresia rursus ex professo de ea oratione loquitur, sic : « Quies hæc et recollectio animæ maxime sentitur in satisfactione et pace, quæ ex ea sequitur, cum maxima potentiarum delectatione, quietatione ac suavissima quadam voluptate. Quod autem anima ulterius non ascenderit, nihil ei videtur esse quod ultra desideret, et libenter cum S. Petro peteret ut suum ei hic tabernaculum construere liceret. Non se vel minimum movere aut aliorsum reflectere audet, quod hoc sibi bonum e manibus putet elapsurum et aufugiturum. Imo interdum ne respirare quidem vellet; et nescit misella quod, quum per seipsam bonum hoc ad se trahere prorsus non potuerit, minus multo ipsum diutius quam Domino visum fuerit retinere et conservare poterit[1] ; » et cetera plura.

Ex speciali Dei favore conceditur oratio quietis.

Ex qua doctrina duo colligo ad rem nostram : et quod ex speciali Dei gratia conceditur hæc quietis oratio, et quod hæc, de qua hic Sancta loquitur, non est infusa, sed acquisita; quia in illa homo non advertit quid facit, sed patitur, nec reflectit in se ; in ista vero agnoscit quid facit, reflectit ad quod videt et de quo delectatur, vellet perpetuo in ea stare, nollet eam perdere, non se movet aut respirat ne eam perdat; quæ operationes acquisitæ tantum quieti competunt, et non infusæ.

Multi perveniunt ad orationem quietis.

Eadem Sancta in ejusdem orationis quietis notitiam sic prosequitur suum discursum : « Permultæ sunt animæ quæ ad hunc quidem statum quietis perveniunt, paucæ vero quæ ulterius ascendunt, et nescio quis hic sit in

1 Ther. *Vita sua*, c 15.

culpa. Certissimum quidem est Deo adscribendum non esse ; quum enim hanc Majestas ejus nobis gratiam præstet, quod ad hoc usque punctum pertingimus, non credo fore ut a majoribus et amplioribus nobis dandis cessaret, nisi a nostra ipsi parte per peccata impedimentum objiceremus [1]. » Et post aliqua, ait : « Rogo ut quæ ad hunc statum perveniunt seipsas agnoscant, et per sanctam et humilem quamdam præsumptionem magni æstiment quod ad ollas Ægypti non revertantur [2]. » Ex quibus Sanctæ verbis rursum colligo orationem hanc quietis, de qua hic loquitur, non esse infusam, sed acquisitam : primo, quia dicit : « Permultæ sunt animæ, quæ ad hunc statum perveniunt, et paucæ quæ ulterius ascendunt ; » quum certissimum sit, ut experientia docet, non permultas, sed perpaucissimas animas pervenire ad infusam contemplationem et ad perfectiores gradus ejus, inter quos est quies, quæ, juxta S. Bonaventuræ doctrinam, in ascensu est penultimus seu sextus, nec alius remanet acquirendus, nisi supremus, id est unio : idcirco acquisita quies est. Secundo, quia dicit se nescire cur illæ permultæ animæ, quæ ad statum quietis pervenerunt, ulterius non ascendant, nec esse adscribendum Deo ; ex quo clarum est quietem acquisitam esse, non infusam ; quia hæc totaliter a Deo est, et eam concedit quando vult. Tertio, quia perfecti contemplativi ex Dei favore non sic facile cadunt, ut priventur ascensu superiori, quum jam pollent infusa. Quarto, quia habentes infusam paulo plus ascendere possunt : de acquisita ergo in hoc loco loquitur.

De acquisita evidenter loquitur.

Prosequitur S. Theresia, sic : « Hæc ergo oratio veluti scintillula est, quam Dominus in anima excitare et accendere incipit, veri amoris sui ; et hæc scintillula a Deo veniens, quantumlibet parva, magnum tamen excitat crepitum et fragorem, et nisi nostra culpa exstinguatur, luculentum illum in nobis accendere ignem incipit, qui, ut suo loco ostendam, maximi amoris divini, illius scilicet

Aliud argumentum ex sancta Theresia.

[1] Ther. *Vita sua*, c. 14. — [2] *Ibid.*

quem in animabus perfectis Majestas ejus excitat, flammas a se emittit. Hæc quoque scintilla signum quoddam vel pignus est a Deo animæ huic ad hoc datum quod illam jam ad tam magna et ampla deligat, si ad ea recipienda seipsam disponat[1]. »

Quarta ratio quod de acquisita hic loquitur.

Ecce quarto, evidens argumentum et vere palmarium, quod non de oratione quietis infusa sed acquisita loquatur ; dicit enim esse scintillulam a Deo excitatam, ut incipiat ad amorem suum accendere ; et hoc est proprium incipientium, non perfectorum infusa contemplatione pollentium ; isti enim non scintillulam, sed flammas magnas divini amoris possident. Secundo, dicit esse signum vel pignus quod Deus animam illam ad magna et ampla deligat : igitur incipientium et acquirentium est, non habituatorum et infusa contemplatione donatorum ; quia isti jam pridem fuerunt ad magna et ampla nedum delecti, sed jam ad ea promoti et exaltati. Tandem dicit : Si ad ea se disponit ; id etiam incipientium est, non perfectorum, qui, quum habituati magnis sint, disponi non egent.

Aliud argumentum ex sancta Theresia de actibus animæ in ea quiete.

Videamus modo, quid faciat anima in oratione ista quietis ex S. Theresia. Prosequitur hoc, et diffuse, in eodem capitulo, sic : « Nihil autem animam tempore hujus quietis facere oportet, quam ut suaviter et sine strepitu ullo se teneat[2] » Ecce quod infusa non est, quia in ista anima non reflectit ad se, nec se regit, sed regitur a Deo. Sequitur : « Strepitum autem voco, per intellectum verba et considerationes multas hinc inde indagare, ad Deo pro hujusmodi beneficio gratias agendas, et peccata sua, nec non et imperfectiones velut acervum cumulare, ut se illorum intuitu nihil hujusmodi promereri colligat. Omnia ista hic velut strepitum intellectus quoque repræsentat, memoria servat ; hæ quippe potentiæ non raro defatigant[3]. » En aliud evidens signum quod oratio ista quietis non sit infusa, quia in contemplatione infusa nullus potentiarum strepitus insurgit, quum actus earum circa alia

Evidens signum quod sit acquisita.

[1] Ther. *Vita sua*, c. 15. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.*

suspendantur a Deo, et solus intuitus intellectus videntis et audientis quid Deus loquatur, et actus voluntatis eum amantis, solum permittantur. Si ergo in anima quiete orante possunt potentiæ, ut intellectus et memoria, strepere, acquisita, quæ his perturbationibus subjacet, dicenda est. Sequitur : « Idcirco voluntas hoc ipso tempore leniter et mature sibi persuadeat nihil tunc quoad Deum per violentiam et magnam corporis contentionem obtineri ; hæc quippe sunt velut vasta quædam ligna temere congesta ad scintillam hanc exstinguendam. Ipsa igitur hoc intelligat, et cum humilitate dicat : Domine, quid ego hic facere possum ? Quid ancillæ cum Domino, quid terræ cum cœlo negotii esse queat ? aut alia id genus amorem spirantia verba quæ occurrent ; ita tamen ut voluntas bene fundata sit et sciat verum esse id quod dicit ; et de intellectu non magnopere laboret quod is vexator sit et importunus. Si autem ipsa eum participem facere voluerit ejus quo fruitur, aut eum quietum reddere et recolligere conetur, — sæpe enim homo voluntatem recollectam et quietam esse videbit, intellectum vero inquietum et turbatum, — inconsulta faciet, nec proficiet : satius quippe est ut eum sic dimittat quam post currendo eum insectetur. Voluntas, inquam, hac gratia fruens se in quiete teneat, et instar sapientis apiculæ domi maneat ; nam si nulla omnino apis alveare ingrederetur, vel quo se mutuo in alveare cogerent, omnes avolarent, ægre admodum mel confici posset. Ideo, quum anima multum amissura sit, si hic se prudenter non gerat, præsertim si ingenio acuto sit et subtili ; nam quum argumenta formare et rationes inquirere incipit, quantumlibet parum, si modo eæ bonæ et convenientes sint, aliquid se putabit efficere. Unica autem quæ hic debet formari ratio hæc est, clare scilicet intelligere nullam omnino rationem esse cur tam magnam Deus conferat gratiam quam unicam ipsius bonitatem, ac considerare quod ei adeo prope simus [1]. » Digna

[1] Ther. *Vita sua*, c. 15.

quidem tam sancta ac a Deo edocta documenta. Docet iterum imprimis quid sit hæc quietis oratio, quid in ea fiat; et in omni fere linea adsunt evidentia signa quod non loquitur de infusa, sed de acquisita : nam in quovis actu contemplationis infusæ, ut in suo loco dicetur, anima sic remanet a Deo absorpta et suspensa, ut nec se, nec suas potentias aut actus, aliudve creatum videat, nec discurrat aut reflectat in id quod facit aut patitur; in hac vero de qua loquitur Sancta, hæc omnia adsunt, et præterea collocutiones cum Deo, item et refrenatio voluntatis aliarumque potentiarum, et discursus multiplex, quæ aliena prorsus sunt ab oratione quietis infusa et a ceteris infusis contemplationis gradibus, ut cuique mystico notum est.

Nulla remanet dubitandi ratio quod loquatur de acquisita.

Sequitur Sancta : « Intellectus quoque hic excitatur ad concinnas et bene compositas gratias agendas, sed voluntas est in sua quiete; et ita, cum publicano, nec oculos quidem attollere audet, melius fortasse gratias agit quam intellectus, quocumque demum rhetorico artificio facere posset. Denique mentalis oratio penitus hic omittenda non est, vel nec verba aliqua etiam vocalia, si interdum ea usurpare aut velint aut possint : si enim ipsa quies magna est, vix homo loqui potest, nisi summa cum molestia. Et nunc, ut quidem ego arbitror, sentitur et percipitur quando sit Spiritus Dei vel quando ipsi tale quid procuremus, idque ex initiis devotionis quam Deus dat. Et primo quidem, ut nos ad hanc voluntatis quietem transeamus, dispositi sumus : tunc quippe nullam Spiritus hic edit operationem, sed illico pertransit, magnamque post se ariditatem relinquit. Si vero a diabolo id proveniat, facile meo judicio id anima excitata intelligit, quod magnam inquietudinem, et parum humilitatis, et parvam ad effectus, quos ille qui a Deo est Spiritus producit, habet dispositionem; ad hæc nullam in intellectu lucem, nec in veritate constantiam post se relinquit. Parum et fortasse nihil hic diabolus nocere potest, si quam anima hic sentit delectationem et suavitatem ad Deum referat, suasque in

Aliud ex sancta Theresia argumentum.

Quomodo cognoscitur actio diaboli in oratione.

eo cogitationes et desideria collocet. Nihil ergo hic malignus spiritus lucrari potest ; imo permittit potius Deus, ut per illam quæ in anima causatur suavitatem et delectationem, multum non perdat ; ita enim fiet, ut anima dum sibi a Deo provenire cogitabit, sæpe se ad orandum applicet, idque cum quodam ejus habendi desiderio ; et si anima humilis, non vero curiosa nec delectationum aut consolationum, tametsi spirituales sint, appetens, sed e contra crucis amica sit, gustus quem diabolus subministrat parum curabit : sed si Spiritus Dei sit, id facere non poterit, sed magni eum facere tenebitur. Sed in iis quæ a diabolo veniunt, sicut ipse totus mendax est, ita et animam propter gustus hosce et consolationes se humiliare videat, sæpius ad eam non redibit, videns quantum inde damnum sibi obveniat. Quando Spiritus Dei est, non est quod multa revolvamus et inquiramus quo humilitatem et confusionem quamdam in nobis excitemus ; nam Dominus ipse eam dat modo longe differente ab eo quo nostris nos consideratiunculis eam acquirere possemus ; quæ sane, meræ cujusdam humilitatis, ex luce quadam, quam Dominus hic docet, provenientis respectu, nihil plane sunt ; quæ humilitas tantam confusionem causat, ut homo prope deficiat. Notissimum est, cognitionem, quam Deus in nobis dat ut cognoscamus nihil nos a nobis ipsis bene habere intensum nobis ad in oratione progrediendum, quacumque demum molestia nobis occurrente, desiderium excitare, anima se ad omnia intrepide offerente. Ex ipsa præterea quædam oritur de futura gloria et salvationis securitas, humilitate et metu nixa ; servilem quoque timorem statim ab anima expellit, et filialem ei longe jam majorem, quam ante erat, inserit. Quisquis autem hanc cognitionem habet, quemdam amorem Dei,— qui quæ sua sunt et semetipsum non quærat, — in se oriri incipere sentit ; unde et sæpe solitudinem captat, quo bono hoc diutius et quietius fruatur. Imo tunc temporis non poterit non credere quin Dominus apud se fuerit, quoadusque se relabi et imperfectiones admittere videat ; tunc quippe

Signa quibus noscitur an a Deo sit consolatio.

Multi effectus orationis quietis.

omnia timet. Est et alius effectus hujus orationis quietis in intellectu, qui eo quod huic se vicinum videat, tunc maxima claritate perfunditur, ut etiam ego, quum sim quæ sum, jam tota videar alia; et esto nil pene intelligam eorum quæ latine lego, præsertim e Psalterio, tamen dum in hac quietis oratione sum, non solum quid versus latinus sonaret in lingua materna, sed etiam ulterius progressa sum, sensum illius magna cum voluptate intelligendo [1]. »

Alter effectus in intellectu.

Et hic terminat S. Theresia totum discursum orationis quietis acquisitæ, in quo et naturam et modum eam faciendi ejusque effectus atque omnia quæ in ea accidere possunt non minus clare quam pie declarat, ut parum addi possit ad ejus explicationem.

Parcat lector prolixitatem; res enim alicujus momenti est, nec ab aliis discenda fuit quam a magistra orationis, a Deo maxime illuminata.

Hæc oratio quietis, quam S. Theresia docebat suas moniales et qua ipsamet utebatur, comprobata fuit ut bona a doctissimis et piissimis patribus Didaco Alvarez, dominicano, postea archiepiscopo Tranensi, et Joanne Rada, franciscano observante, postea episcopo Pacensi. Quum enim tempore canonizationis S. Theresiæ multæ censuræ contra ejus scripta opponerentur, duodecima erat contra orationem quietis quasi inutilem, eo quod docuisset animam in ea nihil agere, sed otiosam manere et pati tantum, et omnes potentias tunc esse suspensas, et cetera. Doctores illi de commissione Papæ qualificantes oppositionem ex lectura scriptorum ipsius Sanctæ, decreverunt orationem istam esse bonam, et imposturam esse quod in ea oratione anima nihil agat, quia Sancta docet quod intellectus per fidem tunc Deum intuetur, et voluntas per caritatem Deo fruitur. Tota historia legi potest in *Annalibus Carmelitarum discalceatorum* Romæ impressis [2].

Patres Alvarez et Rada hanc orationem approbarunt.

Neque de illa in se spectata cum suis debitis circumstantiis aliqua potest esse controversia; quia est actus ho-

Est actus contemplationis.

1 Ther. *Vita sua*, c. 15. — 2 *Ann. Carm. discalc.*, lib. 2, c. 44.

nestus veræ religionis et vera contemplatio, tam ratione objecti quam ratione principiorum ad eam concurrentium. Sicut enim quis capax et peritus in contemplatione acquisita, potest contemplari Deum in se, figendo intuitum mentis in ea veritate quod Deus sit, et eum amando ; ita quis præfigens sibi Deum præsentem, potest intuitum mentis in eo figere illumque amare, in illo quiescere, nil aliud tunc nec mente nec imaginatione cogitando. In hoc actu adest objectum principale contemplationis, Deus ibi præsens, adest intuitus fixus in eum, adest saporosa dilectio. Igitur est verus actus contemplationis.

Per eam quis adhæret Deo.

Præterea per hunc nobilem actum homo Deo adhæret strictius quam per alios actus, quam per solam fidem et caritatem ; hæc autem adhærentia maxime optabilis est : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam*[1] ; et ex Apostolo : *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*[2] ; et ex S. Augustino : « Tribus hisce colitur Deus : fide, spe et caritate[3]. » Et hæc interveniunt in hac a nobis descripta oratione quietis ; igitur est vera contemplatio, et verus actus religionis secundum se spectata.

At quia circa modum et abusum orationis illa utentium est difficultas, ideo quæro :

CAPITULUM VII.

QUOMODO, EX PRÆFATORUM PIORUM DICTIS, « ORATIO QUIETIS » FACIENDA SIT UT BONA SIT.

Intentum auctoris est bonum proximi.

Advertо primo, quod in hoc et sequenti capitulo colligitur fructus præfatorum discursuum et aliorum, qui in multis modernorum libellis de hac materia legun-

[1] Psalm. LXXII, 28. — [2] I Cor. VI, 17. — [3] Aug. *Enchir. ad Laur.*, c. 3.

tur ; subtiles quidem et ad disputandum idonei, at non omnium captui ad fructum colligendum accommodati. Ut ergo fructus aliquis colligatur, claris verbis aperiendum est fidelibus, præsertim tironibus, in quo consistat seu quomodo fiat oratio quietis acquisita, quid in ea agatur, an sine ullo potentiarum actu manendum in ea sit, sed exspectandum quod Deus sic oranti loquatur illuminando et inspirando aliquid ; item, a quibus sic orans cavere debeat, et alia plura his connexa ; alioquin, vel fieret sine fructu, vel cum errore aliquo, ut de aliquibus cum dolore accepi. De subjectis, seu personis capacibus illius, dicam in sequenti capitulo.

Quale objectum orationis quietis.

Adverto secundo, quod, ut supra et in præcedenti cum P. Balthasare Alvarez in suo commentariolo *Orationis quietis* notavi, hæc oratio est actus contemplationis uni objecto additus, scilicet præsentiæ Dei ; et plura sortitur nomina juxta plures proprietates seu circumstantias ; dicitur enim oratio quietis, puræ fidei et oratio silentii. Horum nominum etymologias facile assignabimus, quum rem ipsam clare, sine ambagibus ac sophismis, et ab erroribus immunem declaraverimus ; pro quo peragendo,

Quomodo facienda oratio quietis, ut bona sit.

Dico primo : Oratio quietis acquisita, ut bona sit, hoc modo facienda est : Fidelis, invocato Spiritus Sancti adjutorio, prævio conscientiæ examine cum dolore peccatorum etiam venialium, ac proposito non committendi de cetero, et si adsit mortale, prævia confessione illius, et si opportunitas non adsit, prævia vera contritione, meditari poterit aliquod fidei mysterium, vel saltem mysterium immensitatis Dei, et elicere actum fidei quod Deus est ibi et sibimet intrinsece et extrinsece præsens. Deinde debet se intra cor suum, ut dicunt S. Bonaventura et S. Theresia, recolligere, id est, ab opere externo ac ab interna aliarum rerum cogitatione se retrahere, et sistere se Deo, id est, cogitare et credere quod sit coram Deo, eum intimo cordis affectu venerari, mente dicens : *Adoro te, sanctissima Trinitas, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, tres Personæ, unus Deus ; ante majestatem tuam ex gratia tua me sisto,*

Exordium orationis.

Domine ; dignare illabi cordi meo ; adjuva me, ut attente ac digne contempler majestatem tuam mihi præsentem, eamque humiliter venerer ac diligam, sicut oportet.

Aliæ partes orationis quietis.

Dico secundo : Homo sic constitutus ante Dei præsentiam, non debet manere otiosus, id est nihil prorsus agens et quasi dormiens ; sed per intellectum debet fixe et firmiter, intuitu fidei, Deum intueri sibi præsentem, et per voluntatem amare, illi se resignare, cor suum coram eo effundere, optare ut unus spiritus cum eo sit ; nil aliud cupiat amare nisi ipsum, interne dicens : *Domine, ecce me servum tuum, fac de me quod vis ; in te summo Bono quiesco, et nil aliud quæro ; jube quod vis, sed fac quod jubes ;* in quiete ac suavitate horum internorum actuum morari, et in fine gratias agere, et petere saluti suæ necessaria.

Ratio evidens est, quia, ut optime Balthasar Alvarez ait, hæc oratio quietis est actus veræ contemplationis, ideoque est intuitus objecti præsentis oranti cum amore illius ; quia ex his duobus actibus, intuitione et saporosa dilectione, contemplatio constituitur.

Evidens ratio quod in ea homo operari debet.

Secunda ratio est : quia est naturaliter impossibile quod homo vigilans suspendere possit omnem actum intellectus, et inter theologos est acerrima quæstio an dari possit pura omissio voluntatis, id est suspensio omnis actus, etiam per modicum tempus, quomodo posset homo per mediam horam vel quadrantem ex se suspendere omnem actum, nedum inferiorum potentiarum, ut supponitur, sed etiam intellectus, voluntatis? Certe esset necessarium miraculum quo Deus negaret concursum suum illis potentiis ne operentur ; quod non facit neque in contemplatione infusa, in qua abstrahit quidem intellectum et voluntatem ab omni alio objecto, denegans pro eo tempore concursum ad alia, sed detinet eas potentias applicatas ad objectum quod contemplantur intuendo et amando. Igitur suspensio ista actuum intellectus et voluntatis in præfata oratione quietis non est excogitabilis. Et etiam si esset possibilis, foret inutilis ; ad quid enim homo

se constitueret ante Deum, si de eo nec vellet cogitare nec eum amare, neque cum eo mentaliter alloqui, petendo, laudando vel gratias agendo? Meo videri hæc actuum suspensio, si dari posset naturaliter, quod non credo, irreverentia potius esset in Deum quam devotio. Operari ergo debet intellectus intuendo per fidem, et voluntas diligendo per caritatem.

Tertia ratio est : quia hæc oratio quietis, ex generica et specifica ratione orationis, est elevatio mentis ad Deum, alioquin nullum haberet orationis conceptum ; elevatio autem seu ascensio mentis ad Deum fit per actus mentis, id est intellectus ac voluntatis : si ergo actus isti tollantur, nihil de oratione remanet, sed nomine tantum sic diceretur. Ratio a priori

Quarta ratio : oratio quietis infusa, ut ex S. Bonaventura et S. Theresia patuit, actus intellectus videntis et voluntatis amantis includit ; imo dicunt quod in ea remanet voluntas captivata in dilectione et delectatione : ergo multo magis acquisita, qua Deus quæritur ut ametur, et voluntas in eo viso per fidem amando delectetur. A fortiori de infusa.

Quinta ratio : ipsamet S. Theresia, ut patuit, docet quod in hac oratione potentiæ non perduntur, id est earum actus, neque dormitant, sed operantur. Imo ait quod tunc anima, videns se in eo statu quietis, delectatur et gaudet, ita ut nollet eam relinquere, et compellit intellectum ut in ea perseveret : ergo, ne in vanum se coram Deo sistat, operari debet intuendo et diligendo. Ex S. Theresia ratio.

Sexta ratio : actus hic orandi est actus contemplationis vere ac proprie ; at non est major nec magis perfectus quam sit contemplatio Beatorum, qui tamen intuentur clare Deum, illum diligunt, gaudent, delectantur, laudant, gratias agunt, divinæ voluntati se conformant et pro nobis orant : ergo multo minus in hac contemplatione quietis otiose et desidiose standum est, sed in dictis in conclusione actibus et aliis a Deo inspiratis exercendus est orator. A majori de contemplatione Beatorum.

Dico tertio : Homo applicans se actu ad orationem quietis, non debet eo fine et intentione ad eam se applicare A quo debet abstinere orans.

ut, nihil ipse agens per intellectum ac voluntatem, velit exspectare quid sibi loquatur Deus per illuminationem ac inspirationem, vel alio modo ; sed solo fine eum intuendi per fidem et amandi per caritatem.

Non debet exspectare quod sibi loquatur Deus.

Probatur et declaratur : Aliqui putant orationem quietis in hoc consistere, ut differat a ceteris actibus contemplandi, quod quis præfigens sibi Deum præsentem, ante illum se sistat, eoque humillime adorato, nihil cogitet, neque de Deo, nihilque amet, neque ipsum Deum, sed exspectet et speret quod Deus, tunc videns suas miserias et quæ sibi sunt necessaria, eum doceat illuminando, inspirando vel alio modo loquendo aut revelando. Dico hoc nullatenus intendi deberi pro fine orationis quietis.

Ut ait sanctus Thomas, esset tentare Deum.

Pro hoc documento (in hac materia apprime necessaria) firmando, doctrina S. Thomæ maxime apta est : « Exspectare a Deo subsidium in quibus se aliquis potest per propriam actionem juvare, prætermissa propria actione, est insipientis ac Deum tentantis ; hoc enim ad divinam bonitatem pertinet ut rebus provideat, non immediate omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones. Non est igitur exspectandum a Deo ut, omni actione propria qua sibi aliquis subvenire potest prætermissa, Deus ei subveniat ; hoc enim divinæ ordinationi repugnat et bonitati ipsius[1]. »

Videtur præsumptio.

Præterea, meo videri, hæc esset præsumptio quædam quod Deus deberet ei aliquid interne vel externe loqui ; quod cavendum est, quia, ut ait S. Bernardus, non debemus quasi Deum tentando divina præsumere. Magna autem dona et beneficia divina sunt locutiones, revelationes, illustrationes Dei in iis quæ ad salutem non sunt simpliciter necessaria, et propterea ab eo non sunt præsumenda, nec eo animo et intentione debet quis ante Deum se exponere ut ab illo eas exspectando exigat.

S. Theresia.

S. Theresia improbat meditativos et contemplativos qui, dum ariditatem consuetarum illustrationum et consolatio-

[1] *C. Gent.*, c. 135.

num patiuntur, ad alia opera se non applicant, sed vellent ut Deus eas conferret, easque exspectant, dicens : « Bonum est animam in hac ariditate degentem, ignem e cœlo exspectare, qui sacrificium quod illa de seipsa Deo facit, incendat, quemadmodum eum alias S. Pater Elias exspectavit. Minime vero consultum est miracula cœlitus exspectare : faciet illa Deus, quum ei placuerit in rem animæ hujus[1]. » Sic de his orantibus et exspectantibus allocutiones seu illuminationes et inspirationes Dei dicendum est : scilicet, non esse illis bene consultum, sed faciant quod in se est ; per fidem fixe intueantur, diligant et Deo se offerant, ut de eis faciat quod ei placuerit in ejus gloriam vergens.

Si distrahatur quid faciet.

Dico quarto : Sic orans, si ab aliqua extranea cogitatione aliove imaginario motu abstrahatur, non debet, quum advertit, otiosus ac desidiosus manere pro eo tempore quod solebat in oratione insumere ; sed debet iterum et tertio, si opus sit, se remittere ad opus cœptum per alium actum intuitus per fidem et dilectionis. Si difficultatem patiatur, jaculatorie oret Deum ut ipsum adjuvet ; si autem sic vehemens sit distractio seu tentatio, non cedat totaliter, sed meditetur aliquod fidei mysterium ; si non possit, legat in aliquo libro spirituali aut in sacra Scriptura, vel oret vocaliter, psallendo vel Coronam aliasve orationes recitando.

Notabilia documenta.

Probatur et declaratur : Quia casus iste communis est omni orationi mentali meditativæ et contemplativæ, dicunt aliqui, — et perperam, quia sine rationabili fundamento, — quod, si sic orans, ex accidenti aliquo, ut sæpe accidit, distrahitur, non debet iterare actum fidei vel amoris, quia illi primi virtualiter vel saltem habitualiter manent ; sed debet quiescere, et sine ullo alio actu perseverare in eodem situ per tempus consuetum, et pati tribulationem illam.

Virtualis permanentia quomodo declaratur.

Huic dicto contradico omnino ; et prius contra fundamentum, quod prior ille actus fidei maneat virtualiter :

[1] Ther. *Mans.* 6, c. 7.

Exempla virtualitatis.

primo, quia in philosophia et theologia permanentia virtualis soli intentioni seu volitioni conceditur : verbi gratia, si quis longo operi se accingat, vult illud facere, ac incipit facere, et utitur mediis ad illud faciendum ; si distrahatur, et tamen prosequitur in usu mediorum, dicitur virtualiter intendere, quia in usu mediorum residet virtus primæ intentionis : verbi gratia, in recitatione Officii aut Missæ, in longo itinere et ceteris negotiis, si accidat distractio, omnes illæ operationes virtualiter intentæ dicuntur. At hoc non competit ulli alteri actui aliarum potentiarum ; si enim oculus videt, auris audit, tactus tangit, et cetera, cessantibus his actibus, nullus eorum perseverat virtualiter. Sic quum intellectus intelligit vel credit, cessante actu, hic non remanet virtualiter, quia in nullo medio ab illo imperato residet virtus ejus. Igitur sine ullo fundamento asseritur remanentia ista virtualiter primi actus fidei jam per distractionem cessantis, nihil enim imperavit aut fecit in quo virtualiter sit. Si autem intellectus non intueatur per fidem illam primam nec voluntas amet, ambo desides manerent et otiosi, nihil prorsus operantes. Quid sic manenti prodesset otium illud ? Imo multum (ut vereor) noceret, quia expositus proxime esset tentationibus multis ; ideo S. Bernardus hominem spiritualem, imo omnem, sic monet : Fac, ut dæmon semper te inveniat occupatum.

Probatur conclusio ex doctrina Balthasaris Alvarez juxta S. Bernardum.

Probatur modo conclusio ex documentis contemplativorum, præter ea quæ supra allata sunt [1]. P. Balthasar Alvarez, loquens de iis qui contemplationis actum incipiunt, et deseruntur a gratia contemplationis, docet quid facere debeant, sic : « Insuper tempore consuetæ orationis, in quo consueverat donum contemplationis experiri, ne deses, ne otiosus sedeat, sed, communi gratia adjutus, quod est in se faciat. Divina mysteria vitæ et passionis Domini vel divinas perfectiones aut beneficia consideret, et in seipsum reflectat, et sancta proposita concipiat, affectus

[1] Supra, Op. II, c. 13.

virtutum et amoris et gratiarum actionis et laudis, ut supra exposuimus, eliciat ; et illam horam orationi destinatam, sicut quando erat in statu meditantium, utiliter insumat[1]. » Id a S. Bernardo didicerat ; nam S. Bernardus dicit : « Quum vero mentis humanæ acies infirma veri luminis illustrationem diutius sustinere non poterit, ad aliquem trium graduum, per quos ascenderat, leviter et ordinate descendat ; et alternatim, modo in uno, modo in altero, secundum motum liberi arbitrii pro ratione loci et temporis demoretur[2]. » At tres gradus isti, ad quos remittit S. Bernardus, et per quos ascenditur ad contemplationem, sunt illi quos dixerat initio tractatus, scilicet lectio, meditatio et oratio. Qui ergo, vel in oratione quietis vel in alio contemplationis actu, distrahitur per cogitationes extraneas aut tentationes, et deseritur a gratia illa qua in ea detinebatur, non debet otiosus manere et nihil facere aut obstinate deses manere, sed aliquid præfatorum facere debet.

Exemplum Salvatoris in horto.

Recordetur de Christo in horto, in extremo vitæ periculo certo exposito, et Patrem orante ut, si fieri posset, transiret ab illo calix Passionis ; qui, quamvis voluntarie intermittens duplici vice orationem illam, pergens ad tres Apostolos, quum tamen rediit ad locum orationis et procidit in faciem suam, non putavit (ad nostram instructionem) sibi sufficere quod prima vice oraverit et suum desiderium Patri explicite ostenderit, ut deinde otiose coram eo maneret, sed iterum ac tertio et prolixius eumdem sermonem explicavit. Discat orans, quod non sufficit sibi primus ille actus fidei et amoris, si distractus vel gratia sic orandi destitutus vult consuetum tempus in ea oratione terere ; sed debet, si potest, actus replicare, vel legere vel meditari vel vocaliter orare.

Quomodo orans oratione quietis uti debet imaginibus internis.

Dico quinto : Licet orans oratione quietis, in eo actu et pro eo actu non egeat nec uti possit internis imaginibus seu phantasmatibus, tamen et antecedenter et consequen-

[1] Balth. Alvarez, *Opera*, t. III, pars II, c. 12. — [2] *Scal. claustr.* seu *De modo orandi*, c. 11.

ter, imo aliquando etiam concomitanter potest eis uti et ad ea respicere.

Probatur, et per singulas partes declaratur; video enim in hoc puncto, sicut et in aliis actibus contemplationis, magnam fieri quæstionem, quæ tamen sine fundamento mihi videtur, si adhibeatur distinctio quam attuli in capitulo sexto decimo præcedentis opusculi, quód est de medio in quo cognoscuntur contemplationis objecta.

Divinitas non potest per phantasmata repræsentari.

Prima ergo pars probatur: Dei præsentia, quæ est objectum orationis quietis, non potest per imaginem sensibilem seu phantasma repræsentari, sicut nec ipsa Divinitas, vel aliquod prædicatum seu perfectio divina; hæc enim, ut supponimus, etiam in hac vita per species intelligibiləs ac spirituales tantum cognoscuntur: ergo oratio ista, ut ad Dei præsentiam tendit ab eaque movetur et ad eam terminatur, nequit uti sensibili interna imaginatione seu phantasmate. Neque de hoc potest esse quæstio; hoc enim est illud tritum S. Dionysii ad Timotheum et omnium mysticorum documentum: Desere sensus dum divina spectacula sunt intuenda, quia sensus ea percipere non potest.

Quando sunt necessaria phantasmata.

Probatur secunda pars de usu phantasmatum antecedenti; quum enim quis ad orationem istam se applicat, potest, imo debet aliquod mysterium fidei meditari, puta vitæ vel passionis aut mortis Christi; imo et externam aliquam imaginem ejusmodi aliquid repræsentantem studiose adspicere, vel in libro aliquo legere, ut ad devotionem se excitet: hic enim, ut in suo loco diximus ex S. Bernardo [1], est verus ac proprius modus ascendendi ad actum contemplandi, nempe per lectionem, meditationem et orationem; et post hanc homo contemplatur. Non enim video quomodo possit quis ex abrupto, sine aliqua istarum dispositionum prævia et excitatione ad devotionem, statim et immediate præsentiam Dei concipere, eique se sistere, nisi a Deo specialissime ad eam vocatus, admissus et detentus; quod rarissime et in viris perfectis accidere

Dispositiones ad contemplationem.

[1] *Scal. claustr.*, in init.

potest. Regulariter ergo per viam phantasmatum ad contemplationem acquisitam cujuscumque divini objecti acceditur, et sic accedendum est ad orationem quietis.

Ex modo cognoscendi per creaturas ratio.

Secundo, quia ex sensibilibus creaturis exsistentibus in mundo, et præsertim ex exsistentia et replicatione animæ rationalis in toto corpore, potest concipi præsentia Dei in omni re creata et in omni homine per generalem, ut dicunt theologi, illapsum seu immensitatem ; et per hanc cognitionem imaginariam et phantasticam orans transiret ad concipiendum intellectualiter Deum sibi præsentem. Hoc ergo duplici modo possunt oranti in quiete esse necessaria phantasmata et imagines, nedum internæ, sed etiam externæ, quod palam est cuicumque recte ratiocinanti.

Ex consequenti necessaria sunt phantasmata.

Probatur tertia pars de usu imaginum seu phantasmatum consequenti : Postquam orans contemplatus est Deum ut sibi præsentem, eumque affectu est prosecutus, certe gratias Deo aget de beneficiis vel de aliquibus particularibus, et ab eo aliquid postulabit in bonum animæ suæ vel corporis, vel utriusque ; item, ut debet, pro Ecclesia, ejus Capite ac ministris, pro regum ac principum pace, pro hæresum exstirpatione, et cetera : hæc quidem nullatenus exsequi poterit sine phantasmatum adjutorio ; igitur consequenter etiam sunt sic oranti necessaria, ut humane operetur.

Concomitanter etiam necessaria.

Probatur quarta pars de concomitanti usu alicujus phantasmatis : Contemplans Deum sibi intime præsentem, necessario intuetur Deum ut in ipsomet orante exsistentem ; hoc enim est de ratione præsentis alicui, si cognoscitur ut præsens, quod non possit cognosci res præsens sine eo cui sit præsens ; quia *præsens* est quoddam complexum ex re et præsentia : præsentia autem est quid relativum, quod sine termino *ad quem* cognosci non potest ; id enim est de intrinseca ratione relativorum, ut sint cum suis terminis semper simul tempore et cognitione : ergo sic orans, necessario præter Deum, quem directe intuetur, oblique saltem seipsum intuetur ut præsentiæ Dei termi-

num, vel, ut ita dicam, subjectum. Sic suimet phantasmate utitur concomitanter.

Argumentum a pari.

Confirmatur totum hoc a pari : Qui contemplatur aliquod attributum divinum dicens respectum ad extra, ut potentiam, justitiam, misericordiam, et cetera, non potest illud intueri sine respectu ad terminum illius attributi, et tunc phantasmate etiam utitur talis termini, si corporeus sit, et ita directe et principaliter Deum potentem, justum, et cetera, intuetur in specie intelligibili ac spirituali, et terminum corporeum concomitanter, et indirecte et oblique in phantasmate illum repræsentante.

Argumentum ab opposito.

Confirmatur secundo ab opposito : Quum quis contemplatur Deum, vel aliquod prædicatum ejus absolutum, nil aliud respicit extra illud, et intellectus quiescit, quia intuetur objectum sicuti est, sine ordine ad aliud ; at quando contemplatur prædicatum respectivum, intellectus non acquiescit, nisi terminum aliquo modo saltem confuse intueatur : hæc enim ex natura objectorum et cognitionum procedunt. Igitur, si quis intueatur Deum præsentem sibi, seipsum concomitanter intuetur. Et hæc ad abundantiorem notitiam dicta sint, ne quis ita acriter persequatur phantasmata, sine quibus pauca cognoscimus.

Obligatio orantium.

Dico sexto : Vacans orationi quietis, vel alteri mentali, meditativæ aut contemplativæ, vel vocali, non est exemptus ab observantia præceptorum Dei et Ecclesiæ, et contrarium asserere est hæresis.

Concilii Tridentini decreta.

Probatur primo : De fide est, et in Concilio Tridentino definitum, quemlibet Christianum ad ea teneri ; nam sic habet : « Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, et cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, anathema sit[1]. » In alio autem loco qui magis ad rem facit, habetur : « Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum,... anathema sit[2]. »

[1] *Sess.* VI, can. 19. — [2] *Ibid.*, can. 20.

Confirmatur : Hic erat unus ex erroribus Illuminatorum, quartus in ordine, quod scilicet nulli superiori sit obediendum, nec patri, nec prælato, nec marito, quoties præcipiunt aliquid orationem mentalem impediens. Insana autem eorum ratio in primo errore fundata erat, nempe quod oratio mentalis divino jure sic est injuncta quod per eam solam omnia divina et humana præcepta adimpleantur ; imo orationem mentalem esse sacramentum quoddam sub accidentibus, per quod omnia præcepta servantur. Similem dementiam docebant Beguardi, quod nempe posset homo ad talem perfectionis gradum pervenire, ut eximeretur ab observantia præceptorum Dei et Ecclesiæ. Insani sunt ; dimittamus eos. Error Illuminatorum

Dico septimo : Frequentans orationem quietis vel quamlibet alteram mentalem, meditativam vel contemplativam, aut vocalem, non eximitur ab obedientia suorum superiorum prætextu orationis. Sic orans non eximitur ab obedientia superiorum.

Probatur primo de omnibus superioribus in genere ex Apostolo : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [1]. Et ex jure canonico, inferior tenetur obedire superiori [2]. Nullum autem opus bonum, nullaque perfectio supererogatoria, dispensat in lege divina, naturali aut positiva, ut fanatice dicebant hæretici supradicti de oratione mentali.

Secundo in specie de parentibus : Præter præceptum divinum honorandi parentes, habentur plura loca sacræ Scripturæ de obedientia eis præstanda : *Filii, obedite parentibus vestris in Domino ; hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione,* ita ad Ephesios [3]. Imo ex Concilio Gangrensi [4], filii non obedientes parentibus ex superstitione ob Dei cultum, sunt anathema ; non enim, ut supra dixi, ob bonum supererogationis potest quis transgredi divinum Nec parentum.

1 Hebr. XIII, 17.— 2 Cap. *Quæ contra*, 2, dist. 8.— 3 Ephes. VI, 1-2. — 4 Conc. Gangr., can. 16.

præceptum : et ideo fuerunt damnati supradicti hæretici Illuminati, sed verius cæci.

Nec dominorum.

De obedientia servorum ad dominos carnales habentur plura Scripturæ sanctæ loca : *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo* [1]. Idem replicat : *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum* [2]. Ideo propter opus supererogationis, ut est ista oratio, non debet quis præcepti opus omittere aut transgredi, ut præfati docebant hæretici.

Quid dicendum circa conjuges.

De conjugibus vero ejusmodi orationibus vacantibus cum distinctione loquendum est; nam uxor quidem in omnibus licitis obedire debet viro, vir autem solum circa debitum conjugale parere debet uxori ; et propterea prætextu orationis non potest vir uxori non obtemperare quoad conjugale debitum ; uxor vero neque in isto, neque in aliis rationabilibus, prætextu orationis, potest viro non obedire.

Uxor subdita viro.

Probantur singula : Subjectio uxoris ad virum est de jure divino : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* [3] ; et : *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino ; quoniam vir caput est mulieris* [4]. Quum autem lex ista divina sit, non potest mulier prætextu orationis cujuscumque supererogatoriæ se subducere ab obedientia viri.

Mutuo circa conjugale debitum.

De mutua vero subjectione et æquali quoad debitum conjugale, clara est lex Apostoli : *Uxori vir debitum reddat ; similiter autem et uxor viro* [5]. Et rationem assignat, mutuam nempe subjectionem : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* [6]. Itaque vir in

[1] Ephes. VI, 5. — [2] Coloss. III, 22. — [3] Gen. III, 16. — [4] Ephes. V, 22, 23. — [5] I Cor. VII, 3. — [6] *Ibid.*, 4, 5.

hoc tantum subjectus est uxori, ut non possit eam defraudare quoad conjugale debitum prætextu orationis supererogatoriæ, nisi ex consensu uxoris, et ad tempus; uxor vero nedum in hoc est subjecta viro, et non potest eum in eisdem actibus ac juribus defraudare, sed nec in ullo alio, nisi ex consensu illius : non potest ergo prætextu cujuslibet, vel orationis vel alterius supererogatorii operis, se ab obedientia viri eximere.

Orans religiosus circa superiorem.

De religiosis respectu prælatorum suorum vel majorum evidens est ratio quod, prætextu cujusvis orationis alteriusve operis supererogatorii, non possunt se ab eorum obedientia eximere; isti enim ratione voti se illis subdiderunt, et se abnegarunt, suamque voluntatem in manibus superiorum depositarunt. Quum ergo religiosis imponitur aliquod honestum faciendum, sive sit juxta regulæ directionem sive præter eam, dummodo non contra eam, non possunt se ab obedientia subducere prætextu orationis faciendæ. Oppositum de omnibus hisce obedientiis tam religiosorum quam uxorum, servorum et similium subditorum docebant jam dicti damnati hæretici, liberando orantes mentaliter ab omni obedientia, etiam Ecclesiæ; quem errorem, ut in suo loco dixi, ab orco elapsis annis revocarunt pessimi quidam homines; sed damnati sunt.

De omnibus Christianis respectu suorum episcoporum, et de cunctis tam ecclesiasticis quam sæcularibus respectu Papæ, quod scilicet nullius orationis prætextu sint exempti ab eorum jurisdictione et obedientia in rebus et operibus a lege canonica vel divina regulatis, probatur; et

Respectu episcoporum.

Primo de episcopis, nam, ut supra dictum est, S. Paulus ait : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*[1]. Et merito, quia scribitur episcopis : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei*[2]. Theophilus dicit quod, etiam si dyscoli sint, est eis obediendum in iis quæ ad salutem

[1] Hebr. XIII, 17.— [2] Act. XX, 28.

animæ pertinent; ipsi enim sunt Christi legati et patres spirituales fidelium ex *Clementinis* [1]; et hoc docuit Paulus : *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* [2]. Et episcopi tenent locum Apostolorum ex jure canonico [3] et ex Tridentino [4]. Subditi ergo eorum, ratione cujuscumque perfecti operis, nequeunt se ab eorum obedientia subtrahere in spectantibus ad regimen animæ.

Respectu Papæ.

De summo Pontifice, fides docet totum christianum populum in spiritualibus teneri ei obedire; totum enim ei subdidit Christus, inquiens Petro : *Pasce oves meas* [5]. In Petro autem data fuit etiam ejus successoribus potestas, ex Eugenio IV in Concilio Florentino [6] et *Extravagantibus* [7]; imo ex eodem, subesse romano Pontifici est de necessitate salutis : nullus ergo Christianus, quavis perfectione præditus, a subjectione et obedientia romani Pontificis in spiritualibus potest se eximere. Alias innumeras auctoritates pro hoc argumento omitto.

Non spernendi, qui aliter orant.

Dico octavo : Qui ejusmodi vel simili mentali orationi, sive contemplativæ sive meditativæ, vacat, alios ei non vacantes, sed vocali vel alteri devotioni operam dantes, non spernat, sed Deo de collato sibi dono gratias agens ceteros non judicet.

Probatur et declaratur : Salvator ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* [8]. Sic etiam in Ecclesia, ut ait Apostolus, non omnes prophetæ, non omnes apostoli, non omnes doctores, non omnes gratiam curationum habentes, non omnes loquentes linguis; et concludit : *Æmulamini autem charismata meliora* [9]. Et : *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus,... qui operatur omnia in omnibus* [10]. Assignat postea novem gratias gratis datas, quarum unus habet unam, alius aliam, et dicit : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout*

Singuli singulas gratias habent.

[1] Lib. v, tit. 8, cap. *Nec super hæc* 1. — [2] II Cor. v, 20. — [3] Cap. *Quorum vices* 6, dist. 78. — [4] Sess. XXIII, c. 4. — [5] Joann. XXI, 17. — [6] Conc. Flor., const. 17 *Lætentur*. — [7] *Extrav. comm.*, lib. I, cap. *Unam sanctam* 1. — [8] Joann. XIV, 2. — [9] I Cor. XII, 31. — [10] *Ibid.*, 4, 6.

vult[1]. Et iterum : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic*[2]. Et ad Romanos : *Is qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet... Tu quis es, qui judicas alienum servum*[3] ? Hoc est spiritualis hominis proprium, neminem judicare.

Non spernenda vocalis oratio.

De vocali præsertim oratione loquendo, caveat mentali vacans ne eam spernat aut deserat, quum Ecclesia illam commendet eaque utatur, et illa usus sit Christus, atque usi sint Apostoli, ne in hæresim Illuminatorum incidat; illi enim in secundo errore docuerunt orationem vocalem exigui esse momenti. Moderni vero scelestiores docuerunt vocalem respectu mentalis esse ut est furfur respectu farinæ, et palea respectu tritici, et cetera.

Sacræ imagines venerandæ sunt a quovis perfecto.

Dico tandem : Vacans huic orationi vel alteri mentali, meditativæ aut contemplativæ, caveat ne venerationem vel conspectum sacrarum imaginum relinquat aut abjiciat, quia in maximo errore et hæresi versaretur.

Probatur et declaratur : Licet, quando quis in actu contemplationis est, ab omni externo corporali objecto, sive profano sive sacro, ne distrahatur divertere possit, tamen extra actum illum debet ac tenetur sacras imagines revereri ex Concilio Nicæno secundo sicut ceteri Christiani, quum nullo divino privilegio exemptus sit a legibus ecclesiasticis, divinas præsertim declarantibus, ut in casu : hic enim fuit undecimus Illuminatorum, et nonus error modernorum.

His ergo et aliis similibus cautelis servatis, potest homo instructus, orationi quietis omnique mentali et contemplativæ, cum Dei speciali gratia, vacare.

[1] I Cor. XII, 11. — [2] *Ibid.* VII, 7. — [3] Rom. XIV, 3, 4.

CAPITULUM VIII.

QUINAM SINT CAPACES HUJUS ORATIONIS QUIETIS.

Duplex capacitas : naturalis et moralis.

Adverto primo, quod, in quolibet orante vel alia virtutum opera exercente, duplex potest considerari capacitas, una naturalis, alia moralis. Prima consistit in congrua sensuum internorum dispositione, per quam anima sine difficultate potest per sensus operari, apprehendendo, judicando et discurrendo de rebus per sensus cognitis, ut accidit in habentibus perfectum usum rationis, et non obtusis nec impeditis ex imaginativæ seu phantasiæ indispositione. Secunda est moralis, quæ in anima consistit, estque qualitas quædam seu plurium qualitatum complexio ex divina vel ecclesiastica aliave superiorum lege requisita ad aliquod opus faciendum ut oportet, conformiter ad eam legem. De hac duplici capacitate brevibus hic loquemur, quia supra [1] de his capacitatibus multa diximus, quæ ad idem sunt, et sufficeret ea dixisse, nisi de hac oratione esset peculiaris difficultas ; quia multi ex communi hominum vulgarium cœtu se existimant ad eam idoneos.

Adverto secundo, quod, sicut in locis citatis diximus, vel sermo est de hac oratione facienda cum fructu, vel per usum, ut dicitur, et sine fructu, ut a nonnullis fieri audio, qui tempus perdunt et operam, sicut dicitur, Deum tentant [2] ; quia sine præparatione ad Deum in oratione accedunt.

Omnes sanæ mentis sunt naturaliter capaces, si doceantur.

Dico primo, loquendo de capacitate naturali : Omnes homines habentes perfectum usum rationis et non impeditum, qui nec sunt duri et obtusi, et sunt ad alia ne-

[1] Op. I, c. 12 ; II, c. 9 ; III, c. 1. — [2] Eccli. XVIII, 23.

gotia alicujus momenti apti, si instruantur a perito directore, sunt capaces hujus orationis quietis, regulariter loquendo.

Probatur eisdem prorsus mediis quibus in citatis locis probavimus capacitatem meditationis et contemplationis ; nam S. Gregorius nullam hominum conditionem, neque conjugatorum, excludit a contemplatione ; quæ quidem, quum sit actus religionis, omni Christiano instructo debet esse communis. Rationes in iis locis videri possunt, ne easdem sine necessitate replicemus.

Capaces moraliter qui sunt.

Dico secundo, loquendo de capacitate morali : Facturus orationem quietis cum fructu, debet habere conditiones et qualitates quas habere debent ceteri contemplativi, et omnium primo munditiam cordis.

Peccato carere debet orans vel pœnitere ex Scriptura.

Probatur primo : Displicet Deo quod peccator sine pœnitentia ad eum accedat, et de ejus perfectionibus loquatur ; ait enim David : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* [1] ? Quanto magis si velit ei in peccato manens adhærere, et in eo suaviter quiescere ? Multa alia sunt Scripturæ loca quæ deterrent peccatorem ab orando, nisi pœniteat priusquam oret : *Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus* [2]. *Longe est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudiet* [3]. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* [4]. *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula* [5]. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit ; sed si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc exaudit* [6]. *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum ; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo* [7].

S. Bernardus docens modum contemplandi, omnium primo id ponit : « Tergere debet speculum animæ a pec-

1 Psalm. XLIX, 16. — 2 Psalm. LXV, 18. — 3 Prov. XV, 29. — 4 *Ibid.* XXVIII, 9. — 5 Job XI, 14, 15. — 6 Joann. IX, 31. — 7 I Joann. III, 21, 22.

catis operis et cogitationis;... Deus enim, qui munditiæ amator est, cor pollutum habitare non potest[1]. »

Idem docuerunt S. Bonaventura et S. Thomas, ut infra, quia omnis actus contemplationis, — ut est hæc oratio quietis, — dicit S. Thomas[2], procedit a caritate : qui autem est in peccato mortali, ea caret; ergo, nisi pœniteat, capax non est.

Caute intelligendum sanctæ Theresiæ dictum.

Non omittam tamen referre quod P. Joannes a Jesu Maria refert de quadam S. Theresiæ sententia, sed caute intelligenda. Is enim ait : « Ex hoc efficitur divinam contemplationem nisi ex dono Dei supernaturali nemini contingere : tametsi nonnullis in culpa mortali jacentibus, ob infinitæ bonitatis magnitudinem, contemplationem indulgeri beata mater Theresia crediderit[3]. » Quod ego sano modo intelligendum existimo : vel quod intellexerit de peccatore contrito, vel quod per contemplationem velit Deus eum vocare et ad pœnitentiam convertere, vel quod de infructuosa contemplatione loquatur ; sic enim omnes, etiam hæretici, schismatici, ipsique ethnici, contemplari possunt. At de fructuosa et religiosa acquisita contemplatione et quiete intelligi nequit ; peccatum enim cum caritate non manet. Munditia ergo cordis est unum ex requisitis ad capacitatem moralem orantis fructuose.

Alia requisita pro capacitate morali.

Dico tertio : Alia requisita ad capacitatem moralem pro oratione quietis, sunt illa eadem quæ pro vita contemplativa requiruntur, ut remotio a curis sæculi, a propria gloria et mundanorum affectu, et purgatio vitæ cum virtutum moralium usu, juxta proportionem status orantium, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum.

Probatur et declaratur : Utens oratione quietis, in eo actu, ut sæpe diximus, contemplatur Deum sibi præsentem; fieri autem potest ut sit de numero vel incipientium, vel proficientium saltem, vel perfectorum. Certum autem est, quod incipientes non adhuc domarunt sensus

[1] *De inter. domo*, c. 6, al. 13. — [2] 2. 2, q. 180, art. 7. — [3] Joann. a Jesu Maria *Theol. myst.*, tom. II, c. 3.

vel purgarunt se interne et externe ab omni vitio et passione, quia hoc magni temporis opus est; adhuc tamen, ut possint contemplari, aliqua requisita ex his saltem inchoative habere debent. Hæc dicimus requiri in orante oratione quietis, et hæc in hoc loco subnectam ex Sanctis et mysticis theologis.

Incipientes exercere se debent in notatis hic.

Dico ergo quod etiam incipientes vitam contemplativam, ut sint ad contemplandum et quiete orandum apti et moraliter capaces, debent etiam toto conatu incipere se exercere in iis quæ in conclusione hac tertia dicta sunt, et in eo exercitio progredi, quum nemo possit repente fieri summus. Nam S. Bernardus ait : « Qui perfecte vitam contemplativam vult tenere, debet ab omni opere terreno cessare. Unde in Canticis sponsa de se dicit : *Ego dormio, et cor meum vigilat* [1]; ac si aperte mens sancta loqueretur, dicens : Dum jam a mundanis tumultibus exterius dormio, in interiori cogitatione, quæ sunt cœlestia et spiritualia penso [2]. » Et infra : « Quicumque adhuc temporalem gloriam aut carnalem concupiscentiam affectat, a contemplatione prohibetur. Qui prius in vita activa proficit, ad contemplationem bene conscendit [3]. »

Ex sancto Bernardo.

Idem S. Bernardus [4] ait : « Qui vult contemplationi veritatis vacare necesse est ut discat requiescere non solum ab operibus malis, sed etiam a cogitationibus supervacuis. Multi siquidem, etsi sciant vacare corpore, minime tamen valent vacare corde, nescientes facere sabbatum ex sabbato, et ideo non valent implere quod dicitur in psalmo : *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* [5]; » et alia plura, ut dicetur in Opusculo sexto.

Sanctus Bonaventura.

S. Bonaventura ait : « Contemplatio est contuitus divinæ majestatis cum delectatione respectu rationalis; est quies respectu irascibilis; est munditia respectu concupiscibilis. Caritatem Dei et proximi retinet, sed ab exteriori operatione quiescit; soli Conditoris desiderio inhæret et, calcatis

1 Cant. v, 3. — 2 Bern. *De modo bene viv.*, c. 53. — 3 *Ibid.* — 4 *De inter. domo*, c. 41. — 5 Psalm. XLV, 11.

omnibus curis, ad videndum faciem Creatoris inardescit, et desiderat cœli civibus misceri [1]. » Qui ergo in his se exercet capax est contemplationis et orationis quietis.

Requisita a sancto Bonaventura.

Idem S. Bonaventura prolixo discursu, quem referam in citato Opusculo, narrat per extensum omnia requisita in aliquo ut vacet vitæ contemplativæ et sit contemplationis capax, ubi incipit loqui de incipientibus, qui purgatione vitiorum et passionum indigent, inquiens : « Si vis purgari, verte te ad conscientiæ stimulum ; si illuminari, ad intelligentiæ radium ; si perfici, ad sapientiæ igniculum [2]. » Deinde de purgatione ait : « Ad stimulum conscientiæ debet homo exercere seipsum, hoc modo meditando in via purgativa, scilicet ut primo exasperet seipsum, secundo exacuat, tertio dirigat [3]. » Declarat postea diffuse quomodo ista fiant, ut in citato loco dicetur. At omnia consistunt in moderatione passionum concupiscibilis circa omnia mundana, et irascibilis circa omnia displicentia, in omni mortificationum genere ; quum dicat Apostolus : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* [4]. In his ergo et aliis, ut ibi dicetur, exerceri debent qui contemplationi et orationi quietis vacare volunt.

Quænam purgatio facienda.

Consilium notandum pro incipientibus.

At ne fideles turbentur, et diffidant se non posse unquam huic exercitio incumbere, qui se nec purgatos nec spirituales agnoscunt, ideo dixi in conclusione : Juxta proportionem status orantium. Quapropter sciant incipientes quod pro eis sufficit incipere et prosequi purgationem istam affectuum ac passionum, animo in ea perseverandi ; non enim poterit in modico tempore obtineri, neque regulariter Deus subito vocat ad summum, sed paulatim ; ait enim S. Bernardus de his qui vitam contemplativam incipiunt : « Tergere debet speculum animæ a peccatis operis et cogitationis ;... Deus enim, qui munditiæ amator est, cor pollutum habitare non potest. Exterso

Sancti Bernardi ordo incipiendi et prosequendi.

[1] Bonav. *Centiloq.*, p. III, c. 46. — [2] *Id. Incend. amor.*, al. *Parv. bon.*, c. 1. — [3] *Ibid.* — [4] Rom. VIII, 13, 14.

igitur speculo,... incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, et immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex hujus luminis visione animus inflammatus incipit munda cordis acie interna ac superna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere; cunctis suis affectionibus renuntiat, et totus amori Dei incumbit. Sed ad tantam gratiam nunquam pertingit mens per propriam industriam. Donum Dei est hoc, non hominis meritum. Per hoc deserit curam sæculi, et agit curam sui, considerans quid ipse est, quid agit, quantum proficit, quibus tentationibus impugnatur, et quomodo superat; et sic poterit de cognitione sui sublevari ad contemplationem Dei [1]. »

En ergo quæ necessaria sunt, et pro incipiente etiam sufficiunt, ut dicatur et sit capax moraliter contemplationis et orationis quietis, et fructuose eam faciat.

De proficientibus et perfectis nil remanet dicendum; ipsi enim, quum purgationem affectuum ac passionum jam ex toto vel parte perfecerint, et pro reliqua parte incumbant, capacitate morali ad contemplandum et quiete orandum præditi sunt. De proficientibus et perfectis sermo.

E contra vero, qui animam a peccatis operis et cogitationis non tergunt, et occasiones peccandi non vitant, nec a sæcularibus mundanisque negotiis se abstrahunt, — iis tamen exceptis quæ ad vitam et suæ conditionis statum sine peccati periculo fieri possunt, — nec a sensuum voluptatibus se removent, et purgationi passionum non incumbunt, nec contemplationis ullius fructuosæ, nec orationis quietis capaces sunt. Quinam non sunt capaces orationis quietis.

Concludendum ergo est, quod illi qui neque totaliter neque partialiter passiones domuerunt, nec per morales virtutes habitus vitiorum abjecerunt, et a mundanis negotiis se abstinere non possunt, neque inceperunt hæc peragere, neque de his curant aut cogitant, neque hujus orationis neque alterius gradus contemplationis fructuo- Notanda pro hac oratione utentibus.

[1] Bern. *De domo inter.*, c. 6, al. 13.

sæ capaces sunt ; ait enim Apostolus : *Quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial*[1] ? Ita cum proportione, quæ societas spiritui cum carne et mundo? Advertant ergo qui orationi huic vacare putant, ne aerem verberent; inquit enim Cassianus[2] : Frustra ad conspectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat. *Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis*[3].

CAPITULUM IX.

DE NOMINIBUS QUIBUS VOCARI SOLET ORATIO QUIETIS.

Advertо quod, ut supra innuimus, gradus iste contemplationis variis vocabulis appellatur ; nempe dicitur oratio quietis, præsentiæ Dei, puræ fidei, ac silentii ; ideo, ne exotica videantur hæc vocabula, eorum etymologiam et rationem explicabimus.

Cur dicitur quietis speciali modo.

Dicitur primo, oratio quietis seu, ut dicit Ludovicus de Ponte[4], vacationis internæ, non quia anima in ea nihil agat; quia, ut supra diximus, per intellectum, prævio actu fidei, Deum intuetur et per voluntatem actu caritatis diligit, et seipsam Deo offert, ut de ea faciat quod sibi placet; sed ex duplici capite sic dicitur : primo, quia in Deo, — qui erat scopus sui desiderii, — jam invento, cum tranquillitate quiescit et jucundatur; secundo, quia nec potentiæ inferiores aliquid tunc operantur, et intellectus ipse a cogitationibus alienus, ab actibus componendi et dividendi, qui per secundam operationem fiunt, et a discursibus abstinet, non solum circa objecta creata, verum circa ipsum Deum, et solo simplici intuitu fidei, eum sibi

[1] II Cor. VI, 14, 15. — [2] Cass. *Collat.* IX, c. 3. — [3] Sap. I, 5, 4. — [4] *Vita Balth. Alvarez*, c. 14, § 1.

præsentem cognoscit; et voluntas, nil aliud volens aut imperans, in simplici Dei amore captivata manet, et in eo jucundatur. Dici etiam potest oratio quietis ex alio capite : quia nempe et orans quiescit in Deo et Deus in eo, sicut inquit Apostolus : *Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* [1]. Et in Canticis habetur hæc amoris reciprocatio inter animam sponsam Deo caram et Deum sponsum; inquit enim sponsa : *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ* [2]. Et Sponsus ait : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem,... ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* [3]. Et Salvator inquit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [4]. Qui ergo orans, Deo caritate conjungitur, eum diligit, in eo tanquam centro sui appetitus quiescit, et Deus in eo tanquam in suo dilecto.

Cur dicitur præsentiæ Dei.

Dicitur secundo, oratio præsentiæ Dei, ratione proprii objecti, quod est Deus ut præsens oranti; hunc enim sibi præfigit orans, et hunc intuetur sub hac præcisa ratione; et tantum bonum, ut præsens, cognitum et creditum, voluntas diligit; et sicut scientia de Deo dicitur theologia, a Θεος, id est Deus, et visio Dei in patria dicitur beatifica, quia est de objecto beato ac beante, et sic de aliis denominationibus ab objectis provenientibus, ita hæc a proprio objecto talis dicitur.

Cur puræ fidei.

Dicitur tertio, oratio puræ fidei, non quasi sic orans de ceteris virtutum actibus non curet, et sola fides sibi sufficiat, quasi ipsa justificet ac salvet, ut perperam docebant hæretici a Concilio Tridentino jam damnati; sed dicitur puræ fidei ex triplici capite : primo, quia, quum sit contemplatio, hoc singulare habet ut non sit discursiva de una re in aliam, ut est meditatio, sed est simplex actus ad Deum ut præsentem terminatus; secundo, quia intuitus ille non

[1] I Joann. IV, 16. — [2] Cant. III, 4. — [3] *Ibid.*, 5. — [4] Joann. XIV, 23.

est beatificus, sed obscurus, et visio *per speculum in ænigmate,* ut ait Apostolus [1], ad differentiam beatorum *facie ad faciem* videntium, ut ibidem dicit S. Paulus ; ideo qui Deum ut sibi præsentem considerat, fide pura considerat ; et hoc verificatur in oratione quietis acquisita, in qua fide sola Deus conspicitur, in infusa vero per donum intellectus. Tertio, dicitur puræ fidei, quia anima, relictis omnibus objectis sensibilibus et intelligibilibus ratione humana quocumque modo cognitis, sive in oratione infusa sive in acquisita, captivat intellectum in obsequium fidei, qua velut in lucido speculo, obscure quidem, sed firmiter ac fixe credens Deum esse ibi sibi præsentem, intuetur ac diligit,

Ex sancto Dionysio juxta divum Thomam.

ut in aliis contemplationibus contingit, ut ex S. Dionysio habetur, juxta S. Thomæ intellectum ; ait enim : « Tu vero, Timothee carissime, intensissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, et sensus linque et intellectuales operationes et sensibilia et intelligibilia et quæ sunt et quæ non sunt omnia, et ut illi jungaris, qui supra omnem substantiam et supra omnem scientiam est, ignoto pro viribus teipsum intende. Enimvero abs te ipso, atque omnibus libere et absolute ac pure exercendo, ad substantialem divinæ caliginis radium, sublatis omnibus et absolutus ex omnibus, evolabis [2]. »

Ex quibus duo colliguntur : et quod contemplatio, cujus gradus seu species est oratio quietis, ab omnibus aliis rebus sensibilibus et intelligibilibus divertens, solis divinis intendit per puram fidem ; et quod homo, a Deo adjutus, potest sua industria ab his divertere, et Deum per fidem intueri.

Cur oratio silentii.

Dicitur tandem oratio silentii, sicut omnis contemplatio ; et hoc non solum quia orans non loquitur vocaliter, nam omnis mentalis oratio ac meditatio talis est ; neque dicitur silentii quasi anima tunc ab omni actu cujuscumque potentiæ, etiam intellectivæ et volitivæ, sit suspensa ; quia, ut supra diximus, anima cum intellectu per fidem

[1] I Cor. XIII, 12. — [2] Dion. Areop. *Theol. myst.*, c. 1.

Deum præsentem intuetur, et cum voluntate amat; sed quia in eo actu nihil, nec intellectualiter, petit, et cum admiratione pro objecti majestate suspensa illuminationem aliquam a Deo recipiens ac inflammationem, ut ex S. Bernardo in capitulo præcedenti diximus, stupida tunc quasi magistrum docentem audiens ipsa silet ; sed perseverat intueri et amare, quum Deus illuminando et inspirando, quasi ut magister, aliquando doceat ad cor loquendo ; hoc enim modo regulariter Deus ad cor loquitur, quum ei illuminare et inspirare placet aliquid. Quia ergo sæpe Deus sic orantem, et similiter se illi offerentem ac subjicientem illuminat et inflammat, ipseque orans cum stupore et admiratione recipit, silenter se continet; postea vero humillimas agit gratias. Quæ de hoc gradu contemplationis, dicto quietis, dixisse sufficiat, quum ad alia gradum facere opus sit, quæ pro exacta contemplationis acquisitæ notitia existimo necessaria.

Intellectus et voluntas in ea non silent.

OPUSCULUM QUINTUM

DE

CAUSIS, EFFECTIBUS

AC PROPRIETATIBUS

CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ

CAPITULUM PRIMUM.

QUÆNAM POTENTIÆ CONCURRANT AD ACTUM CONTEMPLANDI.

Sensus quæsiti.

ADVERTENDUM primo, quod, quum contemplatio, sive infusa sive acquisita, sit actio vitalis, homo contemplans per potentiam aliquam vitalem debet ad eam concurrere ; ideo quærimus quænam potentia eam vitaliter efficiat.

Adverto secundo, quod aliud est loqui de dispositionibus ad contemplationem vel ad vitam contemplativam requisitis, et aliud loqui de causis seu principiis effectivis ipsius actus contemplandi : de his nunc quærimus.

Adverto tertio, quod aliud est loqui de potentia præparativa ad contemplationem, aliud vero de effectiva : de hac secunda principaliter quærimus.

Potentiæ præparativæ sunt sensus.

Dico primo : Potentiæ præparativæ ad contemplationem acquisitam regulariter sunt sensus, tam externi quam interni.

Probatur facile ex sæpe dictis ex S. Bernardo, in *Scala*

claustralium passim, quod per lectionem, meditationem et orationem fit transitus ad contemplationem : primæ autem functiones fiunt per sensus externos et internos : ergo.

Ex creaturis ascenditur ad contemplationem Dei.

Confirmatur : Sæpenumero ex conspectu horum mirabilium quæ sunt in mundo, et ex eorum consideratione, homo ascendit ad contemplationem Dei primi veri ac summi boni, juxta illud Apostoli : *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas*[1]. Igitur tam sensus externi quam interni concipientes hæc visibilia et materialia creata, sunt potentiæ præparativæ seu dispositivæ ad contemplationem.

Regulariter sic fit.

Dixi regulariter, quia incipientes præsertim, ac proficientes, et aliquando etiam perfecti, sic eliciunt actus contemplationis, legendo scilicet vel audiendo ; vel per imaginationem seu phantasiam aliquando reflectunt ad lecta et audita, et per species illas sensibiles excitantur intelligibiles repræsentantes objecta contemplanda ; hic enim est modus connaturalis nedum recordandi, sed primo intelligendi quæcumque objecta. Imo, ut dicam de contemplatione infusa, existimo quod, dum Deus sine prævia lectione aut meditatione illuminat ac excitat aliquem ad contemplandum ea quæ aliis vicibus contemplatus est vel simpliciter credidit aut cognovit, movet species earum rerum quæ sunt in phantasia, et istæ excitant species intelligibiles contemplabilium quæ sunt in intellectu : et in earum intuitu detinet intellectum fixum ad videndum, et voluntatem ad amandum.

Potentiæ immediate effectivæ contemplationis sunt intellectus et voluntas.

Concludamus ergo, quod potentiæ sensitivæ externæ et internæ regulariter præparant ad contemplationem, sicut præparant ad omnem intellectionem ; et de hoc argumento late locuti sumus in opusculo *De contemplatione*[2], ibi videndum est quod hic deficit.

Dico secundo : Potentiæ propriæ, et immediate effectivæ causæ contemplationis completæ ac fructuosæ, sunt

[1] Rom. I, 20. — [2] Supra, op. III, c. 16.

intellectus intuens objectum contemplabile, et voluntas amans illud ac se delectans in illo.

Probata manet hæc conclusio ex capitulo tertio Opusculi tertii ; in quo evidenter ex SS. Patribus et ex mysticis auctoribus probatum est contemplationem consistere in actu intellectus et voluntatis, quia est intuitus Dei cum saporosa ejus dilectione.

Confirmatur primo, quia contemplatio in patria succedit contemplationi viæ, imo, ut ex S. Gregorio diximus, illa est eadem cum ista, excepto quod illa est evidens, hæc obscura ; et ideo est optima, ut dixit Salvator, quia durat post mortem, ait S. Gregorius. Rationes evidentes.

Confirmatur secundo, quia ad contemplationem saltem perfectorum concurrunt duo dona Spiritus Sancti, scilicet donum intellectus et donum sapientiæ, id est saporis ac suavis gustus : illud se tenet ex potentia intellectiva, hoc ex parte etiam voluntatis. Præterea, si hæc dona non conferuntur incipientibus et proficientibus, tamen ipsis, ut mox dicam, conferuntur illuminationes et inspirationes speciales ; illæ autem se tenent ex parte intellectus, istæ ex parte voluntatis.

Confirmatur tertio : Interdum, ut de effectibus contemplationis dicam, hæc fit cum extasi vel raptu, id est cum alienatione a sensibus placida, ut in extasi, vel cum violentia aut strepitu, ut in raptu ; quando autem homo alienatus a sensibus videt, et vult per alias potentias operari, non potest nisi per intellectum et voluntatem. Argumentum ab extasi.

Probatur tandem a sufficienti : Causæ efficientes contemplationis non possunt esse sensus, nec externi nec interni, ergo intellectus ac voluntas ; aliæ enim cognoscitivæ potentiæ assignari nequeunt. Antecedens probatur : objectum principale contemplationis est Deus, prima veritas et summum bonum ; at nullus sensus, nec internus nec externus, potest Deum sub hac ratione percipere, quia sensus omnes corporalia tantum percipiunt, Deus autem omnesque ejus perfectiones spiritualia entia sunt : ergo. Argumentum a sufficienti enumeratione

Responsio ad tacitam objectionem.

Neque obstant quæ diximus[1], quod omnia creata, mundus, cœlum, elementa et mixta, humanitas Christi, Ecclesia, sacramenta, novissima, et cetera, sunt objecta contemplationis; quæ tamen corporalia sunt et a sensibus perceptibilia, et ab imaginativa seu phantasia etiam indicabilia; et sic ista quoque potentia saltem est principium seu efficiens causa aliquarum contemplationum; non obstat, inquam, quia, ut ibi videre est, diximus hæc omnia esse objecta contemplationis secundum ordinem quem dicunt ad Deum, vel ut efficientem, vel ut sapientem, ut justum, misericordem, immensum, omnipotentem, omniscientem, et cetera, et sic non ea sunt formale objectum ac terminus contemplationis, sed Deus; et propterea in hac prima conclusione dixi quod potentiæ istæ sunt præparativæ contemplationis, non effectivæ.

CAPITULUM II.

AN EX PARTE ANIMÆ AD CONTEMPLATIONEM REQUIRANTUR COMPRINCIPIA, ET QUÆ.

Sensus quæsiti.

Adverto primo, sensum quæsiti hunc esse, an in anima vel ejus potentiis requiratur aliquis habitus supernaturalis, vel aliquid aliud actuale confortans ac juvans potentias ad eliciendum actum contemplationis, et cujus generis ista sint: num de genere ordinariarum gratiarum ac habituum, an de genere extraordinariarum.

Sermo est de fructuosa contemplatione.

Adverto secundo, quod, ut sæpe dixi, sermo esse potest vel de contemplatione infructuosa, quæ esse potest penes etiam gentiles ac hæreticos et pessimos peccatores, vel de fructuosa exsistentium in gratia et per viam perfectionis incedentium. De prima non curo, quia est actus pure

[1] Supra, op. III, c. 13.

philosophicus, quo Dei perfectiones et attributa ipseque Deus consideratur, et forte etiam amatur, sed loquor de secunda, et quæro a quibus comprincipiis potentias adjuvantibus dependeat.

Adverto tertio, quod hic loquor de contemplatione acquisita, non de infusa, de qua loquor in proprio opusculo, de acquisita, inquam, tam incipientium quam proficientium et perfectorum; quia de singulis est diversa difficultas, — ob statuum diversitatem, — in perfectione actuum.

Virtutes theologales concurrunt.

Dico primo : In anima contemplantis omnium primo prærequiruntur, ut comprincipia contemplationis, tres habitus theologales : fides, spes et caritas.

Probatur primo de omnibus : Contemplatio est actus religionis seu cultus Dei ; at Deus, ex S. Augustino, « fide, spe et caritate colitur [1] ; » et in epistola ad Probam ait : « In ipsa fide et spe et caritate continuato desiderio semper oramus [2]. » Hi autem actus in homine fideli a suis habitibus procedunt : ergo orans per contemplationem illis præditus esse debet.

Probatur secundo : Actus contemplationis, ut supra dictum est [3], ex his duobus actibus coalescit : nempe intuitu simplici Dei per fidem, et dilectione ejusdem per caritatem ; cum his autem connexa est spes unionis cum Deo et amoris illius, quia, juxta S. Augustinum, fide speramus in Deum [4] ; nec unquam stare possunt habitus fidei et caritatis sine spe.

Ratio de fide.

Probatur tertio specialiter de fide : Ex epistola ad Hebræos : *Sine fide... impossibile est placere Deo* [5] ; et idem Apostolus enumerat omnes sanctos Patres veteris Testamenti, quorum omnia gesta virtuosa placuerunt Deo per fidem ; et S. Augustinus, discutiens locum istum ad Hebræos, ait quod sine fide non valet opus bonum [6]. Igitur

[1] *Enchir. ad Laur.*, c. 3. — [2] Epist. 130, al. 121, c. 9.— [3] Op. III. — [4] *De spir. et anima*, c. 29.— [5] Hebr. XI, 6.— [6] Cf. *De fide ad Petrum*, al. *De reg. veræ fid.*, prolog.

contemplatio, ut est effectus intellectus fide præditi, estque actus verus fidei quo Deus videtur *per speculum in ænigmate,* ut inquit Apostolus[1], ab habitu fidei est.

Ratio de caritate.

Probatur conclusio de habitu caritatis ex Apostolo, qui nullum cujuscumque virtutis opus existimat bonum si fiat sine caritate ; etiamsi quis Angelorum linguis loqueretur, etiamsi prophetaret, etiamsi omnia mysteria nosset, etiamsi fidem haberet ut montes transferret, etiamsi omnem substantiam suam in pauperes erogaret, etiamsi corpus suum traderet ad comburendum, hæc omnia dicit nihil esse si absque caritate fierent[2] : ergo multo minus actio ista contemplandi, quæ actum dilectionis Dei exigit ut compleatur, fieri poterit nisi dependenter a caritate.

Ratio ex munditia cordis.

Confirmatur, quia, ut ex SS. Bernardo ac Bonaventura diximus de capacibus orationis quietis, et dicemus de dispositionibus requisitis in contemplativo, unum principale est munditia cordis; hæc autem sine habitu caritatis haberi nequit : ergo.

Ex sancto Thoma omnis perfectio ex caritate.

Confirmatur secundo ex singulari S. Thomæ doctrina, qui nedum principium et profectum in contemplatione, sed in via perfectionis caritati tribuit ; et merito quidem, quia *plenitudo legis,* ut ait Apostolus, *est dilectio*[3] ; et *qui diligit proximum legem implevit*[4] ; et secundum Joannem, si hoc fiat sufficit[5]. Ait ergo S. Thomas quod primus effectus caritatis est, ut homo a peccatis præteritis discedat et futura præcaveat ; et hic effectus dicitur caritas incipiens. Secundus effectus est, ut, fiduciam de peccatorum liberatione habens, se extendat ad bonum adipiscendum ; et hæc est caritas proficiens. Tertius effectus est, ut homo ad bona quasi connutritus quodammodo sibi naturalia habeat ipsa, et in eis quiescat et delectetur ; et hoc ad perfectam caritatem pertinet. Status autem medius duo habet : unum, secundum quod comparatur ad primum statum, quia roboratur contra mala, de quibus caritas in-

Notabilia caritatis privilegia.

[1] I Cor. XIII, 12. — [2] *Ibid.*, 1-3. — [3] Rom. XIII, 10. — [4] *Ibid.*, 8. — [5] I Joann. III.

cipiens sollicita est ; aliud quod nutritur, secundum quod tendit ad statum tertium, ad semper magis ac magis bona quasi sibi comparanda. Similiter etiam perfecta caritas duos habet gradus : unus est, secundum quod in bonis communibus quasi jam secura conquiescit, et secundum hoc dicitur perfecta ; alius, secundum quod ad quælibet difficilia manum mittit, et secundum hoc dicitur perfectissima, vel perfectissima quantum ad statum viæ, et perfecta in ordine ad statum patriæ [1]. Et iterum ait : « Vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet caritas; et licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, inquantum aliquis ex caritate ad Dei contemplationem incitatur [2]. » Hæc ex S. Thoma ; ex quibus evidenter demonstratur, quod ad quemlibet actum contemplandi, sive incipientium ac proficientium, sive perfectorum, concurrit habitus caritatis, et actualis caritas ab illo procedens, quæ modo est incipiens, modo perficiens, modo perfecta juxta contemplantium statum.

Ratio de spe.

De spe etiam probatur : Homo siquidem sive contemplationi, sive alteri perfectionis operi se applicans ob desiderium et spem unionis cum Deo, in via quidem temporaliter et in patria æternaliter hoc facit ; nam Apostolus ad Romanos ait : *Spe enim salvi facti sumus* [3]; et ad Hebræos : *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis* [4], et cetera. Ut ostendat quod homo omnia sua bona opera propter Dei gratiam ac misericordiam, et tandem æternam vitam obtinendam operatur, utitur exemplo agricolæ, sic : *Nam propter nos scripta sunt : quoniam debet in spe, qui arat, arare ; et qui triturat, in spe fructus percipiendi* [5]. Et ad Hebræos : *Est autem fides sperandarum substantia rerum* [6] ; ideo qui per fidem operatur, cum spe supernatura-

Propter vitæ æternæ spem homo operatur.

[1] Thom. 2. 2, q. 24, art. 9. — [2] *Id.* 2. 2, q. 180, art. 7. — [3] Rom. VIII, 24. — [4] Hebr. VI, 18-19. — [5] I Cor. IX, 10. — [6] Hebr. XI, 1.

lium bonorum operatur, et sic homo, sive deditus sit vitæ activæ sive contemplativæ, omnia opera facit cum spe, vel actuali vel saltem virtuali, æternæ vitæ : omnes ergo virtutes theologicæ in contemplativo requisitæ ad actus contemplationis influunt.

Auxilium Dei speciale concurrit.

Dico secundo : Ad eliciendum actum contemplationis acquisitæ requiritur auxilium Dei supernaturale, speciale et extraordinarium.

De auxilio supernaturali non est dubium.

Probatur et declaratur : De necessitate auxilii supernaturalis non est dubium, quia Salvator ait : *Sine me nihil potestis facere*[1] ; et Apostolus : *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum ; non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est*[2] ; et alibi : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate*[3]. Et multa adsunt decreta conciliorum et summorum Pontificum de necessitate divini auxilii seu gratiæ ad opera bona ac sancta elicienda[4].

Sed dubium est de speciali auxilio, et non communi, sed extraordinario ; mystici enim theologi tale auxilium existimant necessarium ad contemplationis actus exercendos. Prima ratio communis est : quia quo magis opus est difficile ac perfectum, eo majus et specialius requiritur auxilium ; secunda ex ipsorum dictis sumitur.

Richardus de S. Victore de acquisita contemplatione dicit plura. Primo : « Aliquando ex sola gratia, aliquando ex adjuncta industria, proficimus[5]. » Et post aliqua : « Sed quod de industriæ operatione dicimus non sic accipi volumus quasi sine gratiæ cooperatione aliquid omnino possimus, quum quælibet industria nostra non sit nisi ex gratia. Sed aliud est contemplationis gratiam divinitus percipere, atque aliud est ejusmodi donum, Dei quidem

[1] Joann. xv, 5. — [2] II Cor. III, 4, 5. — [3] Philipp. II, 13. — [4] Innoc. I, *Epist.* 24, 25; Cœlest. I, *Epist.* 1; Conc. Milevit., can. 5; Afric., can. 8; Araus.; Trid., sess. VI, c. 10. — [5] Rich. de S. Vict. *De grat. contempl.* seu *Benj. Maj.*, l. V, c. 1.

cooperatione, proprio exercitio comparare[1]. » Ubi nota, quod gratiam hanc requisitam in contemplatione cum industria et labore nostro, vocat donum Dei ; et sic speciale quoddam est non commune omnibus operibus bonis auxilium.

Ratio quia est opus difficile.

Probari potest ex dictis in Opusculo tertio[2], ubi de contemplatione acquisita ex S. Bernardo diximus esse ex gratia et dono Dei : ita in libro *De octo punctis*[3] ; ex S. Bonaventura, *De luminaribus Ecclesiæ*[4], *De septem itineribus æternitatis*[5] ; ex S. Thoma[6], qui docet contemplationi vacare esse magnum sacrificium Deo offerre, et esse expressum signum caritatis in Christum ; et secundum Dionysium Cartusianum[7], contemplationi acquisitæ, Dei favore regulatæ, in animabus purgatis succedit infusa.

Requirit frenum passionum.

Confirmatur : Contemplatio fructuosa requirit refrenationem passionum animæ et vitiorum remotionem, ut de requisitis ad vitam contemplativam in proprio opusculo dicetur; ideoque contemplatio est difficilis, et pauci vitam contemplativam amplectuntur : ergo requirit majus et specialius auxilium divinum quam cetera pia opera minus difficilia.

S. Bernardus, docens incipientes quomodo incipere debent contemplari, dicit : « Tergere debet speculum animæ a peccatis non solum actionum, verum etiam cogitationum ;... Deus enim, qui munditiæ amator est, cor pollutum habitare non potest[8]. » Concedamus quod hoc totum fiat per communem gratiam, quod non admitto ; at sequitur S. Bernardus : « Exterso igitur speculo,... incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, et immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex hujus luminis visione animus inflammatus incipit

1 Rich. de S. Vict. *De grat. contempl.* seu *Benj. Maj.*, l. v, c. 1. — 2 Cap. 10. — 3 Puncto 1. — 4 Serm. 2. — 5 It. 3, dist. 4, art. 3, 4. — 6 2. 2, q. 180, art. 2, ad 1 et 3. — 7 *De fonte lucis*, c. 8.— 8 Bern. *De inter. domo*, c. 6, al. 13, 14.

munda cordis acie interna et superna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere ; cunctis suis affectionibus renuntiat, et totus amori Dei incumbit. Sed ad tantam gratiam nunquam pertingit mens per propriam industriam. Donum Dei est hoc, non hominis meritum. Per hoc deserit curam sæculi, et agit curam sui, considerans quid ipse est, quid agit, quantum proficit, quibus tentationibus impugnatur et quomodo superat; et sic poterit de cognitione sui sublevari ad contemplationem Dei [1]. » Hoc autem lumen, hoc adjutorium, hæc gratia, non sunt de communibus, ut manifestum est, quia pauci ea obtinent.

Quia est donum perfectum.

Confirmatur ex generali principio epistolæ Jacobi : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* [2]*;* at contemplatio ex Christi oraculo est optima res : ergo ad eam concurrit Deus per donum perfectum et datum optimum ; ideoque supernaturale auxilium ad eam influens non est de communibus.

Duo dona Spiritus Sancti concurrunt.

Dico secundo : Cum anima perfecte contemplante concurrunt duo dona Spiritus Sancti, scilicet donum intellectus ex parte potentiæ intellectivæ, et donum sapientiæ ex parte volitivæ, modo cum majori, modo cum minori illustratione ac inflammatione, juxta Dei providentiam et statum contemplantium.

Quid sit donum intellectus.

Probatur et declaratur, supponendo prius quid sint, et quid faciant ista dona : Donum intellectus est qualitas quædam supernaturalis intellectui a Deo infusa, per quam intellectus illustratur ad clarius et distinctius cognoscendum objecta fidei. Ita S. Bonaventura in tractatu *De donis Spiritus Sancti* inquiens : « Planum est quod necesse fuit ut Spiritus Sanctus intellectui humano superadderet aliquod lumen supernaturale, quo velamina dictarum veritatum penetraret, et veritates absconditas apprehenderet, et eas sic nobis manifestaret. Quod utique Spiritus Sanctus facit dum nobis donum intelle-

[1] Bern. *loc. cit.* — [2] Jac. 1, 17.

ctus inspirat[1]. » Donum sapientiæ est qualitas supernaturalis infusa voluntati, quæ saporem et gustum in ea causat de re credita et cognita per donum intellectus ; quia sapientia, ut hic sumitur, juxta Lyranum, a sapore nomen habet, quia facit sapere et gustare de rebus cognitis ; ideo dicitur : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus*[2]. In tractatu *De luminaribus Ecclesiæ*[3], S. Bonaventura ait : « Intellectus est clavis contemplationum cœlestium, ille triformis intellectus est proprie donum Spiritus Sancti : igitur ab intellectu inchoemus, ut ad sapientiam veniamus ; is enim est ordo. » In Ecclesiastico legimus : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum*[4]. Alexander Alensis ait : « Sapientia secundum nomen suum est cognitio cum sapore, et sic est donum Spiritus Sancti[5]. » S. Bonaventura[6] dicit : « Donum sapientiæ est quidam internus sapor ac suavissimus gustus ; unde Psalmista : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus*[7]. » His ergo suppositis, quoniam, ut infra dicetur, in contemplatione hæc duo ex Dei favore sæpe obtinentur, nempe cognitio rei revelatæ clarior quam habebatur per actum fidei, et sentitur gustus et dulcis sapor de eadem re, isti effectus proveniunt a propriis causis quæ sunt dona intellectus et sapientiæ ; ideoque ad eos causandos ista duo dona concurrunt.

Tales effectus modo majores, modo minores sunt.

Dixi : Modo cum majori, modo cum minori illustratione ac inflammatione, juxta Dei providentiam et statum contemplantium ; ex hoc enim duplici capite oritur hæc diversitas. Nam, quum sint Dei dona, ea distribuit sicut secundum altissimæ ac infinitæ suæ sapientiæ incomprehensibile judicium existimat conferre, modo plus, modo minus. Potest etiam hæc diversitas oriri, non quidem effective, sed motive, ex diversitate statuum contemplantium ; nam regulariter Deus majora dona confert magis exercitatis et

1 Bonav. *De sept. donis,* de dono intell., c. 3. — 2 Ps. xxxiii, 9. — 3 Al. *Hexaëm.*, serm. 3. — 4 Eccli. xv, 3. — 5 Alex. Alens. Pars 1, q. 73, art. 2, membr. 3. — 6 *De sept. donis,* de dono sap., c. 8. — 7 Ps. xxxiii, 9.

perfectis quam minus exercitatis, proficientibus vel incipientibus, ut ipsimet contemplativi experiuntur atque testantur ; quamvis aliquando, ex sua benignitate, Deus conferat etiam incipientibus dona quædam quæ proficientibus et perfectis regulariter confert, ad alliciendum eos in sancto hoc exercitio, ut infra dicam de effectibus contemplationis, quæ dona postea in eorum humiliationem ac patientiæ meritum subtrahit.

CAPITULUM III.

DE PROPRIETATIBUS CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ.

Sensus quæsiti.

ADVERTO primo, quod hic loquimur de quibusdam qualitatibus quæ actui contemplationis insunt, non vero de vita contemplativa, de qua supra in proprio loco Opusculi quarti locuti sumus, et hac occasione rursum obiter tangemus in primo loco naturam præstantissimi istius actus, ut lector sine vagatione recordetur cuinam actioni competant quæ dicentur.

Quid sit intrinsece contemplatio.

Dico ergo primo : Actui contemplandi, ut ab actu credendi, quem supponit, distinguitur, intrinsece competit esse intuitum simplicem, firmum et fixum, cum saporosa delectatione, circa divinum aliquod verum revelatum.

Differentia ejus ab actu fidei.

Probatur et declaratur hæc conclusio ex Opusculi tertii capitulis secundo et tertio, in quibus ex SS. Ecclesiæ doctoribus Thoma ac Bonaventura contemplatio definita est, quod sit firmus et fixus ac simplex intuitus primæ Veritatis. Dico modo quod, quum omnis actus contemplationis semper supponat actualem aut virtualem assensum fidei circa verum divinum revelatum, differt ab actu fidei, quia hic est assensus quo intellectus compositive operatur, dicendo : Sic est, quia Deus revelavit. Actus vero contemplandi est alius actus, quo intellectus, post

assensum illum, figit aciem suam, simplici intuitu firmiter intuendo verum illud jam creditum, sequente ad talem intuitum saporosa dilectione voluntatis. Verbi gratia, credit quis Deum esse unum in essentia et trinum in personis, si nihil aliud facit, jam elicuit actum fidei; si vero vult verum hujusmodi contemplari, sistere debet in consideratione illius veritatis non componendo nec discurrendo circa eam, sed intuendo illam simplici actu, licet obscure ac per speculum, et cum gustu seu sapore illam amando. Ideo dicitur in psalmo : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* [1]. Quod si verum hoc appareret evidenter, ut apparet Beatis in patria, ille intuitus simplex ac firmus esset visio evidens ac facialis, ut inquit Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate ; tunc autem facie ad faciem* [2]. Et hinc est quod, ut in suo loco diximus ex S. Gregorio [3], contemplativa vita est perfectior activa, quia hæc in morte deficit, illa perseverat; sed cum hac differentia, quod nunc est cum simplici quidem ac firmo intuitu, sed obscuro et ænigmatico, in patria vero evidenti et clarissimo.

Tria adsunt in contemplatione : stupor, timor et amor.

Dico secundo : In omni vera contemplatione primo hæc tria adsunt : stupor, timor et amor; deinde alia similia.

Probatur ex Gilberto Abbate, prosequente opera S. Bernardi, dicente : « Visio comprehendit, timor comprimit, suspendit stupor, rapit et unit accessio. Animum timor humiliat, stupor quasi infatuat, amor conglutinat. Cassa visio est, nec contemplationis digna vocabulo, quæ talibus non est vestita affectibus. An illum videre definies, qui de mysterii cognitione non timet, nec stupet, nec ardet? Timore sobrius fit animus, stupore absorptus, accessu consertus et associatus. Hujusmodi virtutibus contemplationis gratia constat, sed stupore magis et amore ; nam stupore et admiratione mens excedit, amore accedit [4]. » Timorem existimo reverentialem. Ex S. Thoma tres sunt condi-

[1] Ps. XXXIII, 9. — [2] I Cor. XIII, 12. — [3] *In Ezech.* hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [4] Gilb. Abb. *Serm.* 20.

tiones bonæ contemplationis : reverentia casta, firmitas indeclinabilis et amor [1]. Ex S. Bonaventura hæ aliæ sunt contemplationis proprietates : « Quia, ex Richardo, contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa [2]. » Dicit sanctus Doctor : « Spiritus contemplativus debet esse sine peccato, quia qui peccat servus est peccati, et vinculis ejus ligatur, ne sursum feratur. Debet etiam esse liber a desiderio et cura temporalium;... debet esse perspicax, id est gratia sanatus, quia oculus contemplantis videre debet quæ supra sunt; et remote ab imaginibus respicit lumen, figit oculos; et hac de causa Sponsus dicit : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* [3]. Tertio, esse debet directus in spectacula divinæ sapientiæ, et sic non est actus intellectus præcise, sed includit saporosam dilectionem,... quia spectacula sapientiæ sunt cognitio veri et amor sive sapor boni. Imo dilectio adjuvat cognitionem, et juxta mensuram dilectionis dispensatur mensura manifestationis. Actus igitur contemplationis duo includit : cognitionem et saporosam dilectionem. Quartum quod est in contemplatione est mentalis suspensio ex admiratione causata. Ex novitate rei, quæ est supra spem et nostram æstimationem, oritur admiratio; ex admiratione autem crescit attentio, ex attentione cognitio, et ex his mentis suspensio, dum humana intelligentia divino lumine irradiata intelligibilium contemplatione suspenditur, dum in eorum admiratione ad modum auroræ distenditur [4]. »

Multæ proprietates contemplationis.

In *Centiloquio* idem S. Bonaventura dicit : « Prima proprietas contemplationis est intuitus pulchritudinis divinæ majestatis cum delectatione respectu rationalis, secunda est quies cum securitate respectu irascibilis, tertia est munditia cordis cum bonitate respectu concupiscibilis.

[1] Thom. 2. 2, q. 180, 7, juxta *Tab. aur.* — [2] Rich. de S. Vict. *De arca myst.*, lib. I, c. 4. — [3] Cant. IV, 9. — [4] *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 2.

Caritatem Dei et proximi retinet, sed ab exteriori operatione quiescit, soli Conditoris desiderio inhæret, et, calcatis omnibus curis, ad videndum faciem Creatoris inardescit, et desiderat supernis civibus misceri [1]. »

Ex S. Gregorio alia proprietas contemplationis est diuturnitas, quia, inquit, « contemplativa (vita) hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur ; quia amoris ignis qui hic ardere inchoat, quum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescet [2]. »

Quid sit delectatio.

Ex communi sententia et contemplantium experientia, alia proprietas, seu verius effectus omnis contemplationis est delectatio, quæ ex intuitione et amore summi veri et summe amabilis boni, quo fruitur contemplans, oritur : quæ excedit omnem corporalem delectationem ; quum enim, ex Cicerone, delectatio aliud non sit quam voluptas quæ ex suavitate objecti proportionati appetitui oritur, et Deus, per fidem in via cognitus et dilectus, sit objectum nobilissimum et proportionatum naturæ humanæ elevatæ ad ejus fruitionem ; dum actu per fidem videtur et amatur, magnam in vidente et amante efficit delectationem.

Ex B. Alberto Magno habetur hanc esse magnam contemplationis perfectionem per quam a philosophorum contemplatione secernitur, quia illa sistit in intellectu, et ideo finis illorum est sola cognitio contemplantis ; at contemplatio fidelium non sistit in intellectu, sed est propter amorem Dei contemplati, quia intuitus ille contemplantis transit in amorem contemplati : unde Sancti in contemplatione sua habent amorem Dei tanquam principaliter intentum. Hæc B. Albertus [3].

Et S. Thomas ait : « Vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet caritas... Et licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum aliquis ex caritate ad Dei contemplationem incitatur [4]. » Magna ergo contempla-

[1] Bonav. *Centiloq.*, c. 46. — [2] Greg. Mag. *In Ezech.* hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [3] Lib. *De adhærendo Deo.* — [4] Thom. 2. 2, q. 180, art. 7, ad 1.

tionis perfectio est, quod ex caritate Dei excitetur, et in caritate Dei terminetur et compleatur.

Est illuminativa via.

Aliæ multæ sunt proprietates et perfectiones contemplationis seu contemplativæ vitæ, quia hæc est via illuminativa per quam pergitur ad unitivam seu ad perfectionem. Omnes siquidem doctores mystici cum S. Bonaventura [1] unanimiter docent tres esse vias seu gradus per quos pervenitur ad perfectionem magnam, quæ haberi potest in hac vita : nempe purgativam, illuminativam et unitivam. De purgativa, quæ est fundamentalis dispositio ad alias duas, agemus in Opusculo sequenti. Contemplativa autem, tam acquisita quam infusa, — de qua in Opusculo septimo,— ad quam disponit illa, dicitur illuminativa via ; per eam enim homo illuminatur ad melius cognoscendum Deum, ejus essentiam, perfectiones et attributa, potentiam, justitiam, bonitatem, misericordiam, et omnia ab eo creata, quæ sunt contemplationis objecta ; per eam disponitur homo ad contemplationem infusam, quæ est magnum Dei donum ;—hæc enim est mystica, id est secreta theologia seu Dei cognitio, qua Deus magis clare ac lucide cognoscitur, se et sua revelans prout vult, licet semper obscure ; — per eam tandem disponitur homo ad perfectissimam unionem, quæ potest cum Deo haberi in hac vita, de qua in Opusculo octavo. Præclaræ igitur et amabiles sunt contemplativæ vitæ proprietates.

Disponit ad infusam contemplationem

Disponit ad perfectam unionem cum Deo.

CAPITULUM IV.

DE EFFECTIBUS CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ.

Diversi status contemplantium.

Advertо primo, quod, sicut in omni virtute ac professione dantur diversi status, incipientium, proficientium et perfectorum, ita in virtute ac professione

[1] Tract. *Incend. amor., Theol. myst.*

religionis ac devotionis acquisitæ. Et sicut aliæ virtutes ac professiones habent suos effectus, et numerari solent qui sint, — licet non semper, nec statim, nec secundum omnem gradum perfectionis reperiantur in omnibus, sed tantum in aliquibus,— ita pariformiter dicendum de effectibus contemplationis, quod, licet multi sint, non propterea in omni contemplante, nec statim, nec omnes, nec in eodem gradu omnes de illis participant.

Effectus contemplationis.

Dico ergo : Absque controversia effectus contemplationis sunt sequentes.

Primus, tranquillitas.

Primus effectus est animæ tranquillitas ; nam quum pervenerit ad suum terminum, quem potest in hac vita acquirere, in eo quiescit ; totus enim vitæ hujus cursus eo tendit ut Dei perfecta cognitio perfectusque amor obtineatur. Ideo sponsa ait : *Quæram quem diligit anima mea ;* et postquam *per vicos et plateas,* id est per multos labores, invenit Sponsum Dominum, ait : *Tenui eum, nec dimittam* [1]. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* [2]. Tranquillitate magna tunc fruitur contemplativus, quia cum Deo manet ; *Deus* autem *caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo,* inquit Joannes [3] ; et Salvator sic promisit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [4]. Quid autem tranquillius quam cum Deo manere, eum diligere, et cum eo confidenter alloqui.

Secundus, contemptus temporalium.

Secundus effectus est contemptus rerum temporalium et desiderium æternorum ; dum enim anima spiritualibus bonis frequenter fruitur, aversa fit a temporalibus ; ideo S. Gregorius de contemplatione dicit : « Contemplativa vita est caritatem quidem Dei et proximi retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nil jam agere libeat, sed, calcatis curis omnibus, ad videndum faciem sui Creatoris animus inardescat ; ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore por-

[1] Cant. III, 2, 4.— [2] *Ibid.* I, 12.— [3] I Joann. IV, 16.— [4] Joann. XIV, 23.

tare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere [1]. » Ad hæc anhelat contemplativus, et terrena despicit.

Tertius, tolerantia laborum.

Tertius effectus contemplationis est tolerantia laborum et afflictionum hujus vitæ ; credit enim brevi transitura, et cogitat cum Apostolo, *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* [2] ; et cum Salvatore, quod *arcta via est quæ ducit ad vitam* [3], et oportet per aspera ad patriam duci.

Quartus, libertas spiritus

Quartus contemplationis effectus est libertas spiritus, et superioritas ejus ad omnia mundana et caduca ; et per eam omnia mala quæ accidunt despiciuntur ; qui enim in hac virtute perfecti sunt, possunt cum S. Ignatio martyre dicere : « Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, ossium confractio membrorumque divisio, et totius corporis contritio, et omnia tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar [4]. » Hæc constantia in contemplativis perfectis adest ; ideo eorum multi, martyrium quoque ardenti desiderio cupientes subire, ad loca tyrannorum fidem persequentium se contulere, licet postea aliud de illis judicaverit Deus, ut patet de SS. Francisco, Antonio Patavino, Theresia et aliis contemplativis, mundana omnia omniaque mala ex spiritus libertate ac superioritate despicientibus et nihili facientibus.

Quintus, colligatio animæ cum Deo.

Quintus contemplationis effectus est colligare animam cum Deo ; non quidem ut eam reddat impeccabilem, — semper enim est viatrix et potens labi ; unde Apostolus ait : *Qui se existimat stare, videat ne cadat* [5] ; et ex Concilio Viennensi ac Clementinis [6], homo in hac vita per quamcumque virtutem ac perfectionem acquirere non potest impeccabilitatem, ut falso asserebant Beguardi, et novis-

[1] Greg. Mag. *In Ezech.* hom. 14, al. lib. 2, hom. 2.— [2] Rom. VIII, 18.— [3] Matth. VII, 14.— [4] *Act. martyr.*— [5] I Cor. X, 12.— [6] *De hær.*, c. ult.

sime renovare intendebant quidam de oratione mentali, quod reddere posset impeccabiles, — sed dicimus quod perfecti contemplativi colligantur cum Deo eo modo quo potest homo admitti inter amicos Dei, ut ita facile non labantur in mortali ; quia, ut supra dictum est, manent in Deo per caritatem et Deus in eis ; et Salvator promisit : *Mansionem apud eum faciemus* [1].

Sextus effectus contemplationis multiplex est ex S. Bernardo in libro *Meditationum piissimarum,* sic : « Nihil in hac vita dulcius sentitur, nil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat et adjuvat ad omne opus bonum et ad omnem laborem, quam gratia contemplationis [2]. »

Sextus multiplex est ex sancto Bernardo.

Et in libro *De interiori domo,* dicit cum S. Gregorio : « Veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura jugi perpetuitate celebratur. Per veritatis contemplationem eruditur homo ad justitiam, consummatur ad gloriam. Gratia contemplationis cor ab omni mundano amore non solum emendat, sed sanctificat, et animum ad cœlestium amorem inflammat. Qui divina inspiratione et revelatione ad contemplationis gratiam promovetur, quasdam arrhas futuræ illius plenitudinis accipit, ubi sempiternæ contemplationi perpetuo inhærebit [3]. » Et qui plenius cupit omnes contemplationis effectus scire, legat ejusdem S. Bernardi tractatum *De conversione ad Clericos* [4].

Septimum effectum suggerit nobis Joannes Gerson, *De mentali contemplatione,* ubi docet contemplativos, nedum sibi, sed aliis multum prodesse, sic : « Contemplativi per devotas suas orationes omnibus aliis prosunt. Et accidit sæpius, quod propter eorum merita Deus faciat, quibusdam mediantibus mundanis (licet etiam mali sint tales), quoddam maximum bonum, puta pacem alicujus regni, vel consimile ; quia nihil possumus sine gratia Dei speciali,

Septimus ex Gersone.

[1] Joann. XIV, 23.— [2] Bern. *Medit. piiss.*, c. 7.— [3] *Id. De inter. dom.*, cap. ult. — [4] Cap. 21.

quam citius boni contemplativi impetrant a Deo quam activi[1]. »

Multum ergo diligendi sunt contemplativi, et ratione virtutis quæ in eis commendabilis valde est, et quia aliis possunt prodesse.

CAPITULUM V.

AN IN CONTEMPLATIONE ACQUISITA OBTINEATUR CLARIOR COGNITIO ET DELECTABILIOR DILECTIO DIVINORUM.

Sensus quæsiti.

Advertо primo hoc esse unum ex præcipuis hujus materiæ dubiis et de necessitate explicandum. Certum quippe est quod fidelis homo per fidem cognoscit Deum et, ut ait Apostolus, videt per speculum in ænigmate, id est, obscure cognoscit; in patria vero videbit Deum ac divina evidenter et in se. Certum pariter est quod fidelis per caritatem diligit Deum et divina, et in ea dilectione delectatur. Nunc autem quærimus an per contemplationem fidelis magis videat, ac quomodo, et an per dilectionem magis delectetur de visis, et quomodo.

Omnia contemplationis objecta sunt objecta fidei.

Adverto secundo et recolo quæ dixi in Opusculo tertio, quod omnia objecta quæ cognoscuntur in contemplatione acquisita, illa eadem sunt quæ prius fuerunt apprehensa et credita per actum fidei; et consequenter per contemplationem non cognoscuntur in seipsis, sed in suis repræsentativis : nempe in speciebus intelligibilibus, vel etiam in sensibilibus quando objecta sunt sensibilia, ut ibi fuse explicavi. Et propterea quæritur an contemplans in illa specie, in qua prius apprehenderat et crediderat objectum revelatum obscure, quando postea illud contemplatur, cognoscat illud cum eadem obscuritate, vel si minus obscure et cum aliquo gradu claritatis, unde proveniat

[1] Gers. *De ment. contempl.*, c. 27.

ista claritas vel obscuritatis diminutio. Idem de suavitate ac delectatione respectu voluntatis dicendum est; et ideo ad hoc firmandum,

Nunquam contemplans cognoscit evidenter, sed semper obscure magis vel minus.

Dico primo : Quomodocumque contemplans cognoscat objectum creditum, sive minus obscure sive cum aliquo claritatis gradu, nunquam evidenter et in se illud cognoscit, sed abstractive et in specie proportionata illud repræsentante. Hæc conclusio, quamvis prolixe probata fuerit in dicto Opusculo tertio [1], tamen ob ordinem dicendorum, quæ, ut mox patebit, in ea fundantur, debuit iterum hic replicari.

Ex Hugone cardinale.

Probatur ex Hugone cardinale : « In contemplatione videt anima pulchritudinem per imaginem, sicut dicit S. Augustinus, quia adhuc videt eam per imaginationem; sed tantum intenta est pulchritudini illi, quod videtur ei quod videat eam non per imaginem, de qua non cogitat; » et adducit similitudinem licet fabulosam : « Sicut Narcissus, se per imaginem comprehendens, quod esset imago nullo modo cogitabat [2]. » Notandum autem quod imaginem non intelligit purum phantasma, sed omnem speciem, sive intelligibilem sive sensibilem, juxta conditionem objecti contemplabilis; spiritualia enim et divina spiritualibus, id est intelligibilibus, tantum repræsentari possunt obscure atque confuse, et in iis cognosci, quamvis per sensibilia, ut ait Apostolus [3], ad ea perveniri possit.

Quid per speculum et quid per ænigma.

Confirmatur : Ex Apostolo : *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem* [4]. Duo dicit : *per speculum*, id est in aliquo repræsentante, et *in ænigmate*, id est obscure et confuse : tale quid significat ænigma. Super hunc locum Græci pro speculo ponunt vocabulum quod latine sonat *introspectorium*, quasi medium alicujus rei videndæ. Neque de hoc est dubium, quia res absentes non possunt aliter cognosci quam per proprias species sensibiles ac intelligibiles.

[1] Supra, Op. III, c. 14. — [2] Hug. Card. in I Cor. XII. — [3] Rom. I, 20. — [4] I Cor. XIII, 12.

Per contemplationem minus obscure videntur res.

Dico secundo : Per contemplationem, ex Dei dono, objecta credita et per eam cognita, minus obscure et aliquantulum clarius cognoscuntur quam antea per solum actum fidei ; semper tamen inevidenter et in speciebus repræsentativis.

Ex sancto Bernardo.

Probatur primo ex S. Bernardo, *De interiori domo,* ubi, postquam docuit quod vacaturus contemplationi tergere debet speculum animæ a peccatis operis et cogitationis, et cor a terrenis retrahere, ait : « Exterso igitur speculo,... incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, et immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere [1]. » Subdit postea quid accidat in voluntate, ut infra. Idem S. Bernardus ait : « Quanto amplius in cœlestium contemplatione delectaris et delectando admiraris, tanto profundius illuminaris, semper in illis inveniens unde delecteris et quod mireris. Nusquam est copiosior materia admirandi et nusquam utilior causa delectandi [2] ; » lumen ergo in intellectu contemplantis, et delectatio adest in voluntate.

Ex sancto Gregorio.

S. Gregorius, assignans rationem cur parum duret contemplatio, præ ceteris ad rem nostram dicit : « Ad semetipsam anima protinus reverberata revertitur, atque ab ea luce, ad quam respirando transiit, ad suæ cæcitatis tenebras suspirando rediit [3]; » ergo lumine aliquo potiebatur contemplando. Idem Sanctus ait : « Mentes contemplantium, quamvis aliquid tenuiter de vero lumine videant, in seipsis tamen magna amplitudine dilatantur [4]. »

Ex sancto Bonaventura.

S. Bonaventura, *De luminaribus Ecclesiæ,* discurrens de septem diebus primis in creatione mundi, die quarta dicit : Intelligentia per contemplationem suspensa intelligitur in opere quartæ diei, quando facta sunt sol et luna et stellæ. Qui non habet contemplationem, non habet ornamentum solis, lunæ et stellarum. Debet anima Sunamitis amiciri sole, luna et stellis [5]. Et in sermone secundo

[1] Bern. *De inter. dom.*, c. 14. — [2] *Id.* in *Flor.*, c. 5. — [3] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [4] *Ibid.*, hom. 17, al. lib. 2, hom. 5. — [5] Bonav. *De lumin. Eccl.*, serm. 3.

circa finem ait quod S. Dionysius eam vocat intelligentiam tenebrosam propter incomprehensibilitatem Dei, et radiosam quia anima intuens eam summe illustratur. Idem S. Doctor, *De septem itineribus æternitatis*, ubi loquitur de gradibus contemplationis, præ ceteris ex Hugone dicit : « Quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur et confortetur, et affectus mentalis magis purificetur et inflammetur [1]. » Igitur semper in intellectu illustratio et in voluntate inflammatio sive minor sive major, ut in proficientibus et perfectis reperitur.

Gustus delectabilior.

Dico tertio : Per contemplationem dilectio Dei, quæ in actu fidei erat dulcis ac delectabilis, in ea est delectabilior ac dulcior.

Ex sancto Bernardo.

Probatur ex S. Bernardo, loco citato, ubi, post illuminationem intellectus per radium illum divinæ lucis, subdit qua luminis visione animus inflammatur, et cetera. In *Scala claustralium* ait : « Contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans [2] ; » et ibidem infra ait : « Contemplatio est ipsa dulcedo quæ jucundat et reficit [3]. »

Ex sancto Gregorio.

S. Gregorius ait : « Contemplativa vita hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur ; quia amoris ignis qui hic ardere incipit, quum ipsum quem amat viderit, in ejus amore amplius ignescet [4] : » ergo major amor majorque delectatio ac dulcedo in contemplatione habetur quam antea habebatur. Idem S. Gregorius ibidem infra ait : « Contemplativæ etenim vitæ amabilis valde dulcedo est [5] ; » et post multa dicit : « In qua contemplatione jam quietis internæ gustus contingitur [6]. »

S. Bonaventura ex sancto Gregorio.

S. Bonaventura ex professo loquitur de gustu qui in contemplatione percipitur, adducens Sanctorum et aliorum dicta de hoc. « Ex S. Gregorio : Dum magno desiderio

[1] Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — [2] Bern. *Scala claustr.*, c. 1. — [3] *Ibid.*, c. 2. — [4] *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [5] *Ibid.* — [6] *Ibid.*

mens ad cœlestia inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit, degustat. Ex eodem : Si quis jam cordis ore gustaverit quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi hymnidici chori Angelorum, quæ incomprehensibilis visio Trinitatis, huic quanto illud dulce sit quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. Ex eodem : Contemplativa vero sapore intimo venturam requiem degustat. Ex S. Augustino : Fac me, precor, Domine, gustare per amorem quod gusto per agnitionem : sentiam per affectum quod sentio per intellectum. Ex eodem : Quamdiu sumus in corpore et peregrinamur a Domino, gustemus saltem quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem. Ex eodem : Hæc est requies cordis nostri, quum in Dei amore per desiderium figitur ; hæc est vita cordis nostri, quum Deum suum contemplatur, et ipsa sui consolatione suaviter reficitur. Mentis visio est intelligentia, gustus sapientia ; illa contemplatur, ista delectatur. Ex S. Bernardo : Os meum ad te aperio, Domine, et attraho spiritum ; et nonnunquam, Domine, quasi clausis oculis, ad te inhianti mittis mihi in os cordis quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcedinem adeo confortantem, ut si perficeretur in me, nihil ultra quærerem [1]. » Hæc et alia plura ibi adducit S. Bonaventura de gustu et dulcedine contemplationis.

S. Bonaventura ex sancto Augustino

S. Bonaventura ex sancto Bernardo.

S. Bonaventura de utroque effectu.

De utroque autem effectu loquitur idem S. Bonaventura in tractatu *De septem itineribus æternitatis* [2], ubi, postquam ex Lincolniensi docuit mentem humanam in contemplatione paulatim illustrari et inflammari, exemplo oculi infirmi qui non potuit radium solis videre, sed paulatim, quum incipit sanari, lucem minorem, postea majorem, et quum totaliter sanatus est, videt radium solis sine difficultate : ita mens contemplantis se habet, ut paulatim illustretur ac inflammetur ; et quo magis quis in contemplatione exercetur, eo magis illuminatur et inflammatur.

[1] Bonav. *Phar.*, lib. IV, c. 29. — [2] It. 3, dist. 4, art. 1.

His præsuppositis, S. Bonaventura subdit : « Ex prædictis apparet quod, tam in radioso lumine contemplationis speculativæ quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, oportet paulatim et gradatim proficiendo ascendere, et ascendendo clarius cognoscere Deum ; quia, sicut dicit Hugo, quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur et confortetur, et affectus mentalis magis purificetur ac inflammetur, ut totus homo exterior et interior ad Deum ordinetur. Et hoc verius et perfectius videtur fieri per gradus illos qui mentem ad similitudinem cœlestis Hierarchiæ purgant, illuminant et perficiunt [1]. » Et sequitur : « Mens, ait Hugo, quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, postea illuminetur, et deinceps perficiatur. Et tales quanto magis ascendunt, tanto magis appropinquant Divinitati ; quanto autem magis appropinquant, tanto verius contemplantur [2]. »

Ex confessione contemplantium.

Confirmari potest totum hoc ex confessione eorum qui ex professo vacant contemplationi. Fatentur enim in contemplatione divinorum et omnium revelatorum se, licet abstractive et in speculo (quia fide prævia), ex divino favore magis clare cognoscere objecta illa quam antea ex eorum apprehensione et consideratione cognoscebant, et gustum ac suavitatem seu delectationem in ea sentire quam antea non sentiebant. Possunt hos effectus in semetipsis experiri, qui mundo corde, purgatis passionibus vel eas actualiter purgando, volunt contemplationi vacare ; et certe confitebuntur : O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus !

[1] Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — [2] *Ibid.*

CAPITULUM VI.

AN EXTASES ET RAPTUS SINT EFFECTUS CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ.

Auctoris advertentia.

ADVERTO primo, quod de materia extasis ac raptus late egi in tomo quarto, *In tertium Sententiarum*[1], ubi dixi quod *extasis* græcum nomen est, latine vero significat excessum mentis seu alienationem mentis a sensibus. Raptus item pro eodem accipitur; sed mystici dicunt esse quidem alienationem mentis a sensibus, sed cum aliquo violento corporis motu, quod in contemplatione infusa aliquando accidit; videmus enim sic alienatos in altum elevari, et interdum sic a terra elevatos per aliquod tempus manere, aliquando retrorsum agi velut volando, et iterum anteorsum ferri. Istæ alienationes a sensibus, cum his motibus, peculiari nomine dicuntur raptus; sed communi nomine omnes extases dicuntur raptus. Quum ergo homo tali stupore arripitur ut maneat quasi insensatus et nullo sensu utatur, undecumque hoc proveniat, ut mox dicam, dicitur extaticus seu extasim pati.

Quid sit extasis, quid raptus.

Effectus raptus.

Extasis est multiplex.

Adverto secundo, quod, ut in eodem loco fuse dixi, extasis seu raptus duplex est : quidam naturalis, quidam præternaturalis vel supernaturalis; et utraque extasis adhuc duplex : naturalis enim vel est morbosa, vel sana; præternaturalis vel est divina, vel dæmoniaca. De his omnibus brevis aliqua notitia tradenda est, ne tirones contemplativi, aliquando excessum aliquem patientes aut videntes alios pati, decipiantur incauti, putantes extasim bonam aut divinam, quæ talis forte non est.

Extasis morbosa.

Adverto igitur tertio, quod extasis naturalis morbosa est excessus seu alienatio a sensibus, quæ provenit ab

[1] Disp. 20, art. 23.

aliquo morbo, ut quæ procedit a spasmo, ab ebrietate vel aliquo medicamento somnifero, a phrenesi vel ab obstinatione melancholici delirii, ut in phreneticis. Ita Stephanus Rodericus Lusitanus, in tractatu *De Asiria* [1] (sic). Hanc ultimam ex Dei maledictione passus est Nabuchodonosor rex Babyloniæ, qui per tot annos fanaticus, ab hominum commercio se abducens, in desertis habitavit et fœnum ut bos comedit. De hac extasi non loquimur. Extasis naturalis sana est quæ oritur ex vehementi apprehensione alicujus objecti prædilecti, acquisiti vel perditi, vel alicujus insoliti ac noliti magni eventus, quorum exempla mox afferam. Causa vero immediata cur extatici naturales sic detineantur, ex Paulo Zacchia [2], est quia in cerebrum confluunt omnes spiritus animales, destinati internis et externis sensibus ac motivæ potentiæ; et ideo sic alienati, non operantur, et videntur sibi multa conspicere et loqui cum aliis. Additque Zacchias quod inter somniantes et extaticos, hæc est differentia, quod illi in somno, isti in vigilia sunt a sensibus alienati. Et quod mirabile dicit præfatus Stephanus Lusitanus, et cui causam assignare nescit, est quod aliqui voluntarie extasim naturalem in se causant; et S. Augustinus [3] adducit exemplum de presbytero Restituto Calamensis parochiæ, qui quoties sibi placebat, extasim in se causabat, et efficiebatur insensatus velut mortuus. Longo discursu S. Augustinus rem narrat. At quidquid sit de hoc, quod fortasse dæmoniacum erat, pro re nostra certum est quod naturaliter ex vehementi apprehensione alicujus rei maxime volitæ vel nolitæ, vel gravissimæ et insolitæ, oriri potest alienatio a sensibus. Sic Isaac, advertens quod pro Esau benedixit Jacob et hunc constituerat dominum illius, *expavit stupore vehementi, et ultra quam credi potest* [4]. Jacob, audiens quod Joseph, quem per viginti tres annos tenebat mortuum laceratum a fera, vivebat prorex Ægypti, *quasi de gravi*

Extasis naturalis sana.

Aliqui voluntarie in se causant extasim.

Exempla de naturali.

[1] Cap. 26.— [2] *Quæst. Medic.*, lib. IV, q. 6. — [3] *De civ. Dei*, lib. XIV, c. 24. — [4] Gen. XXVII, 33.

somno evigilans[1]... De regina Saba, vidente magnificentiam Salomonis ejusque sapientiam experiente, dicitur : *Non erat præ stupore ultra in ea spiritus*[2]. Et de Nabal, qui negaverat Davidi fugienti victualia, et audierat ab uxore Abigail Davidem esse contra se iratum, dicitur : *Emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis*[3]. Aliud exemplum extasis naturalis ex timore adducit Plutarchus in *Bruto,* de Porcia uxore Bruti exspectante exitum conjurationis in Julium Cæsarem, et per nuntios audiente quæ fiebant, præ dolore non sustinuerunt ultra corporis vires, sed animo fluctuatione æstuante, et fatiscens... repente animi stupor eam corripuit, animi defectus adfuit, color mutatus, vox suppressa, et cetera.

De alienatione animi præ gaudio Josephus Hebræus de Claudio dicit quod, « interfecto Caligula, quum metu periculi se abdidisset in angulo, ne a militibus raperetur et capite plecteretur, præ gaudio simul et metu pedibus insistere minime valens, sublatus in humeros in castra est deportatus[4]. » Alia multa possent adduci horum excessuum naturalium exempla ; sed hæc pro nunc sufficiant.

Extasis dæmoniaca quæ.

Extasis seu raptus præternaturalis dæmoniacus est alienatio mentis, a dæmone sensus obstupefaciente inducta. De hoc enim maxime gloriantur magi et sagæ quod possint homines dementare et obstupefacere ; de quibus loquitur S. Augustinus[5]. Sic de multis refertur, ut de Plotino, Olympio, Aurelio, Jamblico, Apollonio Tyanæo et aliis multis, qui ope dæmonis ejusmodi extases inducebant ; potest enim dæmon impedire spiritus animales ne e cerebro in sensus externos defluant.

Extasis divina.

Extasis tandem præternaturalis divina est alienatio sensuum, a Deo alienante mentem a sensibus inducta.

Exempla ex Scriptura.

Exempla istius in Scriptura habemus : *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam*[6]. Tertullianus, in libro

[1] Gen. XLV, 26.— [2] II Paralip. IX, 4.— [3] I Reg. XXV, 37. — [4] Joseph. *Antiq.*, lib. XIX, c. 2.— [5] Ep. 55; *De civ. Dei,* lib. VIII, c. 14.— [6] Gen. II, 21.

De anima[1], dicit fuisse extasim, dicens : « Hanc vim extasim dicimus, excessum sensus et amentiæ instar. Sic et in primordio, somnus cum extasi dedicatus; et misit Deus extasim in Adam, et obdormivit. » Idem dicit S. Augustinus[2]. Item psalmus trigesimus inscribitur : *Psalmus David pro extasi.* Versu vigesimo tertio dicit : *Ego dixi in excessu mentis meæ ;* et alibi : *Benjamin adolescentulus, in mentis excessu*[3]. — *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax*[4]. — *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret... Cecidit super eum excessus ; et vidit cœlum apertum*[5]. Et Paulus ait : *Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit), raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit), quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*[6]. Tandem, ut de omnibus Prophetis taceam, et de Moyse in monte Sinai Deum sibi loquentem audiente et non vidente, notum est totam Apocalypsim Joanni apostolo in divina extasi fuisse communicatam; sic enim ipse de se loquitur : *Fui in spiritu in dominica die, et audivi post me vocem magnam*[7], et cetera. Glossa interlinearis, ad verbum *in spiritu,* dicit : « In excessu mentis; » Lyranus dicit : « In extasi ; » idem docuerat S. Augustinus[8].

His ergo breviter prælibatis pro notitia extasium, videndum est an cum contemplatione acquisita conjungatur extasis, saltem in perfectis aut proficientibus. Quid vero in extasi videatur, dicitur postea.

Non est necessarie conjuncta extasis contemplationi.

Dico ergo : Cum contemplatione acquisita non est conjuncta extasis aut raptus ; potest tamen aliquando accidere ut adeo vehemens sit applicatio ut naturalem extasim quis patiatur in contemplatione.

Ratio a posteriori.

Prima pars probatur, tum ex facto et a posteriori, quia

1 Cap. 46. — 2 *In Gen. ad litt.*, lib. IX, c. 19. — 3 Ps. LXVII, 28. — 4 Ps. CXV, 11. — 5 Act. X, 9-11. — 6 II Cor. XII, 2-4. — 7 Apoc. I, 10. — 8 *In Gen. ad litt.*, lib. XII, c. 2; *De anima*, c. 21.

ejusmodi contemplativi regulariter non patiuntur talem mentis excessum, tum a priori, quia acquisita contemplatio ex natura sua non requirit tam vehementem applicationem ad objectum contemplatum, ut omnes animales spiritus confluere debeant ad cerebrum roborandum et confortandum, et sic in externis sensibus deperdatur motus; sed intuitus fixus in objectum contemplatum cum saporosa dilectione sufficit in contemplatione quacumque: qui quidem actus non requirunt alienationem a sensibus, nec eam efficiunt. Et evidenter patet in theologis etiam profunde speculantibus objecta revelata difficillima, ut Trinitatem personarum cum unitate essentiæ, Incarnationem Verbi, mysterium Eucharistiæ, et cetera, qui tamen, etsi fixe speculentur, non propterea patiuntur alienationem a sensibus : ergo neque necessaria est, imo neque accidentaria regulariter in contemplatione acquisita.

A priori ratio.

Aliquando potest naturaliter accidere.

Secunda pars, quod scilicet aliquando possit, quamvis raro, accidere, probatur : Ex vehementi consideratione alicujus casus læti aut mœsti, potest alienatio a sensibus accidere, et homo remanere stupidus : ergo etiam in casu vehementis applicationis in contemplatione. Antecedens supra patuit de Nabal Carmeli, qui, auditis ab uxore minis David contra se irati, ex timore ac mœrore ita obstupefactus est, ut dicat Scriptura : *Emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis*[1]. Sinardus, filius Daniæ regis, audito nuntio de morte patris ab Hella Britanniæ rege per abjectionem illius inter serpentes, ex mœrore sic stupefactus est ut, dum cogitabundus hæreret, hastili quod in manu tenebat casu suum pedem sine dolore perforavit. Ita Saxo[2]. Multæ aliæ adduci possent stupiditates et alienationes seu excessus mentis naturales profanæ, quæ brevitatis gratia omittuntur.

Ratio a pari contemplatione.

Consequentia prima, quod nempe accidere possint contemplativo sine miraculo et naturaliter, probatur a pari; quia applicatio in contemplatione aliqua potest esse ita

[1] I Reg. xxv, 37. — [2] Lib. ix.

vehemens quod omnes spiritus vitales in cerebrum confugiant, et sensus externi, eis destituti, immoti maneant; non est enim major ratio de aliis applicationibus vehementibus quam de ista; etsi enim, ut in suo loco dictum est, ad actum fructuose contemplandi requiratur specialis gratia, quando tamen per eam jam habitam quis in actu contemplationis est, potest etiam suo conatu intensius, imo intensissime in eo actu applicari, et tunc accidere potest naturalis alienatio seu extasis, quamvis raro.

Ex sancto Bernardo.

Confirmatur ex iis quæ docet S. Bernardus : « Qui sic in amore Dei jugiter delectatur, frequenter mentis excessum patitur; ab omnibus præsentibus et terrenis raptus, coram Deo præsentatur[1]; » et post multa dicit : « Volet ergo, et non deficiat; volet donec ante Regem perveniat, ibique ploret et suspiret[2]... » Igitur absque miraculo poterit naturaliter accidere extasis.

Ratio alienationis ex triplici capite.

Confirmatur ex Richardo de S. Victore, qui docet ex triplici capite provenire posse alienationem a sensibus in contemplatione, scilicet « modo præ magnitudine devotionis, modo præ magnitudine admirationis, modo præ magnitudine exsultationis[3]. » Ratio primi, inquit, est quia contemplans ex Dei favore intuetur objectum aliquo lumine illustratum, et præ admiratione suspensus manet ac alienatus a sensibus; ratio secundi, quia, quum objectum vehementer amatur, amans quasi absorptus, ab omni alio actu suspensus, ab amato objecto rapitur; ratio tertii est quia maxima delectatio absorbet contemplantem, et ab omni alia actione suspendit. Imo extases naturales accidunt magis ex debilitate virium quam ex nobilitate objecti; non ita se habent extases divinæ. Patet ergo, quod aliquæ extases naturales sunt.

Confirmatur tertio ex S. Bonaventura, *De septem gradibus contemplationis,* ubi præ ceteris dicit : « Contemplans gustat, gustans quiescit. Hæc in via possunt acquiri,

1 Bern. *De inter. domo,* c. 6. — 2 *Ibid.* — 3 Rich. de S. Vict. *De contempl.,* lib. v, c. 1.

non tamen subito, sed gradatim. Citius autem hæc experitur qui spiritualibus frequentius se exercet[1]. » Et postea ait : « Amor extasim facit[2]. » Prius autem dixerat : « Extasis est, deserto exteriori homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam elevatio ad superintellectualem divini amoris fontem, mediantibus sursum activis virtutibus, pro viribus se extendens. Virtutes sursum activas voco humilitatem et puritatem[3]. » Ideoque quum possit contemplans exercitatus suo studio ac diligentia vehementer applicari in consideratione et dilectione contemplati objecti, poterit etiam in eo casu alienari a sensibus sine miraculo.

Et hinc est quod, ut jam per annos fere triginta expertus sum, quum agitur de canonizatione alicujus servi Dei, et fit scrutinium de miraculis, inter ea non adnumerantur extases, nisi evidenti aliquo supernaturali signo sint adminiculatæ ; et ratio est quia, ut dixi, esse possunt naturales ; istæ autem, etsi mirabiles dici possint, non tamen miraculosæ vel miracula.

Extases divinæ non sunt necessario conjunctæ contemplationi.

Dico secundo : Cum contemplatione acquisita regulariter non sunt conjunctæ extases divinæ seu miraculosæ, quamvis ex Dei speciali favore possint alicui a Deo concedi.

Probatur et declaratur prima pars : Ex nuper dictis, regulariter non datur in ea extasis naturalis, quia non est necessario connexa cum actu contemplandi : igitur multo minus divina et miraculosa. Consequentia probatur ex Francisco de Maironis : Multitudo miraculorum vitanda est, ubi salvari potest Scriptura per pauciora miracula[4] ; in nostro autem casu, nec agitur de salvanda Scriptura neque de necessitate miraculi ; imo, ut in opusculo *De contemplatione infusa* dicam, non omni tali contemplativo conceditur extasis divina. Richardus de S. Victore[5], postquam omnes gradus contemplationis tam acquisitæ quam infusæ declaravit, et prolixe de omnibus locutus est, ait

1 Bonav. *De sept. grad. contempl.* — 2 *Ibid.* — 3 *Ibid.* — 4 In lib. I Aug. *De mirab. sacr. Script.*, c. 20. — 5 *De contempl.*, lib. IV, c. 22.

omnia hæc contemplationum genera posse utroque modo fieri, et modo per mentis excessum, modo sine aliquo mentis excessu exerceri.

Aliquando Deus concedere potest.

Secunda pars, quod ex sua benignitate Deus alicui extasim concedere possit et concedat in contemplatione acquisita, facilis probatu est. Potuit concedere, et de facto concessit sine actuali contemplatione omnibus Prophetis, quum eos de propheticis revelationibus edocuit ; non enim legimus quod actu contemplarentur dum eos ad se audiendum elevaret : igitur sic potest contemplantes elevare ; et sic legimus accidisse S. Petro, qui fuit adeo elevatus ut contemplaretur : *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret, circa horam sextam. Et quum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus ; et vidit cœlum apertum* [1], et cetera.

Prophetis concessæ extases.

Imo docent mystici quod sæpe Deus extases et alias similes gratias concedere solet incipientibus, ut eos in sui amorem et exercitii frequentiam et perseverantiam alliciat : quas tamen in progressu eisdem non concedit ; Dominus enim est. At in contemplativis perfectis frequentiores esse solent ; non tamen, ut dixi, ex ipsius contemplationis natura, neque ex contemplantis conditione aut merito, sed Dei ipsius benignitate ac liberalitate ; et interdum sic disponit contemplantem per gratiarum abundantiam, ut velit esse etiam contemplantis merita, quæ sunt sua dona, inquit Augustinus et ex eo Concilium Tridentinum [2]. De extasi ergo curare non debet contemplativus, neque tristetur si eam non obtineat, sed curare debet de caritatis in Deum ac proximum fervore, et de perseverantia in exercitio contemplationis in via, cui succedet contemplatio in patria.

Corollarium notabile.

Dico tertio : Interdum contemplativi decipi possunt per extases dæmoniacas.

Extases dæmoniacæ.

Probatur : Permittit Deus ut servi sui dæmonum tentationibus subjaceant, ut humiliari discant. Dæmon siqui-

[1] Act. x, 9-11. — [2] Sess. 6, c. 16.

Quomodo eas efficiat dæmon.

dem, ut ait Apostolus, *transfigurat se in Angelum lucis* [1], ut decipiat; potest illudere, et de facto sæpe illudit Dei servos, inserendo in phantasia species aliquas rerum, quæ in re non sunt, et movere potest in phantasia species inhonestarum rerum, et appetitum sensitivum accendere; potest impedire sensus externos ne operentur, impediendo concursum spirituum vitalium in illos, et sic excessum et alienationem a sensibus efficere. Unum sufficiat exemplum e sacra Scriptura desumptum. De Simone Mago dicitur, quod appellabatur virtus Dei; *attendebant autem eum propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos* [2], id est Samaritanos. Glossa interlinearis dicit: « fallendo; » ordinaria ait: « Dementare est rationalem mentem absentare; » Lyranus dicit: « Quum dementasset eos, id est, mentes eorum alienasset. » Potest ergo extases in hominibus, etiam Dei servis, dæmon efficere, sicut potest et externe et interne decipere, falsa pro veris demonstrando. Sic autem impudens est, ut putaverit ipsummet Sanctum Sanctorum Christum posse illudere ac dementare, quum in monte supra quem eum portaverat, tentare præsumpsit; *ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis* [3], promittens ei illa, si ipsum adoraret. Hoc autem sic accidit: quamvis S. Cyprianus [4] dicat diabolum species imaginarias regnorum et gloriæ eorum in Christi phantasia, eo permittente, produxisse, et sic illum illudere voluisse, tamen, quia cum S. Gregorio Magno teneo omnem Christi tentationem foris, eo permittente, et non intus fuisse, teneo cum aliis,— nempe Auctore *Operis imperfecit*, cum Eutimio, Toleto, Francisco Burgensi, et ceteris, — id fecisse diabolum per species visibiles repræsentantes regna et gloriam eorum, et per artem perspectivæ vel opticæ, cujus dæmon est peritissimus, quia peccando non fuit diminutus in naturalibus. Et sic etiam alterutram sententiam tenendo, — quia utrumque potuit ex humilitate et

Dæmon tentavit illudere Christum.

[1] II Cor. xi, 14. — [2] Act. viii, 11. — [3] Luc. iv, 5. — [4] *De jej. et tent. Christi.*

mansuetudine ad suum meritum et nostrum documentum permittere, — patet diabolum, et in visione ac revelatione et extasi, posse homines decipere, quum, etsi frustra, tentaverit Sanctum Sanctorum illudere. Cauti ergo sint contemplativi ac meditativi, imo omnes orantes, ne decipiantur; et in his casibus probos doctosque viros consulant.

CAPITULUM VII.

QUOMODO COGNOSCATUR EXTASES ESSE NATURALES, DIVINAS, AUT DÆMONIACAS.

Discretio spirituum.

Magna cautela adhibenda.

ADVERTO primo, quod, sicut diximus[1], discretio spirituum non solum tendit ad utilitatem proximi, eo quod sit gratia gratis data, quæ, ut ait Apostolus[2], *datur... ad utilitatem,* id est Ecclesiæ ac proximi; sed respicit etiam personam propriam, ut sciat fidelis semetipsum regere, quando quædam novæ cogitationes insurgunt, vel apparitiones novas videt, aut revelationes novas sibi insinuari interne audit. Quoniam S. Hieronymus in dictum locum S. Pauli ibi, *discretio spirituum,* ait, ut qualis, vel quo spiritu veniat aut loquatur, intelligatur, Glossa interlinearis dicit: « Ut discernat quod audit, quo spiritu, bono an malo, dicatur; quoniam et diabolus bona seductive dicit. » Ita de extasibus dicendum cum proportione est, quoniam et natura et diabolus, ut patuit, et Deus ipse potest eas efficere, et quoniam non omnes homines, etiam contemplativi, habent hanc gratiam gratis datam, ut proprio spiritu ex se possint discernere hæc præternaturalia, aliqua assignabimus signa discernendi ejusmodi facta. De visionibus, apparentiis et revelationibus loquemur postea.

Signum extasis naturalis.

Dico ergo: Quando in extasi homo contemplans nil

1 Auct. in III *Sent.*, disp. 19, art. 10. — 2 I Cor. XII, 7.

aliud boni vel mali experitur, nisi quod in aliis contemplationibus experiebatur, nec cum majori aut minori devotione ex ea extasi ad se revertitur, signum est quod fuit naturalis, non divina, nec dæmoniaca.

Sancti Augustini animadversio.

Probatur a paritate apparitionum, de quibus postea loquar, ex S. Augustino : « Quum spiritualis visio, penitus alienato a corporis sensibus animo, imaginibus corporalium detinetur, sive in somnis sive in extasi, si nihil significant quæ videntur, ipsius animæ sunt imaginationes : sicut etiam vigilantes et sani, et nulla alienatione moti, multorum corporum quæ non adsunt sensibus corporis, cogitatione imagines versant. Si autem aliquid significant[1]... » Ita etiam de extasi dicendum. Si enim nihil novi adducit quod contemplatio sine extasi non adducebat, nec boni, ut majorem illustrationem ex parte intellectus, aut dilectionem, delectationem, saporem vel suavitatem ex parte voluntatis, vel revelationem aliquam privatam bonam, vel aliud simile (ut dicetur infra), quæ a Deo semper sunt, dici non potest extasis divina. Sic etiam e contra, si nihil mali aut ad malum suadens adducit, vel etiam si bonum, tamen cum malis circumstantiis, ut facere solet regulariter Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, non est dæmoniaca : restat ergo ut talis extasis naturalis censenda sit, ex vehementi nempe applicatione et imaginatione.

Si nil boni adducit, non est divina.

Si nil mali, non est dæmoniaca.

Extasis dæmoniacæ signa.

Dico secundo : Extasis dæmoniaca dicenda est quando in ea vel consulitur aliquod malum vel apparet fieri aliquid ad nullum bonum ordinatum, vel etiamsi consulatur bonum, non tamen ob finem bonum, vel multum turbat et turbatum relinquit.

Si malum consulit.

Probatur de singulis : Prima pars de consilio ad malum est evidens, quia Deus non consulit malum ; igitur externus ille loquens in extasi, et consulens malum, alius nequit esse nisi dæmon, qui *circuit quærens quem devoret*[2], et ideo Satanas appellatur, id est insidiator. Facile autem

[1] Aug. *In Gen. ad litt.*, lib. XII, c. 12. — [2] I Pet. v, 8.

cognoscitur, dum manifeste malum aliquod consulit quod est contra legem vel naturæ vel positivam Dei vel Ecclesiæ; et hic est unus casus dæmoniacæ extasis.

Si dicit aliquod nullum finem bonum habens.

Probatur secunda pars ex Apostolo : *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis*[1], — Glossa interlinearis dicit : « In Christum vel aliquem cœlestem Angelum, » — et consulit seu revelat aliqua nullum finem bonum habentia, vel aliqua bona, sed ob finem aliquem malum; ideo S. Augustinus dicit : « Transfigurat se... ad tentandos eos quos ita erudiri opus est, vel decipi justum est. Magna Dei misericordia necessaria est, ne quisquam, quum bonos Angelos amicos se habere putat, habeat malos dæmones, amicos fictos, eosque tanto nocentiores quanto astutiores ac fallaciores patitur inimicos... Sed neque sancti et fideles unius veri Dei summique cultores ab eorum fallaciis et multiformi tentatione securi sunt[2]. » Et alibi : « Quum (Satanas) se bonum fingens, ea facit sive dicit quæ bonis Angelis congruunt, etiamsi credatur bonus, non est error periculosus aut morbidus; quum vero per hæc aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna et necessaria vigilantia est[3]. » At Lyranus in eum locum ait : « Multis modis Satanas se transfigurat in Angelum lucis, aliquando visibiliter assumendo corpus, sicut apparuit B. Martino et multis aliis, et multos sic decepit; alio modo invisibiliter formando vocem audibilem, sicut B. Francisco, volens eum retrahere a pœnitentiæ rigore; aliquando pervertendo judicium sensuum, faciendo apparere quod non est. Ideo B. Joannes dicit : *Probate spiritus si ex Deo sint*[4]. »

Variis modis dæmon decipit.

Multa habemus exempla de hujusmodi deceptionibus dæmonis, modo in extasi, modo in somno, modo etiam in vigilia. S. Ephrem Syrus, in Vita S. Abraham eremitæ, refert quod, dum in media nocte divinas laudes caneret, lux magna apparuit in cella, et vocem vir Dei audivit di-

Aliquæ deceptiones dæmonis referuntur.

1 II Cor. xi, 14. — 2 Aug. *De civ. Dei*, lib. xix, c. 9, 10. — 3 *Id. Enchir. ad Laur.*, c. 60. — 4 I Joann. iv, 1.

centem : Beatus es, nullusque tui similis, qui omnes voluntates meas explesti. At vir Dei agnoscens fallaciam, ait : O plene dolo atque fallacia, ego homo peccator sum, sed nomen Domini mei Jesu Christi, quem dilexi et diligo, mihi murus est ; in quo te increpo, immunde canis. Et statim evanuit.

Et S. Simeoni Stylitæ in cacumine montis habitanti apparuit dæmon dicens : Dominus misit me, Angelum suum, ut rapiam te, sicut rapui Eliam ; ascende ergo mecum in currum et eamus in cœlos ; optant te videre sancti Angeli, Apostoli, Martyres, Prophetæ et Maria mater Domini. At quum S. Simeon, elevans dexterum pedem ut ascenderet in currum, signaret se signo crucis, statim dæmon evanuit. Ita narrat Antonius discipulus S. Simeonis in hujus Vita.

In Vita S. Pacomii ex Dionysio habetur quod quadam vice, eo orante, apparuit illi dæmon dicens : Pacomi, ego sum Christus, et venio ad te fidelem amicum meum. At Pacomius dixit intra se : Adventus Christi tranquillus est, ego autem nunc turbatus variis cogitationibus æstuo ; et formans signum crucis ac exsufflans in illum, dixit : Discede a me, diabole, quia maledictus es tu et visio tua, et artes insidiarum tuarum, nec habes locum apud famulos Dei. Et relicto fœtore quodam, discessit. Id autem quod solet facere dæmon in somno aut vigilia, majori cum fiducia facit in extasi, quam ipse efficit in servis Dei, qui, nisi cauti sint, facilius in oratione illa secreta decipi possunt.

Turbatio magna est signum dæmoniacæ extasis.

Hic autem effectus turbationis in S. Pacomio ad loquelam diaboli, cum cogitationum æstuatione, debet sumi pro uno signo visionis seu revelationis et extasis dæmoniacæ. Et quamvis aliquando in divinis etiam apparitionibus ac revelationibus soleat initio accidere aliqua turbatio, — ut accidit Abrahæ [1], et Zachariæ [2] quum ei apparuit Gabriel in templo, et B. Virgini cum eodem Gabriele [3], ambo enim turbati sunt, et sic de aliis multis, — in istis tamen divinis apparitionibus ac revelationibus, si initio turbatio accidit,

[1] Gen. xv, 12. — [2] Luc. i, 12. — [3] *Ibid.*, 29.

nec vehemens est, nec multum durat : qui enim his favoribus digni fiunt, paulo post consolantur et in delectatione quiescunt.

Alia signa dæmoniacæ extasis.

Hæc ergo in genere dici possunt dæmoniacæ extasis signa : quando in ea præcipitur aut consulitur malum contra legem, fidem aut mores, vel præcipitur aut consulitur aliquod insolitum, aut etiam bonum, sed ad malum finem, vel turbat et turbatum relinquit. Ideo optime faciet qui aliquid horum experitur, si doctos consulat, et Deo se commendet ne decipiatur, confidens in Deo quod, etsi permittat eum sic tentari et probari, ipsum non derelinquat, nec permittat decipi ; sed, ut dicit Apostolus, *faciet etiam cum tentatione proventum* [1].

Divinæ extasis signa.

Dico tertio : Extasis supernaturalis seu divinæ, — sive totaliter a Deo productæ, sive partialiter, a Deo scilicet concurrente, — in contemplativo insurgentis signa sunt : animi tranquillitas, suavitas atque jucunditas, humilitas, devotio, sancte vivendi desiderium et bona suadens.

Probatur et declaratur : Aliquando, vel in contemplatione vel extra eam, Deus se solo absque applicatione vehementi contemplantis facit extasim seu excessum et alienationem mentis in homine ; aliquando vero, ipso homine vehementer se applicante in consideratione objecti contemplati, Deus cum eo concurrit ad producendam extasim seu alienationem mentis. Hoc posito, dico quod signa istarum extasium sunt illa quæ in conclusione dicta sunt, et sic ostenditur :

A paritate.

A paritate apparitionum et revelationum divinarum ; est enim eadem ratio, quia extases ad illas ordinantur, ut in Prophetis omnibus accidit ; etenim extra se positi a Deo audierunt et, eodem operante, viderunt quæ scripserunt.

Initio turbant ; sed postea tranquillum faciunt.

De his omnibus dico quod, licet interdum divinæ apparitiones et revelationes in principio afferant timorem aliquem vel turbationem, in progressu tamen jucundæ, sapidæ et delectabiles sunt, tranquillitatem in anima

[1] I Cor. x, 13.

Exempla ex veteri Testamento.

adducentes ; nam, ut innui in præcedenti conclusione, de Abraham legitur : *Quumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum*[1] ; sed statim consolatus est, quia Deus prædixit ei multa, et quod semen suum, id est populus hebraicus, futurum erat peregrinum in Ægypto quadringentis annis, et in generatione quarta reversurum erat cum magna substantia in terram Chanaan, in qua futuri erant domini, et quod Deus ipse flagellaturus erat Ægyptios ; ipse autem Abraham in senectute bona abiturus erat ad patres suos, et alia plura.

De Jacob legitur quod, quum jacens in monte Moria in somno vidisset *scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ*[2], ac promittentem sibi posteritatem multam, protectionem, custodiam, ac reductionem a Mesopotamia ad eumdem locum, primo quidem timuit : *Quam terribilis est, inquit, locus iste*[3] *!* sed ex largis promissionibus consolatus est, et erigens lapidem in titulum, votum vovit Domino, et prosperatus est.

Tertio, de Job habetur : *Et quum spiritus, me præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* At statim subdit : *Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi*[4]. Et sequuntur verba consolationis.

Exempla ex novo Testamento.

Alia tria adducam exempla ex Lege nova. Primum habetur de Zacharia sacerdote, qui, dum juxta aram templi Angelum videret, *turbatus est videns, et timor irruit super eum ;* at parum duravit, quia Angelus ei dixit : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*[5], et cetera, quod ejus filius esset futurus præcursor Messiæ.

Secundum exemplum est de B. Virgine Maria quæ, salu-

1 Gen. xv, 12. — 2 *Ibid.* xxviii, 12, 13. — 3 *Ibid.*, 17. — 4 Job iv, 15, 16. — 5 Luc. i, 12, 13.

tata ab Angelo, *turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio*. At parum duravit turbatio, quia statim Gabriel ei dixit : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* [1] ; et annuntiavit gaudium maximum, quod cum virginitate conceptura esset Dei Filium.

Tertium tandem exemplum, ut alia omittam, sit de pastoribus Turris gregis [2], quibus vigilantibus de nocte super gregem suum, *Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno*. At parum duravit timor, quia Angelus dixit : *Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum... Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax* [3], et cetera.

Omnes divinæ extases consolationem adducunt in progressu, licet initio timorem.

Omnes ergo visitationes divinæ, sive mediate per Angelos factæ, sive immediate ab ipso Deo, qualescumque sint, — vel apparitiones, vel revelationes, vel alienationes a sensibus, ut in extasi, vel elevationes hominum in altum, ut refert historia de S. Maria Magdalena et aliis, — licet initio timorem aliquem vel turbationem afferant, paulo post tamen consolationem, delectationem et tranquillitatem animi adducunt ; unde S. Jacobus in sua epistola ait : *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis* [4]. Dona omnia et favores omnes a Deo in anima alicujus provenientes, ejusmodi effectus producunt. Item lætitiam et consolationem, humilitatem et devotionem, ut ex sacra Scriptura habetur de omnibus quos dignatus est Deus revelationibus vel apparitionibus honorare, ut patet de Abraham patre credentium, Isaac filio et Jacob nepote, de Moyse, de ipsomet, licet gentili, Job, de Davide, de omnibus Prophetis, et in novo Testamento, de Zacharia patre S. Joannis Baptistæ, de ipso S. Joanne Baptista, de B. Virgine, de S. Josepho, de

Exempla plurium Sanctorum.

1 Luc. I, 29, 30. — 2 Gen. XXXV, 21. — 3 Luc. II, 9, 10, 13, 14. — 4 Jacob. III, 17.

Apostolis ceterisque Dei servis; omnes enim isti in præfatis Dei favoribus apparitionum, locutionum seu revelationum, alienationum a sensibus, elevationum e terra, animi tranquillitatem, humilitatem, jucunditatem, spiritualem delectationem, devotionem, desiderium sancte vivendi, bona faciendi et Deo placendi experti sunt.

CAPITULUM VIII.

AN IN EXTASI HABEATUR ALIQUA VISIO SEU REVELATIO NOVA PRIVATA, ET QUOMODO.

Visio præternaturalis triplex.

Adverto primo ex S. Bonaventura [1], quod visio præternaturalis in sui prima distinctione est triplex : corporalis, imaginaria et intellectualis. Duæ primæ sine tertia parum prosunt. Adducit omnium exempla. Visio Baltassar, quum vidit manum scribentem in pariete : *Mane, Thecel, Phares* [2], fuit visio mere corporalis, sine intelligentia rei visæ, quia eam explicavit Daniel. Visio imaginaria est illa quæ habetur in phantasia per species sensibiles, ut fuit illa Pharaonis, quum vidit septem boves pingues et septem macros, hosque devorare illos ; item illa, quum vidit septem spicas plenas et septem vacuas, hasque devorare illas [3] : quas Pharao non intellexit, sed eas declaravit Joseph de septem annis abundantiæ et septem penuriæ. Visio intellectualis est, quæ habetur de aliquo supernaturaliter quidem ostenso, sed cum intelligentia significati talis ostensi, ut illa quam habuerunt ipsimet supradicti Daniel, Joseph aliique Prophetæ, et S. Joannes Evangelista in Apocalypsi, et cetera. Distinguit postea idem S. Bonaventura visionem intelligentiæ in plures species ; et sunt : visio intelligentiæ per naturam inditæ, quia *signatum est*

Corporalis.

Imaginaria.

Intellectualis.

[1] *De lumin. Eccl.*, serm. 3. — [2] Dan. v, 25. — [3] Gen. XLI, 2-6.

super nos lumen vultus[1] Domini. Secunda, intelligentiæ per fidem elevatæ, quia fidelis perfectius intelligit objecta fidei communia quam infidelis ; alia vero non communia fidelis tantum intelligit, nullo autem modo infidelis. Tertia, intelligentiæ per Scripturam eruditæ, quia melius intelligit divina theologus vel alius fidelis, qui lectioni et studio sacræ Scripturæ incumbit, quam ceteri. Quarta, intelligentiæ per prophetiam illustratæ ; Prophetæ enim, dum eis Deus revelat, vident et intelligunt illa perfecte ; alii autem, quibus Prophetæ ea narrant, non ita. Quinta est visio intelligentiæ in Deum absorptæ per raptum seu extasim, quando Deus vult extaticis seu raptis aliquo, licet obscuro et confuso, modo se demonstrare, ut fecit cum Moyse et S. Paulo ; qui tamen non viderunt divinam essentiam clare, evidenter et ut in se est. Videndum nunc est an extatici aliquid videant, et quid et quomodo videant.

Revelatio quid sit.

Adverto secundo, quod revelatio aliud non est quam manifestatio alicujus rei occultæ, sive præteritæ, sive præsentis, sive futuræ. Deus autem aliquando servis revelat aliqua in bonum ipsorum vel proximi vel Ecclesiæ, ut ex pluribus sacræ Scripturæ locis manifestum est. Solet autem dupliciter revelare hominibus : vel immediate per seipsum, vel per Angelos; habemus pariter exempla sacræ Scripturæ in utroque Testamento, quamvis S. Augustinus doceat Deum per Angelos semper locutum fuisse, etiam Prophetis. Item notandum quod revelationes fieri solent vel in somno vel in extasi, vel extra extasim in vigilia.

Deus revelat immediate, vel mediante aliquoAngelo.

Omnium sensuum cognitiones vocantur visiones.

Adverto tertio, ex S. Bonaventura *De profectu religiosorum*[2], quod tot sunt genera visionum, quot revelationum ex parte modi apparendi, manifestandi et cognoscendi, sicut supra diximus : nempe corporales, imaginariæ et intellectuales. Et notat sanctus Doctor quod omnes cognitiones, quæ per omnes sensus habentur, in sacro Textu

[1] Ps. IV, 7. — [2] Lib. II, c. 75.

appellari solent visiones ; nam de Hebræis dicitur : *Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ* [1], et cetera. Quidquid ergo per quemlibet sensum cognoscitur, quum præter naturam apparet, dicitur visio. Si vero per species sensibiles illa eadem vel alia sensibilia cujuscumque sensus in phantasia appareant, dicuntur visiones imaginariæ. Si tandem illa eadem per species spirituales seu intelligibiles intellectui appareant, dicuntur visiones intellectuales ; omnia enim sensibilia hoc triplici modo cognosci possunt, et hoc eodem triplici modo possunt a Deo demonstrari, et eodem triplici modo, Deo permittente, possunt a dæmone deceptore repræsentari. Spiritualia vero non sic, sed modo spirituali, id est, per intelligibiles tantum species repræsentari possunt.

Tripliciter apparere possunt sensibilia.

Non sic spiritualia.

Adverto quarto, quod ipsæmet visiones dici possunt revelationes et e contra, si de rebus occultis, sive futuris sive præsentibus sive præteritis, sint ; ex parte enim Dei, vel etiam deceptoris dæmonis, ostendentis aliquo ex modis supradictis, dicitur revelatio, maxime quando adest locutio corporalis imaginaria vel intellectualis : his enim omnibus modis Deus revelavit et Sanctis et aliis servis suis, ut Adæ, Noe, Abrahæ, Moysi et Prophetis, quatuor majoribus et duodecim minoribus, Job, David, Salomoni, et ceteris, ac S. Joanni in Apocalypsi. Ex parte autem recipientis dicitur visio, auditio, et cetera, juxta modum ostensionis, et tamen appellabitur visio ; aut si adsit locutio, dicetur revelationis receptio seu auditio.

Visiones dici etiam possunt revelationes.

Adverto tandem quod, dum quærimus an alicui in extasi Deus aliquid novum revelet, sensus non est de revelatione obligante Ecclesiam tanquam articulo fidei vel alio modo, sed sensus est de revelatione privata ad utilitatem ipsius extatici vel proximi vel cœtus fidelium, sine obligatione aliquid de novo credendi, sicut per Prophetas multa mala Deus comminabatur populo, et multa bona facienda hortabatur ; et tunc per Ecclesiam examinanda esset talis

[1] Exod. xx, 18.

revelatio, si ex Deo esset, an ex proprio contemplativi cerebro; quia etiam per puerum Samuelem Deus comminatus est Heli et filiis ejus multa mala [1].

Duo discutienda.

His autem suppositis, duo discutienda sunt: primum, an extatici habeant novas visiones seu revelationes; secundum, quomodo discernantur an sint bonæ ac divinæ, an malæ et dæmoniacæ.

Extasibus non sunt necessario connexæ visiones supernaturales.

Dico primo: Extasi, raptui aut simplici contemplationi non sunt semper aut de necessitate conjunctæ visiones aut revelationes divinæ; sed istæ conceduntur cui ex sua benignitate vult Deus.

Probatur prima pars: Favores seu gratiæ istæ pendent a mera Dei voluntate; nusquam autem in sacra Scriptura videntur promissa aut decreta alicui actionum aut personarum generi: ergo non sunt de necessitate connexa extasi, raptui aut simplici contemplationi.

Ex facto et experientia constat.

Confirmatur ex facto, quia contemplativi quamplures nec visiones nec revelationes habuerunt vel habent, sed simplices illustrationes juxta objecta quæ contemplantur; et qui extasim seu raptum patiuntur, eodem modo se habent; non enim omnes neque semper aliquid novum vident aut audiunt, sed circa credenda et agenda magis illuminantur; raris autem, etiam in contemplatione infusa, et rarissimis in acquisita, ejusmodi visiones ac revelationes a Deo conceduntur, ut docet experientia.

Visiones et revelationes non semper sunt signa sanctitatis.

Confirmatur secundo: Visiones et revelationes, etiam divinitus concessæ, non semper sunt signa sanctitatis in eo qui eas accipit; igitur non fuit necessarium ut Deus statueret eas concedere contemplantibus, etiam extaticis aut raptis. Antecedens patet de visionibus; quia, ut notat S. Bonaventura, plures gentiles et scelesti etiam visiones divinas habuerunt; Pharao enim, ut supra dixi, vidit boves pingues et extenuatos, spicas plenas et vacuas, et harum alteras devorare alias. Balaam magus vadens ad maledicendum populo Dei, locuta asina et renuente ul-

[1] I Reg. III.

terius incedere, videt Angelum evaginato gladio contra se stantem. Nabuchodonosor vidit prima vice statuam magnam vario et miro modo compositam ; alia vice vidit arborem magnam per totam Asiam extensam, et animalia sub ea pascentia : quas visiones declaravit Daniel. Baltassar filius Nabuchodonosor in convivio vidit manum in pariete incognitis characteribus scribentem ; et alii plures has visiones cœlitus concessas viderunt, qui tamen ethnici erant.

Revelationes divinas etiam mali habuerunt.

De revelationibus etiam certum est quod plures ethnici et scelesti eas habuerunt. Patet primo de Cain, cui bis locutus est Deus ; de Pharaone, cui, rapta uxore Abrahæ, Deus præcepit ut restitueret; de Abimelech philistæo rege, cui, rapta pariter uxore Abrahæ, Deus dixit ut redderet, quia erat uxor istius qui erat propheta et oraturus erat pro illo, et parcebat ipsi regi Deus, quia cum simplicitate fecerat. Tandem, ut alia exempla omittam, patet de Laban idololatra, socero et avunculo Jacob, cui hunc insequenti Deus dixit in somno : *Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob*[1]. Patet ergo quod visiones et revelationes divinæ non conceduntur solis sanctis, sed etiam aliis ; neque omnibus omnino, sed juxta divinæ sapientiæ dispensationem. Et sic mirari non debent contemplativi, si nec in extasi (si quandoque eis accidit) nec extra extasim obtinent visiones aut revelationes divinas ; quia non sunt effectus necessario consequentes contemplationem aut extasim, sed effectus et favores divinæ providentiæ.

Contemplativis aliquando Deus concedit visiones sive in extasi sive extra.

Dico secundo : Aliquando contemplativis, sive in extasi sive extra eam, Deus concedit visiones aliquas aut revelationes novas in bonum proprium vel aliorum; et aliquando etiam extra contemplationem in vigilia aut in somno.

Exempla in somno vel extasi.

Probatur facile incipiendo ab ultimo, nempe in somno vel extasi. Revelavit Deus Adam quod tulerat unam de costis ejus, et repleverat carnem pro ea, et ædificaverat eam

[1] Gen. xxxi, 24.

in mulierem [1]; item quod matrimonii vinculum esset perpetuum, quia per os Adam dixit Deus : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* [2]. In somno Jacob visionem et revelationem habuit : *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam; et Dominum innixum scalæ* [3]. Habuit etiam tunc revelationes ; Deus enim tunc multa illi promisit, ut ibi legere est : *Et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ* [4], scilicet in Messia ab omnibus nationibus recipiendo. Joseph, ejus filius, in somno duas illas visiones habuit, quæ, fratribus narratæ, fuerunt causa suæ persecutionis et venditionis. Vidit primo se cum fratribus in campo ligare manipulos, et manipulum suum stare, et manipulos fratrum adorare suum ; alia vice vidit solem et lunam et stellas undecim adorare se [5] : quæ post viginti quatuor fere annos acciderunt, quum in Ægypto prorex adoratus fuit a patre et fratribus.

S. Joseph, sponsus B. semper Virginis, in somno habuit visionem Angeli et revelationem quod ejus sponsa erat gravida de Christo, sed opere Spiritus Sancti [6]. In somno pariter, exiens e Jerusalem post purificationem Mariæ et præsentationem Christi in templo, habuit revelationem : *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum;... futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum* [7]. Tertia vice, dum esset in Ægypto, defuncto Herode, iterum apparuit ei Angelus in somnis et revelans : *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri* [8].

Visiones et revelationes in vigilia.

De visionibus et revelationibus habitis in vigilia habemus innumera sacræ Scripturæ exempla. Omnium primum est quum Deus, creatis Adam et Eva, eis apparuit, multa-

1 Gen. II, 22, 23. — 2 *Ibid.*, 24. — 3 *Ibid.* XXVIII, 12, 13. — 4 *Ibid.*, 14. — 5 *Ibid.* XXXVII, 7-9. — 6 Matth. I, 20, 21. — 7 *Ibid.* II, 13. — 8 *Ibid.*, 20

que eis dixit simul : *Crescite, et multiplicamini*[1]... Alia vice, quum post peccatum eisdem apparuit, et multa (proh dolor !) dixit ac prædixit. Apparuit deinde Cain bis, multaque ei dixit ac prædixit ; apparuit Noe, multaque ei dixit ac prædixit[2] ; apparuit pluries Abraham, et plura ei revelavit[3] ; apparuit Isaac ac multa ei revelavit[4] ; apparuit pluries Jacob, sæpissime Moysi, ut ex tot locis Exodi, Levitici, Numeri et Deuteronomii patet ; alias innumeras omitto. Apparitiones istæ et revelationes, ut alias omittam, patet quod in vigilia fuerunt. Advertit tamen S. Augustinus quod non Deus immediate apparebat, sed per Angelum aliquem in persona Dei loquentem.

Apparitiones et revelationes in extasi.

De apparitionibus et revelationibus in extasi aliqua etiam habemus exempla in sacra Scriptura. Primum est de Adam, quum Deus misit soporem in illum (alii dicunt excessum eique revelavit ea) quæ supra dixi. Exemplum secundum est de Abraham, quum *sopor irruit super* (eum) *et horror magnus et tenebrosus invasit eum*[5], et tunc Deus revelavit ei multa, ut ibi. Tertium de Moyse in monte Sina in quo, extra se posito sine cibo et potu per dies quadraginta, duplici vice Deus ei revelavit nedum legem, sed structuram tabernaculi adamussim cum singulis partibus, institutionem et consecrationem sacerdotis, vestes ejus, ritum sacrificiorum, et cetera plura.

In novo Testamento habemus extases et apparitiones et revelationes factas SS. Petro ac Joanni apostolis : *Cecidit super eum* (Petrum) *mentis excessus, et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam... In quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ et volatilia cœli. Et facta est vox ad eum : Surge, Petre ; occide et manduca*[6], et cetera, ut ibi : quam revelationem postea ipsemet S. Petrus narrat quod significabat conversionem gentium ad fidem[7]. De S. Joanne habetur in Apocalypsi[8] quod in spiritu vidit

1 Gen. I, 28. — 2 *Ibid.* VI. — 3 *Ibid.* XII, XVII, XVIII. — 4 *Ibid.* XXVI. — 5 *Ibid.* XV, 12. — 6 Act. X, 10-13. — 7 *Ibid.* XI, 5 et seq. — 8 *Apoc.* I, 10.

et audivit omnia illa mirabilia quæ per viginti duo capitula narrat.

Dæmoniacæ visiones.

Dico tertio : Dantur etiam præternaturales visiones et revelationes dæmoniacæ in somno, in vigilia et in extasi.

Probatur facile ex dictis de extasi, quia dæmon, ut decipiat, *transfigurat se in Angelum lucis* [1] ; ideo Satanas vocatur, id est insidiator ; et, sicut monet S. Petrus, semper *circuit quærens quem devoret* [2]. Adducam duo solemnia sacræ Scripturæ exempla de visionibus et apparitionibus in vigilia. Diabolus intrans in corpus serpentis loquitur cum Eva, interrogans cur non comederent de quodam fructu exsistente in medio paradisi ; et dicente illa quod prohibuerat Deus, ne forte morerentur, *dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum* [3]. Quidnam clarius facto diaboli circa Salvatorem nostrum in deserto, in pinnaculo templi et in monte (ipso Domino permittente), qui dicto, facto et promissione regnorum, cum ostensione illorum in sensibilibus speciebus, Domino apparens eum tentavit ; si autem Sanctum Sanctorum decipere tentavit, quid faciet cum miseris hominibus qui deceptionis sunt capaces ?

Notabilis casus in sacra Scriptura.

Imo, quod valde notandum est, in hoc gloriatur diabolus, quod homines decipiat et faciat eos mendacia prophetare suggerens eis mendacia. Casus notabilis habetur in libro tertio Regum : cogitans rex Juda Josaphat, cum rege Samariæ Achab bellum committere contra regem Syriæ, consuluerunt Michæam prophetam de belli exitu. Hic sanctus Propheta, consulto Domino, dixit : *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris et a sinistris ; et ait Dominus : Quis decipiet Achab, regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad ?... Egressus est autem spiritus* (id est diabolus), *et stetit coram Domino, et ait : Ego decipiam illum.*

[1] II Cor. xi, 14. — [2] I Pet. v, 8. — [3] Gen. iii, 4, 5.

Cui locutus est Dominus : In quo ? Et ille ait : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies, et prævalebis ; egredere, et fac ita[1]. Et ita factum est ; quia prophetæ Achab dixerunt eum reportaturum victoriam, contrarium dicente Michæa, propter quod alapam in facie accepit a Sedecia pseudopropheta Achab, et a rege Achab missus est in carcerem usque ad exitum belli, quod inire voluit ex falsa revelatione pseudoprophetarum : quod tamen ei pessime cessit, quia exercitus totus fusus est, et rex ipse Achab cum aliis mortuus est. En quanta ruina dæmoniacæ revelationis de futura victoria !

Alias innumeras apparitiones et revelationes, tam divinas quam dæmoniacas, ex chronicis et Vitis Sanctorum excerptas non curavi hic adducere, licet in præcedenti capitulo nonnullas adduxerim, quia possunt in Vitis Sanctorum legendis passim reperiri ; sed curavi canonicas referre, a quibus procul est omnis dubietas.

Notabile de modo apparendi et revelandi.

Hoc tamen pro certo supponendum, quod, si apparitiones sunt externæ et sensibiles, sive divinæ sive dæmoniacæ, in corporibus assumptis vel aereis fiunt ; si autem internæ et sensibiles, in speciebus imaginariis seu phantasmatibus ; si pure intelligibiles, per species intelligibiles seu spirituales, ut de contemplatione pure spiritualium acquisita vel infusa in suis locis dictum est.

Signa cognoscendi qualitates visionum.

Dico tandem : Signa quibus cognosci potest an visiones aut revelationes sint divinæ vel dæmoniacæ, sunt illa eadem quæ assignavimus in præcedenti capitulo de extasi naturali divina ac dæmoniaca, ibi videnda.

Eadem ac signa extasum.

Ratio est, quia ex eisdem principiis provenire possunt tam extases quam visiones ac revelationes : divinæ quidem ad bonum finem, dæmoniacæ vero ad malum ; ideo ex fine facile dignoscentur. Item divinæ rem honestam ostendunt aut consulunt vel præcipiunt ; secus dæmoniacæ. At quoniam rem honestam et propter finem bonum saltem

[1] III Reg. XXII, 19-22.

apparentem potest diabolus demonstrare aliquid in visione, et consulere aut præcipere in revelatione, tunc contemplans debet se Deo commendare ut illuminetur, et doctiores consulere si res nova sit et insolita; si enim cum humilitate et absque vanitate cupiat edoceri, non permittet Deus eum decipi : *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum,* ait Apostolus [1].

Notanda plura ad cognoscendum dæmoniacas visiones et revelationes.

Divinæ reddunt tranquillum et quietum; et licet, ut supra dixi, initio interdum turbent, postea tamen hilarem et quietum reddunt; dæmoniacæ e contra, vel ab initio turbant et sic prosequuntur, vel, si initio alliciunt et suaves apparent, in progressu tamen semper turbant et inquietant ac inquietum relinquunt. Exempla istorum in præcedenti capitulo allata sunt, quæ replicare non oportet. At hoc semper firmum tenendum est, quod apparentiæ inhonestæ ac deformes semper dæmoniacæ sunt; secundo, si ad nullum finem vel non bonum sint, ejusdem farinæ sunt. Item revelationes vel consilia, si contra legem Dei vel Ecclesiæ vel aliam approbatam, aut contra bonos mores, aut contra consuetudinem ecclesiasticam, dæmoniacæ sunt. Si bona consulantur, sed cum laude et encomio ejus cui consulitur, suspecta sunt de dæmoniaco consilio : divina siquidem consilia, ut dicit S. Jacobus [2], modesta et pudica sunt, et absque vanitate. Ab omni autem deceptione Dei servus liberabitur, si ejusmodi visiones et revelationes non ambiat. Et si ad ejus probationem Deus permittat illum aliquas pati a dæmone, quum de eis dubitat, Deo se commendet, et Angelum suum custodem et Sanctos suos patronos oret, ut pro ipso intercedant apud Deum, ne decipiatur.

[1] I Cor. x, 13. — [2] Jac. III, 17.

OPUSCULUM SEXTUM

DE

DISPOSITIONIBUS REQUISITIS

AD VITAM CONTEMPLATIVAM

INCIPIENDAM ET PROSEQUENDAM

CAPITULUM PRIMUM.

DE VOCATIONE AD VITAM CONTEMPLATIVAM.

Qui sunt contemplativi.

Quomodo intelligitur quod per totam vitam quis contempletur.

Advertо et frequenter in memoriam revoco id quod docet S. Thomas [1], quod « contemplativi dicuntur non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant; » non quia continue tota die ac nocte in contemplatione debeant perseverare, ut hæretici Euchitæ docebant : hoc enim impossibile est. Imo S. Gregorius [2] super illud Apocalypsis : *Factum est silentium in cœlo, quasi media hora* [3], dicit tanto tempore et vix durare posse contemplationem in hac vita, nam anima a strepitu naturalium cogitationum perturbata ad eas revocatur; sed intelligitur sic, quod per totam vitam debet servare ea quæ requiruntur in homine vitam contemplativam du-

[1] 2. 2, q. 81, art. 1 ad 5. — [2] *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [3] Apoc. VIII, 1.

cente, ut munditiam cordis, vitiorum ac passionum per frequentes virtutum actus abolitionem, sacramentorum frequentiam, a sæculi curis, negotiis, honoribus ac deliciis abstinentiam, solitudinem, sacræ Scripturæ ac librorum spiritualium lectionem, jejunia, ac cetera in sequentibus adducenda juxta personarum conditionem. Qui ergo hæc per totam vitam exsequitur, et statutis temporibus contemplationi vacat, dicitur contemplativam vitam ducere, et vere ac proprie contemplativus; non vero qui, curis sæculi, ambitioni, conversationibus ac deliciis dediti, vitamque, sicut ceteri, non spirituales sed mundani ducentes, actus contemplationis quandoque eliciunt : his enim contemplativi nomen nullo modo competit, quod perfectorum vel etiam supradicto modo proficientium ac degentium proprium est.

Qui non debent dici contemplativi.

De his ergo qui contemplativorum numero adscribi cupiunt in toto hoc opusculo loquar ; et ab ovo, ut dicitur, id est a principio, ac deliberatione ad vitam contemplativam incipiendam exordiar : quod quidem a Deo vocante est.

Initium vitæ contemplativæ est divina vocatio.

Dico ergo : Initium vitæ contemplativæ, primumque omnium prærequisitum ad illam, est divina vocatio, vel interna tantum, vel externa cum interna.

Probatur primo, ex S. Joanne : *Sine me nihil potestis facere* [1], id est nihil boni spiritualis conducentis ad salutem ; secundo, ex epistola S. Jacobi : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* [2] ; tertio, ex secunda ad Corinthios : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* [3]. Et ideo ex Concilio Arausicano secundo [4], in omni opere bono gratia Dei præcedit ut fiat ; et in canone ultimo legitur : « In omni opere bono quod facit homo, Deus est qui incipit ; et falsum est dicere quod homo incipit et postea Deus adjuvat. »

Omne opus bonum a Deo est.

Dixi, vel vocatione interna, quia sæpenumero Deus

[1] Joann. xv, 5. — [2] Jac. i, 17. — [3] II Cor. iii, 5. — [4] Can. 18.

excitat et illuminat hominem ad bonum aliquod faciendum, absque eo quod quis externa voce vel lectione libri aliquid de illo audierit vel legerit, verbi gratia ad statum vitæ eligendum, ut religiosum, et cetera; vel excitat, illuminat ac inspirat ut librum aliquem legat vel personam aliquam adeat, non innuens ei finem ob quem ad legendum vel adeundum impellat; et ex lectione libri vel conversatione cum persona innotescit sibi aliquod bonum opus vel status aliquis vitæ vel exercitium spirituale quod sibi, Deo inspirationem prosequente, placet, et idem, Deo adjuvante, aggreditur. Ita prorsus multis accidit, qui vitam contemplativam aggrediuntur.

Aliquando vocatione interna Deus vocat.

Dixi, vel externe ac interne vocantur, sic enim regulariter accidit, nempe vel aliquo modo speciali per Angelum, ut fecit Deus cum Cornelio centurione gentili, dum eum vocavit ad fidem, vel mediantibus prædicatoribus, ut factum est per Apostolos, per discipulos eorum ceterosque qui mundum universum converterunt ad fidem, imo et per ipsummet Salvatorem, quum per annos tres et amplius prædicavit, et multos suis concionibus, miraculis et vitæ sanctitate ad se traxit; vel librorum lectione, vel ex Sanctorum miraculis, ut de tot myriadibus conversorum legimus. Sic ad contemplativam vitam vocantur qui ei vacant; iis enim mediis eos Deus ad illa vocat.

Regulariter interne et externe fit vocatio.

Dixi, simul cum interna, non enim sufficit externa vocatio per prædicatorem vel lectionem librorum ad opus bonum supernaturale peragendum, et multo minus ad statum vitæ deligendum, ut male docuit Pelagius, acriter a S. Augustino impugnatus. Docebat enim gratiam Christi, quæ ad bona opera facienda est necessaria, esse legem seu doctrinam evangelicam, et hanc cum libero hominis arbitrio sufficere insipienter docebat; et hæretice requiruntur enim interna excitatio, illuminatio et inspiratio, et adjuvans auxilium, dum auditur aut legitur doctrina, ut quis possit bene ac supernaturaliter operari. Ideo S. Augustinus, super illud : *Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus* (id est Spiritus) *docet*

Non sufficit externa vocatio.

Interna semper necessaria ad opus bonum.

vos de omnibus [1],... multa dicit de internis auxiliis et vocationibus : « Jam hic videte magnum sacramentum, fratres : sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est... Si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster... Magisteria forinsecus, adjutoria quædam sunt et admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet. Propterea ait et ipse in Evangelio : *Magister vester unus est Christus* [2]. Ipse ergo vobis intus loquitur, quando nemo hominum illic est... Interior est magister qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi illius inspiratio et unctio illius non est forinsecus, inaniter perstrepunt verba [3]. » Deinde adducit exemplum de agricola aquam fundente circa arborem, qui tamen dare non potest virtutem faciendi poma : sic et prædicator, prædicans doctrinam, non potest dare virtutem exsequendi, concludens cum S. Paulo dicente : *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus* [4]. Semper igitur ad bonum operandum et statum vitæ eligendum Deo gratum, est necessaria interna vocatio, seu illuminatio ac inspiratio.

Initio et prosecutione vitæ contemplativæ est necessaria gratia Dei.

Sicut autem, ut initium detur vitæ contemplativæ, necessaria est divina inspiratio, sic in prosecutione est necessarium divinum adjutorium ad singulos actus bonos et supernaturales necessariosque ad acquisitionem, progressum et statum vitæ contemplativæ, — de quibus mox loquemur, — et ad vitiorum resecationem per virtutum exercitium et passionum domationem, tentationum victoriam, sæculi negotiorum ac pomparum deliciarumque fugam, et alia his similia superanda, per quorum remotionem homo de carnali fit spiritualis Deoque dicatus. Pro his ergo omnibus contemplationi vacaturis, nedum singulis diebus et horis, sed singulis momentis Dei auxilia sunt necessaria; quapropter confidenter Deum ac frequen-

Deus frequenter orandus.

[1] I Joann. II, 27. — [2] Matth. XXIII, 10. — [3] Aug. *In epist. Joann. ad Parthos*, tract. 3. — [4] I Cor. III, 6, 7.

ter orare quis debet, ut illum in suo exercitio, ad quod vocatus est, adjuvare non desinat, et confidat sic futurum, quum Salvator sic promiserit : *Petite, et dabitur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit*[1], et cetera.

CAPITULUM II.

AN AD VITAM CONTEMPLATIVAM ACQUIRENDAM PRÆREQUIRATUR PURGATIO VITÆ, ET IN QUO CONSISTAT.

Tres viæ ad perfectionem acquirendam.

Adverto communem, ut S. Bonaventura notat, esse mysticorum sententiam, quod ad montem perfectionis seu ad perfectam, quæ in hoc sæculo obtineri potest, vitam regulariter per tres vias successive ac ordinate incedendum est : nempe per purgativam, illuminativam et unitivam. De singulis istis erit sermo. At de prima, quæ ante alias calcanda est, hic loquimur.

Adverto secundo, quod, sicut ait S. Gregorius[2], nemo de repente fit summus ; ideo, quia purgatio vitiorum ac defectuum in vocatis a Deo ad contemplationem difficillima est, imo impossibile regulariter quod fiat illico vel in parvo tempore, paulatim et cum discretione directoris facienda est ; alioquin incipientes, difficultate impotentiæ obruti, antequam inciperent, a proposito etiam incipiendi recederent. Quæ autem purganda erunt, passim dicam.

Primo curare debent ut sint sine mortali peccato.

Dico primo : Omnium primo, nedum incipientes vitam contemplativam, sed et proficientes ac perfecti curare debent, ut sint sine mortali peccato : ideo hæc erit prima purgatio.

Probatur ex S. Bernardo, qui in tractatu *De interiori domo* ait : « Prius tergere debet speculum animæ non solum a peccatis operis, verum etiam et cogitationis ;....

1 Matth. VII, 7, 8. — 2 *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2.

Deus enim, qui munditiæ amator est, cor pollutum habitare non potest. Cor a terrenis retrahere debet. Exterso igitur speculo,... incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, et immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex hujus luminis visione animus inflammatus incipit munda cordis acie superna et interna conspicere, Deum diligere eique inhærere [1]. » Et infra [2] : « Qui vult contemplationi veritatis vacare, necesse est ut discat quiescere non solum ab operibus malis, sed etiam a cogitationibus supervacuis. Multi siquidem, etsi sciant vacare corpore, minime tamen valent vacare corde, nescientes facere sabbatum ex sabbato, et ideo non valent implere illud psalmi : *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* [3]. Nam et Salvator ipse ait : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [4]. » Contemplatio autem, ut sæpe diximus, est intuitus alicujus divinæ veritatis, et *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* [5]. Et *peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* [6] ? Et *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum* [7], id est in peccato exsistentem. Quoniam ergo homo vacaturus contemplationi, Spiritus Sancti dona est recepturus et sapientiæ divinæ particeps futurus, omnium primo animam a peccatis purgare debet per Pœnitentiæ sacramentum, et curare cum Dei auxilio sic purgatam conservare.

Qui sine peccato sunt contemplari valent.

Dico secundo : Vacaturus contemplationi purgare se debet ab omni habitu vitioso et ab omni mala inclinatione, ut se purum et immaculatum, quantum fieri potest, coram Deo exponat, juxta S. Bonaventuræ doctrinam.

Ab omni vitii habitu debet purgari.

Probatur ex longo discursu S. Bonaventuræ, qui sic loquitur : « Si ergo vis purgari, verte te ad conscientiæ stimulum; si illuminari, ad intelligentiæ radium; si perfici, ad sapientiæ igniculum [8]. » Deinde de primo ait :

Documenta sancti Bonaventuræ pro purgatione.

[1] Bern. *De inter. domo*, c. 6, al. 13. — [2] *Ibid.*, c. 41, al. 91. — [3] Ps. XXXIII, 9. — [4] Matth. V, 8. — [5] Sap. I, 4. — [6] Ps. XLIX, 16. — [7] Sap. I, 5. — [8] Bonav. *Incend. amor.*, c. 1.

« Ad stimulum conscientiæ debet homo exercere seipsum, hoc modo meditando in via purgativa, scilicet ut primo seipsum exasperet, secundo exacuat, tertio dirigat; nam exasperandus est recordatione peccati, exacuendus circumspectione sui, et rectificandus consideratione boni. Peccati autem recordatio debet esse in hunc modum, ut arguat se animus de multiplici negligentia, concupiscentia et nequitia; fere enim omnia peccata reduci possunt ad hæc tria. Circa negligentiam, recogitare debet homo si in se fuerit negligentia cordis custodiendi, temporis expendendi et finis intendendi; debet enim bene custodire cor, tempus utiliter expendere, et finem debitum in omni opere præcogitare. Secundo, cogitare debet si fuerit negligens in oratione, in lectione et in boni operis exsecutione... Tertio, debet cogitare sollicite si fuerit negligens ad pœnitendum, ad resistendum et ad proficiendum; debet enim unusquisque summa cum diligentia deflere culpam commissam, repellere tentationem diabolicam, proficere de una virtute in aliam, ut possit pervenire ad terram promissam.

Circa negligentiam.

« Circa concupiscentiam autem debet cogitare homo si in eo vivat concupiscentia voluptatis, curiositatis et vanitatis, quæ sunt radices totius mali. Primo igitur recogitanda est concupiscentia voluptatis, quæ tunc in homine vivit si fuerit in eo appetitus dulcium, mollium et carnalium : hoc est, si homo quærat cibaria saporosa, vestimenta deliciosa et oblectamenta luxuriosa; quæ omnia non solum reprehensibile est appetere cum consensu, sed etiam debet homo respuere primo motu. Secundo, recogitanda est concupiscentia curiositatis, si vivat vel vixerit in homine; hoc autem deprehenditur quum quis appetit scire occulta, videre pulchra et habere cara. In omnibus his est vitium avaritiæ et curiositatis. Multum reprehensibile est hoc in homine. Tertio, recogitanda est concupiscentia vanitatis, quæ tunc vivit in homine si in eo fuerit appetitus favoris, laudis et honoris : quæ omnia vana sunt, et hominem vanum reddunt; et ita fugienda sunt, sicut con-

Circa concupiscentiam.

cupiscentia mulierum. Et de omni tali debet conscientia arguere cor humanum.

Circa nequitiam.

« Circa nequitiam autem debet cogitare homo, si in se vigeant vel aliquando viguerint iracundia, invidia et acedia; quæ faciunt hominem nequam. Primo, iracundiæ nequitia recogitanda, quæ consistit in animo, in signo et in verbo, vel in corde, in facie et in clamore, vel in affectu, affatu et effectu. Secundo, recogitanda est nequitia invidiæ, quæ in alienam prosperitatem tabescit, in aliena adversitate hilarescit, et in aliena mendicitate refrigescit. Tertio, recogitanda est nequitia acediæ, ex qua oriuntur suspiciones malæ, cogitationes blasphemæ et detractiones malignæ. Omnis enim talis nequitia multum detestanda est. Ex hac trifaria recordatione triplicata debet exasperari stimulus conscientiæ et amaricari anima, ut possit homo consequi salutem.

« Videndum modo est quomodo exacuendus sit stimulus conscientiæ in circumspectione sui. Tria autem debet homo circa se circumspicere, scilicet diem mortis imminentem, sanguinem Christi recentem, et faciem Judicis præsentem. In his tribus acuitur stimulus conscientiæ contra omne malum [1]. »

Processus et terminus purgationis per viam meditationis.

Post hæc sequitur S. Bonaventura : « Tria sunt bona meditanda, in quorum acquisitione rectificatur stimulus conscientiæ, scilicet strenuitas contra negligentiam, severitas contra concupiscentiam et benignitas contra nequitiam ; his enim tribus habitis, fit conscientia bona, munda et recta... Primo igitur inchoandum a strenuitate, quæ viam præbet aliis ; est enim vigor quidam animi excutiens omnem negligentiam, et disponens animam ad omnia bona opera facienda... Secundo sequitur severitas, quæ est quidam vigor animi restringens omnem concupiscentiam, et habilitans animam ac ferventem reddens ad amorem asperitatis, paupertatis ac utilitatis. Tertio sequitur benignitas, quæ est quidam dulcor animæ excludens omnem

1 Bonav. *Incend. amor.*, c. 1.

nequitiam, et habilitans animam ad benevolentiam, tolerantiam, et ad internam lætitiam. Et hic est terminus purgationis secundum viam meditationis ; nam omnis conscientia munda, læta est et jucunda. Qui igitur purgari vult, vertat se modo prædicto ad stimulum conscientiæ. In prædicta tamen exercitatione, a quolibet præmissorum potest inchoari nostra meditatio. Transeundum est etiam ab uno in aliud, et tamdiu immorandum, quousque tranquillitas et serenitas acquiratur et percipiatur, ex qua oritur spiritualis jucunditas ; qua adepta, promptus est animus ut sursum tendat. Incipit ergo via illa a stimulo conscientiæ, et terminatur in affectum spiritualis lætitiæ[1]. » Hæc et alia plura S. Bonaventura.

Purgatio fit per virtutum moralium exercitia.

Hæc autem purgatio, ut manifeste patet, fit per exercitium omnium virtutum moralium, id est, per dictamina et principia eorum per quæ actus illarum exercentur, passiones concupiscibilis domantur ac refrenantur ; et per frequentationem actuum illorum habitus acquiruntur, quibus acquisitis, adest in anima pax a passionibus, et fit magis capax divinarum illuminationum quæ contemplativis solent a Deo concedi.

Nec prætermittendum puto quæ alii doctores mystici de ejusmodi purgatione contemplativis, præsertim incipientibus, necessaria tradunt ; quæ tamen sub aliis terminis et phrasibus eadem sunt cum relatis ex Doctore Seraphico. At pro devotorum notitia breviter ea percurram.

Ex sententia aliorum purgatio facienda domatione vel refrenatione passionum.

Quoniam, inquiunt, et bene, anima multis modis a passionibus turbatur et quatitur, non poterit quis contemplationi, nec meditationi, imo nec ulli operi bono vacare, nisi illæ vel superentur per contrarios virtutum actus, vel refrenentur. Sunt autem sequentes : amor, desiderium, gaudium, odium, abominatio, fuga, tristitia, spes, desperatio, audacia, timor et ira. Omnes autem istæ passiones, si secundum regulam rationis moderentur, ad actus bonos inducunt, si contra regulam rationis, ad ma-

1 Bonav. *Incend. amor.*, c. 1.

los; ideo aliqua de his moderandis regula est assignanda, ne ad malum inducant.

Amoris. Amoris passio potest ad malum inducere ratione objecti, finis vel modi; nam multa objecta mala sunt ac prohibita, et hæc certe amanda non sunt, multa vero bona et licita; tamen amor eorum esse potest malus ratione finis mali, vel ratione excessus seu modi in amando, — verbi gratia, cognati, amici, bona necessaria ad victum et vestitum, bona fama, scientiæ, et cetera similia, — et amor eorum moderari debet ratione finis, ut propter summum amabile, nempe Deum, amentur, et in eorum amore non excedatur.

Desiderii. Desiderii passio seu concupiscentiæ, quæ ex amore alicujus rei nascitur, vel est circa rem malam ac prohibitam, vel circa bonam et licitam. Hæc etiam, ut passio amoris, moderanda est.

Gaudii. Gaudii seu delectationis passio, quæ est motus quidam sensitivi appetitus quiescens in termino seu objecto amato ac possesso, de prohibito nunquam debet admitti, de licito vero non debet excedere, sicut dictum est de desiderio: quia hoc est circa absens, gaudium vero circa præsens.

Odii. Odii passio, quæ est fuga alicujus objecti apprehensi ut sibi nocivi, sic regulari debet ut semper omne malum morale seu prohibitum odio habeatur; non sic autem omnia mala naturalia, nisi ea quæ lædunt vitam, membra, bona famæ ac fortunæ; quæ tamen, si accidant, ad mortificationem bono animo et cum conformitate ad Dei voluntatem sunt acceptanda.

Abominationis. Abominationis seu fugæ passio, quæ provenit ex amore et concupiscentia sui, timente malum aliquod sibi inferendum, sicut odium debet regulari.

Doloris. Doloris ac tristitiæ passio, quæ oritur ex iis quæ nobis nolentibus accidunt, sicut ex possessione objecti amati oritur gaudium et delectatio, quum sit angustia quædam et oppressio animi, moderanda est, ne sit immoderata et turbet rationem; omnia enim mala nobis advenientia, tanquam a Deo immissa, toleranda sunt.

Spei passio, quum sit motus quidam appetitivæ potentiæ de re absente et ardua obtineri, — et differat a desiderio, quia hoc abstrahit a possibili et impossibili, spes vero est circa possibile, — de malo nunquam est permittenda ; de bono autem admitti potest sine excessu mediorum, modi et finis, ne cum anxietate et inquietudine sit. Spei.

Desperationis passio, quæ est motus potentiæ irascibilis quando objectum speratum redditur impossibile vel non obtinetur, sic moderanda est : si objectum sit bonum et ad salutem necessarium, confidendo de Dei misericordia, si vero indifferens, non curando. Desperationis.

Audaciæ passio, quæ est motus irascibilis tendens in rem arduam non considerata virium potestate, omnino refrenari debet, nec permitti ut in actum exeat ; et per hoc differt a fortitudine, quia per hanc homo ardua quidem licita a ratione dictata aggreditur, sed prudenter pensata virium facultate. Audaciæ.

Timoris passio, quæ est ægritudo quædam animi quod imminenti malo resistere non possit, causans erubescentiam, stuporem et agoniam, moderari debet cum spe in Deo evadendi malum illud imminens, et se conformando ejus voluntati quatenus evadi nequeat, ut de Christo Domino in horto orante legimus sic fecisse in timore mortis. Timoris.

Iræ passio, quæ est motus irascibilis tendens in vindictam alicujus offendentis vel offensuri, moderari debet per patientiam ac fortitudinem, sicut de ipsomet Salvatore, toties injuriis, blasphemiis et lapidibus appetito, legimus. Iræ.

CAPITULUM III.

DE ALIIS DISPOSITIONIBUS ET PURGATIONIBUS AD CONTEMPLATIVAM VITAM NECESSARIIS.

Adverto quod, licet in documentis S. Bonaventuræ, in præcedenti capitulo allatis, contineantur omnes fere purgationum et dispositionum species quæ pro incipiente ac proficiente in vita contemplativa necessariæ sunt, tamen, ad claritatem et distinctiorem pro tironibus notitiam, dispositiones et purgationes multas prærequisitas, comitantes et subsequentes contemplativam vitam, referemus.

Mortificatio necessaria.

Adverto secundo, inter ejusmodi requisita et purgationes non inferiorem aut contemnendum locum tenere mortificationem, quam enixe commendat Apostolus : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* [1]. Et ad Colossenses : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* [2]. Et infra : *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram* [3]. Ideo de mortificatione tam sensitivæ quam rationalis partium hic loquemur, quæ alio vocabulo dicuntur mortificationes exterioris et interioris hominis ; quæ contemplativo sunt necessariæ, ut ad perfectionem perveniat.

Interioris et exterioris hominis mortificatio.

Unde dicitur mortificatio.

Adverto tertio, quod nomen mortificatus a morte derivatur ; sicut enim mortuus homo nullam animi perturbationem aut sensationem percipit, quantumcumque in illum desæviatur, ita mortificatus, ac si absque sensu esset, omnia percipit, et rationi ac legi divinæ, necnon et consiliis evangelicis conformis et imperturbatus vivit, quia car-

[1] Rom. VIII, 13, 14. — [2] Coloss. III, 2, 3. — [3] *Ibid.*, 5.

nem seu partem inferiorem spiritui subjecit. Itaque vere ac proprie mortificatio est voluntaria castigatio corporis vel animi, qua appetitus refrenatur non solum a perturbationibus illicitis gaudii, iræ, odii, concupiscentiæ, et cetera, sed etiam multoties a licitis, ut docet S. Gregorius [1].

Mortificatio sensuum necessaria ad vitam contemplativam.

Dico ergo primo : Ad contemplativam vitam perfecte acquirendam, necessaria est mortificatio sensuum circa omnia sensibilia.

Probatur : S. Augustinus, explicans verba S. Pauli ad Romanos : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* [2], ait : « Hoc est opus nostrum in hac vita : actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, refrenare, interimere. Quam multa enim proficientes non jam delectant, quæ antea delectabant? Quando ergo delectabat et non ei consentiebatur, mortificabatur ; quia jam non delectat, mortificatum est. Calca mortuum, transi ad vivum ; calca jacentem, conflige cum resistente. Mortua est enim delectatio una, sed vivit altera ; et illam, dum non consentis, mortificas ; quum cœperit omnino non delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra [3]. »

Ex Apostolo quomodo fit mortificatio.

Confirmatur ex Apostolo : *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* [4]. Deinde monet quomodo sacrificium hoc morale sit faciendum : *Non plus sapere quam oportet sapere ; sed sapere ad sobrietatem* [5]. Et post multa inquit : *Sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono ; caritate fraternitatis invicem diligentes ; honore invicem prævenientes : sollicitudine non pigri ; spiritu ferventes ; Domino servientes ; spe gaudentes ; in tribulatione patientes ; orationi instantes ; necessitatibus sanctorum*

[1] *Dialog.* lib. IV, c. 11. — [2] Rom. VIII, 13. — [3] Aug. Serm. 156, c. 9, al. *De verbis Apost.*, 13. — [4] Rom. XII, 1. — [5] *Ibid.*, 3.

communicantes ; hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : idipsum invicem sentientes ; non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes ; providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ... Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi... Noli vinci a malo, sed vince in bono malum [1]. Placuit totum hoc fere caput hic referre, quia multum facit ad totius hominis, tam exterioris quam interioris, — tam quoad sensitivam quam quoad rationalem partem, — mortificationem ac humiliationem, quæ est fundamentum mortificationis, totiusque spiritualis ædificii ac perfectionis.

Origenes, explicans verba Apostoli, consulentis ut offeramus corpora nostra hostiam Deo viventem, ait hoc fieri per mortificationem corporis, inquiens : « Si superbiam corporis sui vincat, immolat vitulum ; si iracundiam superet, arietem jugulat ; si libidinem vincat, in holocaustum offert hircum ; si vagos et lubricos cogitationum resecet volatus, columbas et turtures immolat [2]. »

Mortificatio sensitivæ partis quæ sit.

Mortificatio ergo sensitivæ partis aliud non est quam subjectio carnis ad spiritum, non solum per remotionem illicitorum, sed etiam per amputationem licitorum ac indifferentium, ad quæ appetitus sensitivus inclinatur ; quod quidem regulariter fit per orationes crebras, jejunia, flagellationes, peregrinationes, solitudines, silentia : uno verbo dici potest, per abnegationem sui quam consulit Salvator : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* [3].

Ex sancto Bonaventura mortificatio.

S. Bonaventura de mortificatione, ex S. Gregorio, ait : « Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui supra

[1] Rom. XII, 7-21. — [2] Orig. *Comm. in Epist. ad Rom.*, lib. IX. — [3] Luc. IX, 23.

ipsum est, non appropinquat ; nec valet apprehendere quod supra ipsum est, qui nescit mactare quod est[1]. » Et ex S. Augustino ait : « Carnem vestram domate jejuniis et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi quum ægrotat[2]. » Et ex eodem S. Augustino ait : « Facilius concupiscentia refrenatur, quæ nulla exspectatione succenditur[3]. » Et alibi : « Amputanda sunt omnia nobis quæcumque igniferi fomitis sulfurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla servata, majora conflet incendia[4]. » Et ex S. Isidoro : « Mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in anima Christo. Nam tunc quisque vivere dicitur, si, secundum sæculum moriens, in solo Deo vivere delectetur[5]. » Et ex Cassiodoro ait : « Væ carni, quæ hic superata non fuerit ; nam, quæ in hac conversatione vincitur, illic sine dubio coronabitur[6]. » Et ex S. Bernardo inquit : « Durius quidem tractandum est corpus ne rebellet, ne insolescat ; sic tamen, ut servire sufficiat, quia ad serviendum spiritui datum est ; nec sic habendum est, tanquam propter illud vivamus, sed tanquam sine quo vivere non possimus[7]. » Idem S. Bonaventura ex Seneca ait : « Vetas me cœlo interesse, id est, jubes me vivere capite demisso. Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis, quod quidem non aliter adspicio quam ut vinculum aliquod meæ libertati circumdatum[8]. » Et alibi : « Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est ; agatur ejus diligentissime cura, ita tamen, ut, quum exiget ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignes sit[9]. » Et infra : « Hanc sanam et salubrem formam vitæ tenere, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est ; durius etiam tractan-

In quo consistit.

1 Greg. *Moral.* XXXI, c. 17. — 2 Aug. *Reg.* III, c. 11 et 12. — 3 *Id. De bono vid.*, c. 20. — 4 *Id. De sing. cleric.*, c. 21. — 5 Isidor. *De summo Bono*, lib. III, c. 65, sent. 6. — 6 Cassiod. *De anima*, c. 18. — 7 Bern. Epist. *De vita solit.* — 8 Senec. Epist. 65. — 9 *Id.* Epist. 14.

dum est, ne animo male pareat[1]. » Hæc S. Bonaventura[2] de corporis mortificatione, quæ non dedignatur ex aliis discere, et docere.

Et Cicero in *Tusculanis* ait : « Tota philosophorum vita, ut inquit Plato, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est a corpore, quum a re familiari, quæ est famula et ministra corporis, quum a re publica, quum a negotio revocamus animum : quid, inquam, tunc agimus, nisi animum ad seipsum advocamus, et secum esse cogimus? Secernere autem animum a corpore non quidquam aliud est quam emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc, et dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile, et quum illuc ex his vinculis emissi fuerimus, minus tardabitur cursus animorum[3]. » Vides ergo quod ethnici etiam philosophi putarunt mortificationem ad perfectionem valde conducere.

Uniuscujusque sensus mortificatio.

Ad particularia descendendo, de quolibet sensu aliqua ad eorum mortificationem necessaria dicenda sunt.

Sensus visus periculosissimus est, quia vulgo dicitur, mors intrat in animam per oculorum fenestras. Et Jeremias ait : *Oculus meus deprædatus est animam meam*[4]. Unde S. Hieronymus inquit : « Nec vel David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit[5]. » Isti enim per visum decepti errarunt. Mortificandus est ergo sensus visus per abstinentiam ab adspectu spectaculorum, mulierum et omnium similium, etiam licitorum, quæ ad appetitum eorum allicere possunt; et librorum sacrorum lectioni applicetur, et hoc modo mortificabitur.

Sensus auditus mortificandus est primo per fugam conversationum in quibus fieri solet sermo de lasciviis, detractionibus, murmurationibus aliisque inhonestis ; secundo,

[1] Senec. Epist. 14. — [2] Bonav. *Phar.*, lib. IV, c. 8. — [3] Cicer. *Tusculan.* — [4] Thren. III, 51. — [5] Hieron. Ep. *ad Nepot.*

avertendo auditum a ridiculis ac scurrilibus colloquiis, a novellis, ceterisque curiosis successibus.

Sensus odoratus mortificatur per remotionem illius ab odoribus et fragrantiis ; nam S. Chrysostomus ait : « Miles spiritualis non dormit in lecto eburneo, sed humi ; non oblinitur unguentis, nam ista cura est meretriciis amoribus implicatorum ac perditorum scenicorum atque in desidia viventium hominum. Te vero non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem ;... corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem et immundum [1]. »

Sensus gustus, quia periculosissimus est, severe mortificandus est ; per eum enim genus humanum in paradiso naufragatum est, statum innocentiæ et immortalitatem amisit, et miserias omnes animæ et corporis incurrit. Sic autem mortificandus est : primo per subtractionem delicatorum alimentorum, secundo ut communia non sumantur ad satietatem, tertio ut non ad delectationem, sed ad necessitatem sumantur ; nam, ex S. Augustino, « alimenta ut medicamenta sumenda sunt [2], » ad necessitatem scilicet, non ad satietatem. Multa enim mala inducunt ; excitant enim delectationes morosas, libidinosas, verba scurrilia, inhonesta, et similia.

Sensus tactus, quum ad omnes sensus totumque corpus extendatur, ex S. Basilio [3], est omnium periculosissimus, et ideo totum hominem ad illecebras allicit, ut experientia constat ; si enim aliquis alterius sexus etiam in parte honesta tangatur, etiam ex bono aut indifferenti fine, flamma concupiscentiæ statim insurgit. Mortificari autem debet per remotionem omnium rerum quæ perturbare seu inquietare possunt, et flagellis, jejuniis, aspera veste, cubatione dura, et ceteris.

In hac corporis mortificatione legimus tot Sanctas Sanctosque multum exercitatos, et, quod Caput omnium est, Exemplum Salvatoris.

1 Chrysost. Hom. 4 *de Lazar.* — 2 *Conf.* lib. x, c. 30. — 3 *De virginibus.*

ipsummet Sanctum Sanctorum Christum Dominum; de quo, quamvis sanctissimo, innocente, impolluto et a peccatoribus segregato, ac Dei Filio et Deo, pro nobis tamen, ait S. Petrus : *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu* [1] ; et S. Paulus : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* [2]. Quis magis Salvatore mortificatus in victu, vestitu, jejunio, vigilia, itinere, patientia in persecutione, injuriis, flagellis, spinis, clavis, cruce, sanguinis effusione ac morte? Cur hoc? Quia, ut inquit S. Petrus, voluit nobis relinquere exemplum, ut sequamur vestigia ejus [3].

Exemplum Sanctorum.

Inter puros homines nullus major S. Joanne Baptista, ut dixit Salvator. Hic in utero matris sanctificatus ac confirmatus fuit in gratia, et tamen ab infantia usque ad annum fere trigesimum in durissima corporis maceratione, veste ex camelorum pilis confecta indutus, et excalceatus, continuo in terra cubans, locustis et melle silvestri nutriebatur. De S. Magdalena S. Gregorius ait : « Quot habuit in se oblectamenta, tot de se fecit holocausta. Convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa [4]. » De Apostolis omnibus pauca quidem ex historiis habemus, sed credimus illos Christi exemplo, et mandato olim sibi imposito usos, ut irent sine pera, sine baculo, sine calceis, nec æs in zonis haberent : ex quibus magna insurgit corporum mortificatio ; unde S. Paulus ait : *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus* [5]. S. Petrus, ex S. Chrysostomo, solis lupinis plerumque reficiebatur.

Eorum exemplo tot anachoretis, tot eremitis, tot monachis extremæ corporis mortificationi deditis tot deserta, tot monasteria et claustra repleta sunt, ut Dei famulatui in sancta meditatione et contemplatione assuescerent. Inde S. Paulus primus eremita, qui veste ex palmarum foliis

[1] I Pet. III, 18. — [2] Philipp. II, 7. — [3] I Pet. II, 21. — [4] Greg. Mag. *In Evang.*, hom. 13. — [5] I Tim. VI, 8.

formata in nuda carne utebatur ; hinc SS. Antonius, Onuphrius, ceterique mortificati anachoretæ ; hinc SS. Simeon Stylita et Daniel, ita dicti quia in columnis, id est cacuminibus montium, herbis tantum nutriti, totam vitam aeris, nivis ac ventorum inclementiæ expositi duxerunt.

Ex vita sancti Francisci.

Et, ut innumeros omittam qui in Vitis Patrum legi possunt, sanctum meum Patrem Franciscum (etsi indignus et minime ei conformis filius) non omittam. Is enim, ut ex S. Bonaventura in ejus Vita, « a suæ conversationis primordiis tanta disciplinæ rigiditate carnem crucifigebat cum vitiis, motusque sensuales tam stricta refrenabat modestiæ lege, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Nam cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, et raro ; admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ, ut plurimum, reddebat insipidum ; et de aqua frigida, quum sitis æstuaret ardore, vix audebat ad sufficientiam bibere. Nuda humus, ut frequentius, lectus erat lassato corpusculo, cervical lapis vel lignum, vestisque simplex, rugosa et chordulis contexta, pro eo quod experientia certa didicerat dæmones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. Rigidus in disciplina, super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda. Plenum jam carnis videbatur assecutus dominium, et fœdus cum oculis sic pepegisse videbatur, quod non solum carnalem adspectum procul refugeret, sed et curiosum vanitatis cujuscumque contuitum omnino caveret [1]. » Deinde de ejus humilitate ac paupertate et omnibus fere virtutibus illius, quæ perfectum exteriorem et interiorem hominem repræsentant, mira dicit ejus filius, Seraphicus Doctor. Et hæc de carnis mortificatione et purgatione dixisse sufficiat.

1 Bonav. *Leg. S. Franc.*

CAPITULUM IV.

DE INTERIORIS HOMINIS PURGATIONE AC MORTIFICATIONE.

Interior homo quid sit.

ADVERTO quod, sicut exterioris hominis nomine intelligitur pars sensitiva, id est corpus secundum omnes sensus, ita interioris hominis nomine intelligitur homo secundum esse cognoscitivum et appetitivum tam rationale quam imaginativum. Videndum nunc est, an utraque pars, cognoscitiva et appetitiva, sit purganda et mortificanda, et in quo consistat hæc purgatio et mortificatio earum.

Potentiæ internæ mortificandæ.

Dico primo : Homo contemplationi vacans, ut ad perfectionem perveniat, debet etiam internas potentias cognoscitivas et appetitivas purgare ac mortificare.

Christi doctrina.

Probatur : Exterior tantum mortificatio sine interiori non sufficit. Primo, quia hæc esset vera hypocrisis, et hypocritis dicit Salvator : *Væ vobis,... hypocritæ ; quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia* [1]. Et alibi : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* [2]. Secundo, ex S. Cypriano sic dicente : « Neque enim locus desertus, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque jejunia, neque chameuniæ monachum absolvunt ; sub his involucris interdum latet animus valde mundanus [3]. » Eusebius Emissenus, homilia super verbis Apostoli : *Videte enim vocationem vestram, fratres* [4], ait : Venire ad claustrum aut eremum summæ perfectionis exordium est ; sed non perfecte in eremo vivere summa

[1] Matth. XXIII, 27. — [2] *Ibid.* VII, 15. — [3] Cypr. *De dupl. mart.*, c. 13. — [4] I Cor. I, 26.

damnatio est. Quid prodest, si locus claustralis et quietus teneatur, et inquietudo in corde versetur? Quid prodest, si in habitatione silentium sit, et inhabitantibus sit vitiorum tumultus et passionum colluctatio, si exteriora nostra serenitas tenet, et interiora tempestas?

Intellectus mortificatio quæ.

Dico secundo : Mortificari et purgari debet intellectus circa multitudinem scientiarum ac subtilitates earum, et maxime circa doctrinas fidei, et humiliter sentiendum quod sancti Patres docent vel Ecclesia proponit.

Probatur primo ex Ecclesiastico : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter*[1]. Et infra : *Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum*[2].

Confirmatur ex Apostolo : *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere ; sed sapere ad sobrietatem*[3]. Nam Salvator dixit : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*[4]. — *Scientia inflat, caritas vero ædificat*[5].

Quod vero S. Paulus specialiter loquatur de abstinendo a curiositatibus et subtilitatibus rerum fidei, patet ex textu ; subdit enim : *Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*[6]. Sufficit enim homini spirituali et contemplationi vacanti (nisi ex officio ac dignitate aliter sibi competat) scire quæ necessaria et quæ utilia sunt ad salutem, et regulas bene orandi et contemplandi, et circa res fidei scire cum simplicitate ea quæ proponit Ecclesia ; et de subtilioribus curare non debet, quia *qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria*[7]. Et ex Concilio Toletano

1 Eccli. III, 22-24. — 2 *Ibid.*, 26. — 3 Rom. XII, 3. — 4 Matth. XI, 25. — 5 I Cor. VIII, 1. — 6 Rom. XII, 3. — 7 Prov. XXV, 27.

quarto decimo, fidei mysteria non sunt judicanda et disputanda, sed credenda. Spiritualis ergo et contemplativus intellectum purgare debet ac mortificare, non applicando aliis scientiis ac doctrinis, nisi iis quæ ad salutem ac perfectionem, juxta directoris regulas, conferunt; et subtilitates, quæ in his occurrunt, non inquirat, sed in simplicitate credat, et operetur juxta Apostoli documentum ad Philippenses, qui, ubi de scientiæ et fidei cognitione multa dixit, concludit : *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula* [1]. Glossa interlinearis dicit : « Et sic revelabit Deus, quod aliter sapimus; et ut regula dicit, fidei doctrina una. »

Mortificatio intellectus circa agibilia.

Dico tertio : Purgandus et mortificandus est intellectus circa agibilia, ne nimis sibi fidat in eis disponendis, sitque suæ opinionis tenax; sed doctiorum consilio utatur, et Deum consulat et in eo confidat.

Probatur ex Proverbiis : *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ* [2]; et infra : *Ne sis sapiens apud temetipsum* [3]. S. Beda ait : « Innititur enim prudentiæ suæ, qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur, patrum decretis præponit; sapiens vero est apud semetipsum, et is qui in illis quæ ex patrum magisterio potuit recte cognoscere, sese præ ceteris quasi doctiorem extollit [4]. » Et hoc est quod monet Apostolus : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos* [5]; et in Ecclesiastico habetur : *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum et in tempore necessitatis dare responsum* [6].

S. Basilius dicit : Sicut in universum uti propria libertate arbitriove alienum est a recta ratione, ita majoris partis judicio non stare, est contumaciæ et pervicaciæ periculum incurrere [7].

[1] Philipp. III, 15, 16. — [2] Prov. III, 5. — [3] *Ibid.*, 7. — [4] Beda *Expos. alleg. sup. parab. Salom.*, lib. I, c. 3. — [5] Rom. XII, 16. — [6] Eccli. VIII, 11, 12. — [7] Basil. *In reg. brev.*, c. 25.

S. Bernardus inquit : « Lepra proprii consilii eo perniciosior est quo magis occulta ; et quanto magis abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur[1]. » Hæc illorum est qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam ; sequuntur errorem suum, obstinati in eo, ita ut nullius velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, caritatis expertes, novitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere.

Potentia cognoscitiva interna purganda.

Dico quarto : Potentia sensitiva cognoscitiva interna a contemplativo est purganda seu mortificanda.

Probatur et declaratur : Quidquid sit de sensitiva potentia, an sit multiplex, scilicet sensus communis, phantasia, imaginativa et æstimativa, — quas ego cum Scoto non distinguo penes substantiam, sed penes officia ; et omnes istas appello sensum communem ac phantasiam, et omnes earum species voco imagines seu phantasmata,— dico sensitivam, vel si velis dicere sensitivas, hasce potentias purgari debere per remotionem, oblivionem et, quando insurgunt, per rejectionem imaginum seu phantasmatum earum rerum quæ alliciunt ad concupiscentiam vel vanitatem vel curiositatem, vel distrahere et alienare possunt a contemplatione vel meditatione. Istæ enim species sunt quæ in absentia rerum turbant, et alliciunt intellectum ad earum applicationem et voluntatem ad affectum, et sine illis nunquam posset intellectus recordari sensibilium quæ alias cognovit, nec voluntas in ea inclinari eaque diligere.

Voluntas purganda.

Dico quinto : Pars affectiva rationalis, id est voluntas, purgari et mortificari debet a contemplativo.

Probatur et declaratur : Voluntas humana, quia, ob originale peccatum sauciata, concupiscentiam inclinantem habet annexam, ad sui amorem et excellentiam primo inclinata est, et sibi magna cupit quæ Deo non placent ; unde S. Augustinus dixit : « Duas in toto mundo civitates

1 Bern. Serm. 3 *De Resurr. Dom.*

faciunt duo amores ; Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam amor sæculi [1]. » Hic amor purgandus est, non solum quum illicitus est, ut dicit Salvator : *Qui amat patrem et matrem plus quam me, non est me dignus* [2] ; sed etiam circa licita, ut qui amat scientias plures vel in summo perfectas, vel alios habitus sive naturales sive supernaturales, non tamen ad salutem simpliciter necessarios, vel magnas illuminationes, vel revelationes, vel virtutem miraculorum et cetera ejusmodi Spiritus Sancti dona. Purgari igitur circa hæc debet voluntas, subjiciens se in omnibus voluntati divinæ, nec plura aut majora dona quærere quam ea quæ placent Deo. Hujus desiderii exemplum suis servis reliquit Christus, dicens : *Quia ego quæ placita sunt ei* (Patri) *facio semper* [3]. Et in horto petens ut transiret a se calix ille passionis, in qua ex nequitia Judæorum intercedere debebant multæ Dei offensæ et multorum damnationes, nihilominus subdit : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* [4]. Sic ergo spiritualis et contemplationis homo amorem sui et suorum cognatorum et omnium sic debet moderari, ut non solum supra Christum, id est cum offensa Dei, eos non diligat, sed neque multum, esto sine Dei offensa ; sed conformet se Dei voluntati, ut velit quæ Deo placent, et sic pro eis obtinendis oret.

Circa quæ mortificanda voluntas.

Dico sexto : Potentia interna sensitiva affectiva purganda et mortificanda est a contemplativo, nedum circa illicita, sed etiam circa licita, ne excedat.

Sensitiva affectiva mortificanda est.

Probatur et declaratur : Potentia affectiva interior correspondet imaginativæ seu phantasiæ ac sensui communi, sicut voluntas intellectui ; et ipsa est quæ in omnia sensibilia, per omnes sensus externos percepta, tendit, sive sint honesta sive inhonesta, et ad ea modo brutali inclinatur ; et nisi a recta ratione ex alicujus virtutis regula dirigatur, trahit voluntatem ad consensum. Et hæc est illa sæva et nobis inimica lex membrorum de qua loquitur

[1] Aug. *Enarr. in Ps.* LXIV, n. 2.— [2] Matth. X, 37.— [3] Joann. VIII, 29. — [4] Luc. XXII, 42.

S. Paulus: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*[1]. Fomes siquidem concupiscentiæ ac irascibilis excitat quidem ad omne appetibile sensibile, sed potentia affectiva vult illud, et, nisi refrenetur, trahit voluntatem ad consensum; hæc ergo purganda seu mortificanda est a contemplativo, ut neque circa licita excedat; nam de illicitis est lex communis pro omni homine. Cavere ergo debet ab appetitu honorum ac dignitatum; et, dum ad hæc non petens assumitur, humiliter se gerat juxta regulas earum; sincere et sine fastu aut luxu operetur, et ad Dei gloriam et proximorum commodum continuo se exerceat. Sic enim sancti plures, doctores, episcopi, Cardinales summique Pontifices fecerunt, dignitatem per contemplationem regulantes, et in humilitate se continentes.

Lex membrorum inimica hominum quæ.

Præterea debet contemplativus circa alia sensibilia appetitum sensitivum purgare, ut circa bona fortunæ seu divitias aliaque commoda, circa delicias, comessationes, conversationes et alia theatrica oblectamenta, et similia.

Imaginativa noxia appetitivæ

Et notandum quod, quum phantasia seu sensus communis omnium sensibilium objectorum species quæ aliquo sensu aliquando perceptæ fuere secum retineat, et frequenter, ex connexione cum aliqua re de novo cognita, species illæ in eadem phantasia reluceant, toties excitatur in potentia appetitiva sensitiva motus seu stimulus appetendi res illas in speciebus phantasticis seu imaginariis relucentes; et sic adest frequens periculum illas appetendi, et trahendi voluntatem, — sine qua nec venialiter peccari potest aut deliberate operari, — ut ad earum appetitum consentiat.

Modus autem purgandi aut mortificandi ejusmodi potentias, est diversio ad aliquod opus bonum, puta ad orationem, saltem jaculatoriam, vel ad meditationem ali-

Modus mortificandi appetitivam.

1 Rom. VII, 23.

cujus mysterii fidei, præsertim vitæ aut Passionis Christi, vel ad lectionem alicujus sacri aut spiritualis libri.

Et hæc breviter dixisse sufficiat de activa purgatione exterioris et interioris hominis.

CAPITULUM V.

DE PURGATIONE SEU MORTIFICATIONE PASSIVA PARTIS SENSITIVÆ.

Activa et passiva purgatio in omni potentia hominis.

Adverto quod directores et doctores vitæ spiritualis duplicem purgationem faciendam asserunt, tam in parte sensitiva quam intellectiva. Unam dicunt activam, estque illa de qua hucusque locuti sumus, et dicitur talis quia propria actione homo eam exercet in corpore vel anima sua; et aliam passivam, quam homo nec facit nec quærit, sed eam patitur tantum, vel a Deo immediate immissam, vel permissam per creaturas in homine, verbi gratia, per morbos, per jacturam bonorum, famæ, amicorum et cognatorum, vel per tentationes carnis aliasve corporales aut spirituales. Ideo de duplici passiva purgatione agemus, scilicet sensibili seu partis sensitivæ, et spirituali seu partis rationalis.

Incipientes solent initio multas consolationes habere.

Adverto tertio ex peritis in arte, quod contemplativi incipientes initio solent multas consolationes experiri nullamque molestiam sentire, ita ut eis videatur jam pervenisse ad terminum in quem tendebant; sed progressu temporis multa experiuntur sensibilia incommoda, quæ hic afferemus, ut sciant quod non sint a Deo derelicti, neque quod sua exercitia Deo displiceant, ut plerumque suspicantur; sed sciant quod per ea incommoda passive purgantur, ut humilientur et non superbiant de præhabitis consolationibus, et in patientia, humilitate, oratione ac recursu ad Deum exerceantur.

Dico ergo: Contemplativi, sive incipientes sive profi-

cientes, et sæpe etiam perfecti, multis modis passive purgari possunt, ut humilientur. Passiva purgatio multiplex.

Probatur ex peritorum dictis : Contemplationi vacantes interdum prolixis laborant morbis, interdum amissione totali salutis, cæcitate, surditate et similibus morbis, quibus Deus probat seu, ut dicit sacra Scriptura, *tentat* suos servos, ut dicitur de Abraham : *Tentavit Deus Abraham* [1] ; et in Psalmis : *Proba me, Domine, et tenta me* [2]. Et dicit S. Paulus : *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum* [3]. Quia in his incommodis exercetur patientia justi, purgatur a concupiscentia ac libera inclinatione ad objecta iis incommodis opposita, et remanet humiliatus, imo turbatus ; cuncta mala patitur, sentit se angustiatum et afflictum, sæpe examinat conscientiam, et nihil grave inveniens, gemit et suspicatur se a Deo derelictum ; verum ita non est, sed Deus illum probat. Deus probat suos servos.

Secundo, purgatio passiva, præsertim incipientium, fit per crebras carnis tentationes, quæ in eis fortes et vehementes sunt, et cum terribilibus venereis imaginationibus, a quibus die noctuque horribiliter concutiuntur, et in frigore intensissimo exsistentes, se exæstuare experiuntur ; quam tentationem ipsemet S. Paulus, vas electionis, expertus est : *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet ;* et assignat rationem : *Ne magnitudo revelationum extollat me* [4]. Eamdem passi sunt fere omnes Sancti orationi vacantes. Et quod intolerabilius eis videtur, est quia in æstu illo magnis cruciantur scrupulis, an iis carnis illecebris aliquem præbeant consensum necne ; et sic multiplici torquentur angustia. Per tentationes validas fit passiva purgatio.

Aliis præterea modis pars sensitiva passive purgatur, nempe dæmonum persecutione ; modo enim horribilioribus figuris homini spirituali apparent, ut deterreant ; modo eos trahunt huc atque illuc ; modo eos flagellant, modo Persecutione dæmonum etiam fit passiva purgatio.

1 Gen. xxii, 1. — 2 Ps. xxv, 2. — 3 I Cor. x, 13. — 4 II Cor. xii, 7.

injuriis afficiunt, modo derident, modo clamoribus maximis terrorem ac stuporem incutiunt, modo aliis viis exasperant, ut in Vitis Patrum legi potest. Et adeo vehemens ac periculosa est hæc purgatio, ut plures incipientes ab incepto deficiant, putantes se in suorum defectuum pœnam a Deo esse derelictos.

Purgatio passiva etiam per persecutionem hominum.

Solent etiam purgari persecutionibus malorum hominum, et aliquando etiam bonorum, qui, bona quidem intentione licet male informati, justos persequuntur eosque mortificant. De malis non est mirandum, quia dicit David : *Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum* [1] ; at quod boni eos persequantur, hoc eis videtur durum et intolerabile ; ideo David ait : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo ; tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos* [2], et cetera. Conqueritur de amicis, dum et ab ipso filio Absalone mortalem persecutionem cum sævo bello passus est.

Hæc fuit maxima in Job purgatio, quum sederet in sterquilinio testa saniem radens, et post filiorum bonorumque omnium amissionem, nedum amici, sed et propria uxor ei exprobrabat, et male, et quod esset a Deo derelictus ; unde dicebat : *Benedic Deo* (id est maledic) *et morere* [3].

Purgatio per amissionem bonorum etc.

Solent insuper justi purgari et mortificari amissione bonorum temporalium, cognatorum, filiorum et uxorum, morte illorum vel ablatione. Exemplum magnum est casus ejusdem Job, qui bona fortunæ, filios ac filias, et sanitatem, Deo sic permittente, amisit ; Abraham, Dei amico, bis erepta fuit uxor a Pharaone et Abimelech rege Geraræ ; Isaac, Deo carus, cæcitate percussus multos annos vixit, et sic interiit ; Jacob, Joseph filio (nesciens quomodo) orbatus, per viginti tres annos eum flevit. Et sic de aliis Dei amicis, qui a Deo his aliisve modis mortificati

[1] Ps. xxxvi, 32. — [2] Ps. liv, 13-15. — [3] Job ii, 9.

et purgati sunt, ut ex sacro Textu et ex Vitis Patrum notum est.

Purgatio per Superiores ecclesiasticos.

Aliqui justi a Superioribus etiam ecclesiasticis et supremis male informatis, Deo permittente, purgantur et mortificantur; de quibus, maxime inter regulares, longam possem texere historiam. Sint pro exemplo S. Pater Franciscus, quem Frater Elias, Vicarius generalis Ordinis, sic vilipendebat ut quadam vice coram multis fratribus dixerit ipsum S. Patrem fore ruinam Ordinis; et S. Antonius, qui ab eodem Fratre Elia maximam passus fuit persecutionem.

Quamvis autem his aliisque modis servi Dei spirituales vel contemplativi, Deo volente vel permittente, passive purgentur ut perficiantur et ad Dei unionem perveniant, ne tamen in ejusmodi duris et valde sensibilibus calamitatibus obruti deficiant, aliqua sunt eis proponenda consolationis et sublevationis remedia, ut confortati resistant, et faciant, ut dicit Apostolus, *cum tentatione proventum*[1]. Hæc autem esse possunt remedia:

Remedia pro his mortificatis.

Primo, recordentur quod *sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus*[2]; et ideo de justis dicitur: *In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent*[3], et cetera. Secundo, recordentur de promissione Dei, qui verax et fidelis est, ut in psalmo dicitur: *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum*[4]. Tertio, in memoriam revocent quæ docuit S. Paulus: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum proposi-*

[1] I Cor. x, 13. — [2] Prov. xvii, 3. — [3] Sap. iii, 5-7. — [4] Ps. xc, 15, 16.

tum vocati sunt sancti [1]*;* et ideo omnia illa sensibilia mala in bonum spirituale cooperantur. Quarto, reflectant ad sanctos, nedum martyres, sed et confessores utriusque Testamenti, ad Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, populum totum hebraicum in Ægypto et in deserto per annos quadraginta, ad David, ad Prophetas, et tandem ad clausulam, ut dicit Tertullianus, veteris Testamenti, Joannem Baptistam; qui omnes sævas persecutiones passi sunt, et aliqui usque ad sanguinis effusionem. Reflectant ad Dominum suum Jesum Christum a quadragesimo nativitatis die persecutionem Herodis pati incipientem, et deinde toto prædicationis triennio, modo injuriis, modo insidiis, modo periculo lapidationis, et tandem injusta, dura ac sæva et ignominiosa totius Passionis catastropha tribulatum. Quinto, recurrant ad directores et spirituales magistros, quorum consiliis utantur; ab his enim discent quod Deus hæc incommoda in eis permittit, non in pœnam aut odium ipsorum, sed in probationem patientiæ et humilitatis, et ut ad perfectam cum eo unionem disponantur; item ut a dæmonum illusionibus liberentur, isti enim solent quasdam sensibiles consolationes in eis excitare; item quod Deus ea permittit in agnitionem propriæ miseriæ. Sexto, recurrant ad orationes jaculatorias, de quibus dictum est in proprio loco; commendent se cum affectu Deo, Beatæ Mariæ Virgini, suo Angelo custodi, sanctis suis Patronis; legant Libros sacros vel Sanctorum Vitas ad divertendum se, nam in psalmo habetur: *Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me* [2]. Septimo, in qualibet ex his tentationibus, tam sensitivis quam intellectivis, recurratur ad actus fidei, sicut docet S. Petrus: *Resistite fortes in fide* [3]*;* et S. Paulus: *In omnibus sumentes scutum fidei* [4]*;* et S. Joannes: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* [5]. Et in Proverbiis: *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se* [6].

Memoria Sanctorum.

Et Christi Domini.

Consilia pro his.

Alia remedia.

Fidei actus.

[1] Rom. VIII, 28. — [2] Ps. XLIX, 15. — [3] I Pet. V, 9. — [4] Ephes. VI, 16. — [5] I Joann. V, 4. — [6] Prov. XXX, 5.

Octavo, habeant fiduciam in Deum ex consideratione quod omnes servi suas patiuntur mortificationes sive sensitivas sive intellectivas, et quod Deus tempore opportuno eos sublevat et consolatur, sicut ait S. Paulus : *Benedictus Deus,... qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*[1]. Nono, fugiant occasiones quæ inducunt tentationes; unde S. Bonaventura detestatur quod patres spirituales, cum feminis loquentes de rebus spiritualibus, miscent colloquia de affectu etiam honesto inter se, quia discursus isti provocant tentationes et cogitationes inhonestas.

Fiducia in Deum.

Fuga occasionum.

Alia remedia ad resistendum et superandum præfatas sensitivas tribulationes habes in sequenti capitulo, de purgatione partis intellectivæ, et de remediis pro ea.

CAPITULUM VI.

DE PASSIVA PURGATIONE SEU MORTIFICATIONE PARTIS INTELLECTIVÆ.

Advertо quod nomine partis intellectivæ intelligimus partem rationalem ; et quia in hac etiam parte accidere possunt, Deo volente et efficiente immediate vel permittente, multa incommoda, quæ turbant et multum affligunt hominem, per eam dicitur homo mortificari seu purgari ; non enim a se sibi ea causat aut agit, sed ab alio agente patitur, ideo dicitur passiva purgatio.

Pars rationalis passive purganda.

Dico primo : Multis modis accidere potest purgatio passiva intellectualis.

Probatur : Primum purgationis hujus genus est privatio illuminationum ac inspirationum divinarum et devotionis consuetæ, quæ quidem magis affligunt quam

Purgatur privatione illuminationum.

[1] II Cor. 1, 3, 4.

sensitiva mala supradicta ; nam affligunt spiritum, causant tenebras ac mortem in mente, et trahunt voluntatem ad alienationem ab exercitio et desperationem, eo quod non possit elevari ad meditanda vel contemplanda cœlestia, et in tenebris vivitur : quæ quidem gravissime affligunt. Secundo, purgatio hæc intellectualis fit per tentationes contra fidem ; quia occurrunt quædam subtiles speculationes circa objecta fidei, puta circa trinitatem Personarum cum unitate essentiæ, Incarnationem, Eucharistiam, et cetera ; in quibus intellectus involvitur et implicatur, et sibi vacillare videtur, et manet implexus. Tertio, purgatio fit per gravissimas tentationes reprobationis et desperationis, et quod vita et opera ejus Deo non placeant, et eo usque nihil profecerit ; et sic turbatus et afflictus nulli pio exercitio potest applicare. Quarto, fit per magnam variamque scrupulorum multitudinem, ut nullum pene opus possit efficere in quo non urgeatur aliquo scrupulo, quod ex circumstantia aliqua malum putet quod facit. Quinto, per timorem derelictionis divinæ ob scelera quæ forte ipse nescit, et putat quod consolationes, quas de præterito habuit, fuerint illusiones dæmonis ; ex quo inconsolabiliter affligitur. Sexto, per tentationes ac blasphemias contra Trinitatem, Jesum Christum, Beatam Virginem, Angelos et Sanctos ; et continuo timet ne eas protulerit vel internum assensum præbuerit, et dum his ambagibus torquetur, nullum actum pietatis circa eos audet exercere.

Per tentationes contra fidem.

Per tentationem reprobationis.

Per scrupula.

Per tentationem blasphemandi.

Per alias tentationum species purgatur anima contemplativi, quas S. Bonaventura[1] reducit ad sex, quarum aliquas retulimus. Sunt autem istæ per ordinem : prima est « subtractio et inopia devotionis, » quæ est refugium in omni tribulatione, et ideo ex ejus subtractione contemplativus redditur inermis ad omne opus. Secunda est « difficultas ad bene operandum, » sicut qui vult saxum magnum movere, et non potest ; et isti affliguntur tam ex remorsu conscientiæ quam ex dolore tardi et fere nullius

Ex sancto Bonaventura aliæ sex purgationis passivæ species.

1 *Prof. relig.*, lib. II, c. 2.

profectus, et ex desiderio vitæ sanctioris. Tertia est « fastidium, quod experiuntur in omni exercitio ; » tædet enim eos orare, legere, meditari, loqui vel audire verba Spiritus, etiamsi cum parvo labore hæc essent facienda, et diffidunt posse ad majora procedere. Quarta, ex præcedenti sequens, est « tentatio gravis impatientiæ contra Deum, » quod tam durus et immisericors sit cum tribulato, quare tam parcus in dando gratiam egeno, tam anxie petenti et tam importune pulsanti. Quinta, magis periculosa, est « quando ex longo usu subtractionis gratiæ devotionis, et post anxia multa desideria et labores pro recuperanda gratia, homo quasi lassus remittit animum ab intentione quærendi, et sub colore patientiæ desinit oculos attollere ad opes quas habere se posse non videt, et indignanti humilitate cogitat se indignum tali gratia, quia forsitan aliud de illo præordinavit Dominus, ut, ad exteriora conversus, multis prosit et ideo ab interioribus sit repulsus. » Sexta tentatio, dicit S. Bonaventura, plures includit, et est « hæsitatio in fide Catholica, desperatio de Dei misericordia, et spiritus blasphemiæ contra Deum et contra Sanctos, tentatio sibimet injiciendi manus et se perimendi, et quædam perplexitas querulosæ conscientiæ medicinale consilium non admittens [1]. »

Plurimæ tentationes, sicuti plurimi corporis morbi.

Sed in eodem capitulo, ubi legitur sexta præfata tentatio, dicit S. Bonaventura quod sunt aliæ plurimæ tentationum species, quas referre longum esset ; et sicut plurimi sunt corporis morbi, sic et animæ. In capitulo tandem tertio, dicit dari generalissimam, qua omnes in hoc mari magno quassamur, et hanc posse ad omnem conflictum vitiorum referri ; et ita, quot passiones et quot dantur vitia, tot dantur tentationes ; et propterea dicitur generalissima, id est, genus supremum omnium quibus omnis homo agitari potest.

Contra tentationes remedia ex sancto Bonaventura.

Remedia contra has tentationes hæc assignat Seraphicus Doctor : primum, ut qui eas patiuntur, consolentur quod

1 Bonav. *loc. cit.*

eis magis proficient ad meritum quam ad detrimentum ; secundum, quod patienter tolerent, sicut si Satanas aliquem visibiliter aut sensibiliter tribularet ; tertium, de illis non curent nec ratiocinando eis resistant, quia ex hoc quasi confirmatæ magis inflammarentur, sed ad alia tractanda se convertant, per quæ earum passionum obliviscantur ; quartum, per orationes proprias et aliorum bonorum hominum misericordiæ divinæ remedium implorent. Hæc S. Bonaventura. Et nos alia similia remedia in præcedenti capitulo adduximus.

Ex sancto Bernardo remedia.

S. Bernardus [1], super illud : *Cum ipso sum in tribulatione* [2], ait : « Omne gaudium existimemus quum in tentationes varias inciderimus, fratres mei, non modo *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* [3], sed quoniam *juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit* [4] ; et *multæ tribulationes justorum ; et de omnibus his liberabit eos Dominus* [5] ; *et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* [6]. »

Alia remedia contra tentationes.

Præterea spiritualis et contemplativus consolationem in his tentationibus inveniet, si consideret Salvatoris documenta : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* [7] ; et quod *hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* [8] ; et quod Apostolus ait de Christo : *In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari* [9]. Ab initio enim vitæ usque ad finem, tentatum eum legimus persecutionibus, invidia, injuriis, flagellis, spinis, clavis, crudeli Passione ; item ter a diabolo formiter tentatum credimus : in deserto, ad probandum si Filius Dei erat per conversionem lapidum in panes ; credimus quod tentari se permisit per asportationem a deserto, opera diaboli, ad pinnaculum, supremam templi partem, ibique ten-

Tentati Christi consideratio.

1 Serm. 4 *in Adventu.* — 2 Ps. xc, 15. — 3 Act. xiv, 21. — 4 Ps. xxxiii, 19. — 5 *Ibid.*, 20. — 6 Ps. xxii, 4. — 7 Matth. xvi, 24. — 8 Luc. xxiv, 26. — 9 Hebr. ii, 18.

tari iterum an esset Dei Filius, per saltum e pinnaculo ad terram sine læsione; et tertio, a pinnaculo templi permisit se asportari ab eodem diabolo per plura milliaria ad montem excelsum, ibique tentari ad adorandum flexis genibus ipsum diabolum sub promissione temporalium rerum; et tandem in cruce a Judæis, dicentibus : *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* [1]; et ab iniquo latrone, dicente : *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos* [2]. Ad imitationem Christi sit contentus illas perpeti tentationes, quæ illi proderunt ad præmium; et eo magis consoletur quia S. Paulus dicit : *In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari* [3]. Et infra dicit Christum pro nobis *tentatum (autem) per omnia pro similitudine* [4]; et subdit : *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* [5].

Ad Christi exemplum dantur tentationes.

Cogitet ergo contemplativus vel meditativus, in tentationum tempore, congruum sibi esse quod eas patiatur, ut sui magistri Jesu discipulus sit et imitator in tribulationibus illis, ut possit deinde particeps fieri consolationum gratiæ et gloriæ illius; nam ait Apostolus : *Scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis* [6]. E contra autem dicit Thomas a Kempis : « Habet Jesus nunc multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos baſulatores suæ crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis. Plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. Omnes cupiunt cum eo gaudere; pauci volunt pro eo aliquid sustinere. Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis, sed pauci usque ad bibendum calicem Passionis [7]; » et alia plura. Hæc in corde teneat contemplativus, et consolabitur.

[1] Matth. XXVII, 42. — [2] Luc. XXIII, 39. — [3] Hebr. II, 18. — [4] *Ibid.* IV, 15.— [5] *Ibid.*, 16.— [6] II Cor. I, 7.— [7] Thom. a Kemp. *De imit. Christ.*, lib. II, c. II.

CAPITULUM VII.

DE PURGATIONE PASSIVA PARTIS INTELLECTIVÆ PER ARIDITATEM.

Ratio cur specialiter de hac re agitur.

ADVERTO primo, quod de hac purgatione placuit mihi speciale capitulum instituere, quia maxime cruciat spirituales seu contemplativos ac meditativos, licet aliqua de ea dixerim de meditatione loquens, et aliqua pariter in capitulo quarto hujus tractatus, *De purgatione*. Hic ergo ex professo dicam in quo consistat, et quam ob causam Deus spiritualibus ariditatem istam immittit.

Ariditas quid sit.

Adverto secundo, quod ariditas penes grammaticos ac philosophos idem est ac siccitas, quæ humiditati opponitur, juxta Ovidii dictum : « Frigida pugnabant calidis, humentia siccis[1] ; » et significat corpus seu materiale aliquod carens humore, sive per naturam, ut lapides, ferrum, aurum, et cetera, sive per accidens, quia ablatus est ab eo humor quo pollebat vel pollere poterat, et ei non infunditur. Tamen metaphorice ariditas moraliter accepta tribuitur hominibus parcis et parum benignis, carentibus liberalitate vel facundia vel abundantia factorum aut dictorum. Unde Plautus, *De Rudente,* in contumeliam cujusdam ejus farinæ, dicit : Servas gloriam ariditatis. At mystici theologi, cum analogia et metaphora ad utrumque, vocant ariditatem deficientiam divinarum illuminationum, inspirationum vel consolationum quas solet Deus conferre spiritualibus personis, contemplativis vel meditativis ; unde dicitur : *Anima nostra arida est*[2] ; et in Isaia, ubi prædicitur adventus Messiæ cum abundantia gratiarum, habetur : *Repleta est terra scientia Domini, sicut*

Triplex : naturalis, moralis et mystica.

Carentia illuminationum.

[1] I *Met.* 19. — [2] Num. XI, 6.

aquæ maris operientes[1]. Et in capitulo trigesimo quinto, ubi prædicuntur omnia bona quæ mundo essent eventura per Messiam, dicitur : *Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum*[2]. Hac ergo similitudine utuntur mystici omnes quum loquuntur de anima carente divinis illuminationibus quibus antea frui consueverat; et hanc ariditatem inter purgationis passivæ species ponunt, quia revera maxima mortificatio et afflictio est, ut patientes testantur. Cur autem Deus id faciat, dicetur ex SS. Patribus infra.

Dico ergo : Sæpe Deus ariditatem, id est privationem consolationis, illuminationis et devotionis, in animabus servorum suorum efficit, in magnum illorum bonum et profectum.

Probatur ex æquivalentibus S. Bonaventuræ verbis, totam hanc thesim docentis in *Profectu Religiosorum* : « Contingit etiam plerumque studiosis devotionis ut, quum magis conantur habere devotionis gratiam, minus habeant; et quum vehementius instant, aridiores et duriores corde fiant[3]. » Et aliqua dat exempla; et infra ait : « Cur Deus tunc subtrahit bonis et studiosis devotionis gratiam, quum eam libentius haberent et instantius quærunt, super hoc possunt quinque rationes assignari. Prima, humiliatio, quia magis humiliatur homo quum non habet tunc devotionem quam alio tempore, et magis confunditur in seipso. Secunda est purgatio peccati ; quia forte per alia exercitia minus purgatus est, vel aliqua habet delicta quæ non recolit. Tertia, ut ex hoc eruditior in gratia fiat, quod a Deo sit, non ab homine, quum non potest eam homo pro voluntate sui arbitrii habere ; sed Deus, qui dat ex se, infundit quando vult, subtrahit prout sibi placet et prout accipienti judicat convenire. Et, si daret semper quum quæritur et non daret nisi quæreretur, putaretur jam tantum dare secundum merita requirentium, et non

Ex sancto Bonaventura quinque rationes ariditatis in anima contemplativi

[1] Is. xl, 9.— [2] *Ibid.* xxxv, 6, 7.— [3] Bonav. *Profect. relig.*, lib. II, c. 76.

secundum gratiæ liberalitatem. Ideo quandoque studiose quærentibus negatur ex justitia, et non quærentibus quandoque datur ex gratia [1]. » Et addit Seraphicus Doctor quod duæ sunt tentationes in novis seu incipientibus et imperfectis : *hæsitatio* scilicet et *elatio*. *Hæsitatio* an a Deo sit illa devotio, an dæmonis illusio, vel quod homo per suos motus illam devotionem procuret ; et sic dum devotionis gratia subtrahitur, dupliciter tribulatur, et de subtractione et de hæsitatione an sit a Deo. Et adducit exemplum de Apostolis, qui post resurrectionem Christi, modo de eo consolabantur et modo vacillabant ; ita accidit devotis, modo gaudent de consolatione, modo tristantur. Ideo autem Deus modo eis concedit, modo subtrahit, donec pluribus indiciis experiantur veritatem et utilitatem suæ visitationis ; præsente gratia, gaudent de consolatione et securi sunt de veritate ; absente ea, utriusque muneris solatio carent. Quo vero ad *elationem* dicit quod extolluntur devoti quadrupliciter, quia aut gloriantur se, præcedentibus suis studiis ac laboribus, eam gratiam devotionis et consolationis meruisse, aut, præ ceteris qui eam non habent, se esse a Deo prædilectos, aut majorem gratiam eis esse datam quam sit in veritate, aut se melius ea scire uti, gratius recipere ac fructuosius impendere quam alii, et minus se negligere quam alii qui donum illud receperunt. Ideo, ait S. Bonaventura, Deus subtrahit gratiam devotionis seu consolationis, et insurgit ariditas.

Duæ magnæ tentationes : hæsitatio et elatio.

Deus modo concedit, modo subtrahit consolationes, et quare.

Quarta ratio ariditatis et subtractæ devotionis, dicit Seraphicus Doctor, est « quia quandoque studiosius quæritur, quia aliquando ex impetuoso cordis conatu libertas mentis obruitur, dum quasi per violentam extorsionem accelerat affectum devotionis exprimere ; et, si non juxta desiderium cordis statim potest elicere gratiam devotionis quæsitam, contristatur et amplius ex hoc induratur, et quo impetuosius cupit se ad devotionem cogere, tanto minus proficit et amplius arescit ; sicut qui botros in

Aridítatis quarta ratio.

[1] Bonav. *loc. cit.* c. 77.

torculari vel olivas in prælo subito et nimis vehementer comprimit, liquor magis turbidus et insipidus fluit quam si paulatim et moderatius compressisset. Quo enim liberior, eo pinguior est devotionis affectus; ideo alio tempore sæpe est homo devotior, quia tunc spiritus suæ libertati relictus sponte se elevat in sublime : violenta namque acceleratio præfocat spiritum, etiam in corpore ; morosa autem respiratio est cordis refrigeratio[1]. »

Quinta ariditatis ratio.

Quinta ariditatis ratio, ait S. Bonaventura, « esse potest meritum majoris gratiæ et gloriæ, dum desiderium non adimpletum affligendo purgat animam, et patientia desolationis et humilis sufferentia mœroris quasi lima reddit animam clariorem et magis susceptibilem splendoris divini, et amplioris gratiæ et gloriæ capacem. Vultus Dei et fulgor claritatis ejus omnibus æqualiter superfulget ; qui autem purior est et a vitio obscurante liberior, magis capax est lucis et illuminationis desuper influentis, sicut vitrum clarum vel metallum bene limatum et politum radios luminis amplius recipit, et splendidius efficitur. Quia igitur afflictio lima est animæ, quæ rubiginem vitiorum abradit, ut, deterso peccato quod sua obscuritate radios divini luminis et fulgoris velut obex ab anima excluserat, lucem gratiæ recuperet[2]. » Concludit Seraphicus Doctor : « Purgat Deus aliquando corda devotorum per subtractionem illius consolationis cujus carentia est eis maxima afflictio, ut sic purgati aptiores fiant abundantioris gratiæ percipiendæ in præsenti, et gloriæ in futuro, etiamsi hanc afflictionem specialis culpa non contraxerit[3]. »

Remedia contra ariditatem.

Remedia autem contra ariditatem sunt eadem quæ supra. Poterit insuper illam patiens orationibus jaculatoriis sæpe uti : *Deus, in adjutorium meum intende*[4]. *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti*[5] ? *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est sub-*

1 Bonav. *loc. cit.* — 2 *Ibid.* — 3 *Ibid.* — 4 Ps. LXIX, 2. — 5 Ps. XXI, 2.

stantia[1]. Recordetur quod Salvator in cruce his prorsus verbis exoravit Patrem ; non desperet, sed patienter sustineat, quia Deus non permittet eum tentari supra posse, sed dabit ei auxilium in tempore opportuno, et *faciet,* ut inquit Apostolus, *etiam cum tentatione proventum*[2]. Exinde enim humilis evadet, circumspectus et attentus in suis operibus ut ne in minimo quidem Deo displiceat, continuo considerans quod Deus non deserit nisi prius deseratur, ne ex parte sua præbeat Deo occasionem deserendi.

CAPITULUM VIII.

AN PURGATIONES ISTÆ SOLIS INCIPIENTIBUS SINT NECESSARIÆ, AN ETIAM PROFICIENTIBUS ET PERFECTIS.

Ratio cur auctor de hoc specialiter agat.

ADVERTO quod necessarium duxi hoc quæsitum exagitare, quia aliqui ex hoc quod a mysticis pro cursu vitæ spiritualis assignari solent tres viæ, purgativa pro incipientibus, illuminativa pro proficientibus et unitiva pro perfectis, existimant quod omnis purgatio, tam activa quam passiva, tam sensitiva quam intellectiva, expleatur et consummetur in solis novitiis seu incipientibus vitæ spiritualis meditativæ vel contemplativæ, quasi quod proficientes ac perfecti sint a tribulationibus illis sensitivis et intellectivis exempti. Id ergo videndum breviter est.

Plures gradus purgationis activæ.

Adverto secundo, quod, ut supra diximus, plures purgationis activæ gradus dantur. Primus omnium est peccatorum per Pœnitentiæ sacramentum amputatio ; secundus est habitualium vitiorum per virtutum contrariarum actus remotio ; tertius, sensuum ab omnium illicitorum objectis refrenatio ; quartus, occasionum omnium peccandi fuga. Et sic de aliis sensibilibus purgandis fruticibus, a quorum

[1] Ps. LXVIII, 2, 3. — [2] I Cor. X, 13.

amputatione et purgatione incipiendum est a cupientibus spiritualem vitam ducere ; debent enim prius spoliare veterem, id est carnalem hominem, ut induant novum, id est spiritualem, quum non possint simul stare ; nam ait Apostolus : *Quæ societas luci ad tenebras*[1] ? Et ideo purgativa vita dicitur incipientium, quia ab hac purgatione initium habet spiritualis vita, sicut qui silvam, magnis et parvis arboribus et arbustis ac vepribus densam, exstirpare vult, a grossioribus amputandis incipit, deinde facilius alias eruit. At quoniam semper aliquæ remanent profundæ radices, quæ progressu temporis suos emittunt frutices, ideo est tunc necessaria nova, etsi non ita difficilis, purgatio.

Cur purgativa vita dicitur incipientium.

Adverto tertio, idem prorsus dicendum esse de activa purgatione intellectiva ; nam omnes fere defectus, cogitationes, proclivitates ad malum, etsi mortificatæ, non tamen penitus mortuæ sunt, ideoque in proficientibus etiam et perfectis interdum repullulant, ut ex factis patebit, ac propterea purgandæ sunt.

Semper necessaria purgatio.

Adverto quarto, quod de purgatione passiva, tam sensitiva quam intellectiva, — quum a Deo efficiente vel permittente proveniat, juxta altissimæ sapientiæ ac providentiæ suæ consilium ac propositum, — dari nequit certa regula, an scilicet solis incipientibus, an etiam proficientibus ac perfectis sit necessaria, licet a posteriori possit affirmative concludi, quia omnes contemplativi, cujuscumque gradus perfectionis exstiterint, passi sunt aliquod passivæ purgationis genus, tam in sensitiva quam in intellectiva parte ; et plane pluries, et aliquando usque ad desolationem et fere ad tædium et desperationem.

De purgatione passiva cur nequit dari certa regula.

Dico ergo : Purgatio activa sensitiva nedum incipientibus, sed omnibus, et proficientibus et perfectis, quoties fomes subministrat materiam vitiosam vel ad vitia inclinantem, necessaria est.

Omnibus necessaria purgatio activa sensitiva.

Probatur : Transeuntes a statu incipientium ad alios

[1] II Cor. VI, 14.

Ratione fomitis non exstincti.

superiores non sunt impeccabiles aut confirmati in gratia, nec exstinguitur in eis fomes omnis concupiscibilis aut irascibilis; ergo, quum possint peccare et interdum peccent, indigent purgatione tam ad impediendum peccatum quam ad delendum, si accidat. Antecedens pluribus modis probatur : *Septies enim cadet justus, et resurget*[1]. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat*[2]. Ex Concilio Viennensi, ut in *Clementinis :* « Homo in vita præsenti tantum ac talem perfectionis gradum non potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis[3]. » Ex Concilio Tridentino : « Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem hæc sancta synodus fatetur et sentit, quæ, quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet[4]. » Omnis autem homo, quantumvis perfectus, usque ad exitum vitæ agonizat; ergo semper plus aut minus ei subjacet.

S. Bernardus, loquens de vitiis, ait : « Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur exstincta, et sopita denuo excitantur. Parum est semel putasse, sæpe putandum est; imo, si fieri possit, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis[5]. »

Probatur ex facto et doctrina Apostoli.

Probatur secundo : S. Paulus perfectus erat ac vas electionis, et tamen fatetur se expositum concupiscentiæ tentationi, et timore lapsus rogabat Dominum ut illum protegeret; ergo multo magis alii proficientes vel perfecti subjacent ejusmodi passionum periculis, et ideo indigent purgatione vel curativa vel præventiva. Antecedens probatur primo generaliter, postea specialiter. Inquit Apostolus : *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei,*

[1] Prov. XXIV, 16. — [2] I Cor. X, 12. — [3] *Clement.*, lib. III, tit. 3, c. 3. — [4] Conc. Trid. Sess. V, can. 5. — [5] Bern. Serm. 58 *in Cant.*, 10.

per Jesum Christum[1]. Secundo specialiter probatur ex speciali facto S. Pauli : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me*[2]. Quidquid sit iste stimulus, omnes tamen dicunt ad concupiscentiam pertinere ; si ergo Paulus, vas electionis, huic subjacebat passioni, quis se ab ea liberum dicet?

Miseriæ animæ ex sancto Augustino.

Unde auctor libri *De spiritu et anima,* qui est inter opera S. Augustini, considerans hanc animæ captivitatem seu inclinationem ad vitia, ait : « Audi, o anima, qualis sis et qualis esse debeas. Onerata es peccatis, irretita vitiis, capta illecebris,... affixa membris, confixa curis, distenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, suspicionibus inquieta, sollicitudinibus anxia, advena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum iis qui in inferno sunt[3]. » Semper ergo, et in quovis statu vitæ, funibus ac laqueis istis homo se conspicit illaqueatum, ut de lapsu timere debeat; et S. Paulus ipse, tam perfectus, tam sanctus, de se ait : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*[4] ; et tamen de se dicebat : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus*[5]; et alibi : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*[6]. S. Chrysostomus super hunc locum dicit : « Castigo corpus meum et nunc multum sustineo laborem, ut temperanter vivam ; nam etsi non facile litigari potest cum cupiditate et ventris tyrannide, attamen ipsam refreno, nec me ei dedo ægritudini, sed omnem subeo laborem, ut ne ab illa abstrahar... Hæc porro dicit, ut nemo desperet in suscipiendis pro virtute certaminibus, quia laboriosa res est[7]. »

Hinc sanctissimi illi monachi qui in desertis habitabant,

[1] Rom. VII, 23-25. — [2] II Cor. XII, 7, 8. — [3] *De spir. et anima,* c. 62. — [4] I Cor. IX, 27. — [5] Gal. II, 20. — [6] Coloss. I, 24. — [7] Chrysost. *In verba Apost.,* hom. 23.

Exemplum sanctissimorum monachorum et sancti Francisci.

etsi virtutibus magnis prædíti ac perfecti, tot jejuniis et macerationibus sua corpora affligebant, ut ea in servitutem spiritus redigerent et in officio continerent, ne rebellarent. Videndi sunt S. Hieronymus in Vitis SS. Hilarionis, Pauli et Malchi, item S. Athanasius in Vita S. Antonii, Theodoretus in Vita S. Simeonis Stylitæ, qui octoginta annis super columna, id est in cacumine montis, die noctuque, vix cibum vix somnum admittens, vitam degit. Et S. Pater Franciscus, adeo sanctus, adeo perfectus, tamen adhuc stimulis concupiscentiæ lacessitus, modo in nive modo inter vepres volutabatur, carnem purgans ut eam in spiritus redigeret servitutem. Sanctorum Vitæ sunt legendæ, in quibus videbitur eos omnes, quantumvis virtutibus multis præfulgentes, continuo tamen usque ad vitæ exitum in agone cum cujuslibet generis concupiscentiis certantes, sive carnis, sive honorum, sive bonorum fortunæ, sive aliarum rerum, vitam sensitivam purgasse.

Purgatio intellectiva et affectiva omnibus semper necessaria, et quare.

Dico secundo : Purgatio activa, intellectiva et affectiva, nedum incipientibus, sed etiam proficientibus ac perfectis multoties necessaria est.

Probatur ex dictis in præcedentibus capitulis [1] : Purgatio activa intellectiva consistit in remotione defectuum et vitiorum qui in intellectu insurgunt, verbi gratia, subtilitates et curiositates supervacuæ circa altissima fidei mysteria, et, ut ait Apostolus, *non plus sapere quam oportet sapere* [2] ; et in Ecclesiastico : *In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter ;... multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum* [3]. Multis actibus potest intellectus peccare, tam circa credibilia quam circa agibilia ; posset enim, quod absit, aliquod fidei objectum negare, vel de eo dubitare ; et circa agibilia potest opiniones aliquas erroneas tenere et dictare sic agendum ; potest de Dei misericordia vel justitia circa se vacillare, et alia facere quæ dicta sunt supra [4], quæ in-

[1] *Supra*, c. 3 et 4.— [2] Rom. XII, 3.— [3] Eccli. III, 24, 26.— [4] *Supra*, c. 2, 3, 4.

tellectui competunt. At incipientes et proficientes in contemplatione et vita spirituali subjacent periculo lapsus in ejusmodi; imo continuo urgentur tentationibus circa præfata mala, et pejora intellectualia : ergo egent purgatione curativa, vel saltem præservativa a casu. Tam incipientes quam alii subjacent periculo peccandi.

Exempla multa habemus de magnis et doctis viris qui misere lapsi sunt. Considerentur Salomon, Nicolaus, Origenes, Pelagius, imo et S. Cyprianus, qui ante martyrium tenebat baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, et contendebat cum S. Stephano Papa docente contrarium ; sed acquievit, et illam externam maculam glorioso martyrio eluit. Quilibet ergo incipiens vel proficiens vel etiam perfectus in acquisita contemplativa timeat, et audiat Apostolum : *Qui se existimat stare, videat ne cadat*[1]. Et iterum dicit : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*[2]. Quid dicet simplex homo ?

Idem dicendum de parte affectiva rationali, in qua insurgere possunt peccata ei propria, ut supra dictum est[3]. Quilibet autem, cujuscumque perfectionis sit, usque ad mortem peccare potest, et saltem actu tentatur ad peccata ; ergo quilibet per totam vitam eget purgatione medicinali vel præservativa vel curativa. Etiam affectiva purgatio semper necessaria.

Dico tertio : Purgatio passiva cuicumque homini spirituali, sive incipienti sive proficienti ac perfecto, utilissima, imo ad majus meritum necessaria est. Purgatio passiva utilissima omni hominis statui.

Probatur ex factis ; Deus enim per morborum, persecutionum et diabolicarum vexationum immissiones seu tentationes probavit et exaltavit homines perfectos, sibique caros : ergo. Antecedens exemplis, etsi alias etiam adductis, probatur. Ex sacra Scriptura : Deus pluries tentavit Abraham suum dilectum, patrem credentium ; primo, per amissionem uxoris, quam abstulerat Pharao ; secundo, per amissionem ejusdem, quam abstulerat Abimelech rex Geraræ ; tertio, quum præcepit ei Deus : *Tolle filium tuum* Probatur factis ex veteri Testamento.

[1] I Cor. x, 12. — [2] *Ibid.* ix, 27. — [3] *Supra*, c. 3.

unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi [1]. Isaac sanctissimus per cæcitatem multorum annorum et Tobias sanctus homo cæcitate a Deo immissa purgabantur ; et ait Scriptura : *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ* [2]. Sanctum Job, esto gentilem tamen perfectum, in innocentia adhuc permanentem, purgavit Deus tot calamitatibus, bonorum fortunæ ac filiorum amissione, septennii morbi ac ulcerationis et in sterquilinio permanentiæ afflictione ; unde de se ait : *Probavit me quasi aurum quod per ignem transit* [3]. Ezechiam regem, tot meritis perfectum, idololatriæ eversorem, legisque divinæ piissimum cultorem, purgavit Deus timore ac terrore Sennacherib regis Assyriorum, qui cum centum octoginta quinque millibus militibus obsidebat Jerusalem, et per singulos dies, imo et horas, per nuntios minis et ludibriis eum deterrebat.

Ex novo Testamento.

Apostolus Paulus ait : *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere ; sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos* [4]. *Quum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnæ, intus timores* [5].

S. Petrus ait : *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis* [6] ; et S. Jacobus inquit : *Omne gaudium existimate, fratres, quum in tentationes varias incideritis* [7]. Enumerat S. Paulus varias tribulationes quibus Deus purgavit innumeros veteris Testamenti Sanctos, his verbis : *Alii autem distenti sunt,... alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres ; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt*

[1] Gen. XXII, 2. — [2] Tob. II, 12. — [3] Job XXIII, 10. — [4] II Cor. I, 8, 9. — [5] *Ibid.* VII, 5. — [6] I Petr. IV, 14. — [7] Jac. I, 2.

in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terræ [1]. At si vixisset Apostolus usque ad tempora Constantini, et vidisset totam Neronianam persecutionem, deinde alias Domitiani, Trajani, Antonini, Veri, Severi, Maximini, Decii, Aureliani, Diocletiani, Maximiani, Maxentii, Licinii, et ceterorum, qui, crudelibus et inexcogitatis tormentis tot Christianorum myriades persecuti, eos necarunt, pleniori stylo clamasset cum Salomone : *In paucis vexati, in multis bene disponentur; quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes et dominabuntur populis* [2], et cetera.

Ex persecutionibus Christianorum exempla.

Hic ergo est passivæ purgationis justorum fructus : gratiæ augmentum, fortitudo ad sufferendum, unio cum Deo, et æternæ gloriæ consecutio.

Fructus passivæ purgationis.

Non ergo spirituales et contemplativi horreant ejusmodi passivas purgationes ac tentationes extrinsecas, Deo volente aut permittente, sive in corpore sive in anima immissas ; neque ex hoc putent se a Deo derelictos aut minime amari vel odio haberi ; sed cogitent Sanctos omnes veteris et novi Testamenti his modis fuisse a Deo purgatos ad gratiæ et gloriæ ipsorum augmentum. Quo vero ad quascumque dæmonis tentationes, recordentur et serio recogitent quod dicit S. Hieronymus : « Si enim Salvator tentatus est, quis potest esse securus intentatum se hujus vitæ maria transire [3] ? » Recogitent quod dicit S. Paulus : *Faciet etiam cum tentatione proventum* [4].

1 Hebr. xi, 35-38. — 2 Sap. iii, 5-8. — 3 *Comm. in Epist. ad Gal.* — 4 I Cor. x, 13.

CAPITULUM IX.

BREVIS INSTRUCTIO PRO INCIPIENTIBUS AC PROFICIENTIBUS, EX PRÆMISSIS OCTO CAPITULIS EXCERPTA.

Admonitio necessaria pro incipientibus.

ADVERTO quod, quamvis contemplativi perfecti, etiam in acquisita, ad omnium præfatarum purgationum perfectionem pervenire possint, et interdum perveniant ex peculiari Dei dono, vel saltem ad eam accedant, tamen non est necessarium ut omnes, qui contemplationi vacare intendunt, debeant prius ad perfectam illam purgationem pervenire; sed sufficit si aliquam purgationem perfecte, vel ut melius possunt, faciant; ceteras vero paulatim ac successive in dies faciant, si ad apicem perfectæ contemplationis, etiam acquisitæ, cupiunt ascendere. Ideo pro istorum consolatione aliquas regulas, ex jam prolixe allatis, pro incipientibus ac proficientibus subnectam.

Prima regula: multa pia opera.

Prima regula est ut tergant speculum animæ, juxta SS. Bernardi et Bonaventuræ doctrinam, id est, si in peccatis sunt, per sacramentalem confessionem animam purgent, et pro viribus in posterum ab eis abstinere curent. Eucharistiæ sanctissimæ sumptione frequenter se muniant, Dei præcepta et Ecclesiæ prompte ac devote observent, Dei et proximi dilectioni sedulo incumbant, Missas cum reverentia ac pietate auscultent; Sanctorum, et præsertim Beatæ Virginis, sui Angeli custodis ac suorum Protectorum precibus et obsequiis incumbant.

Secunda regula: meditatio necessaria.

Secunda regula est ut in actibus meditandi se exerceant per multum tempus antequam contemplationis viam ingrediantur; hæc enim est communis et regularis praxis spiritualium, ut docet S. Bernardus [1] et nos docuimus [2].

[1] *Scala claustr.*, c. 1. — [2] Opusc. III, c. 12.

Imo, ex modo loquendi illius, videtur quod contemplativæ se applicans, non solum debeat esse in meditationibus versatus, sed quod in quolibet actu contemplandi debeat prius actum meditandi facere circa objectum contemplandum ; ait enim hæc per ordinem se habere : lectionem, meditationem, orationem et contemplationem. Et S. Bonaventura inquit : « Per meditationem ascenditur ad contemplationem [1]. » Plura de hoc argumento diximus in citato opusculo et capitulo. Incipiens ergo et proficiens debet per multum tempus exerceri in via meditationis, et postea, quoties vult objectum aliquod contemplari, debet illud prius meditari et circa illud discurrere, ut ad devotionem et affectum excitetur, deinde illud contemplari ; et hunc modum ac regulam sequi quousque sic habituetur ut, statim ac legit vel audit vel cogitat aliquod objectum contemplabile, excitetur animus ad figendum in eo oculum mentis, illudque statim intueri ac amare incipiat, nullo prævio discursu ac meditatione.

Tertia regula : se in vita activa exercere.

Tertia regula incipientium et proficientium est ut se in activa vita exerceant, id est in actibus misericordiæ spiritualis et corporalis. Hæc regula est S. Bernardi in tractatu *De modo bene vivendi,* ubi ait : « Qui prius in activa vita proficit, ad contemplativam bene conscendit ; » et subdit : « Activa vita in operibus hujus mundi Deo servit, dum pauperes pascit, recipit, potat et vestit, visitat et consolatur, sepelit, et cetera opera misericordiæ eis impendit [2]. » Idem docet et fusius S. Bonaventura, ut in capitulo secundo hujus Opusculi, et de vita activa, in Opusculo quarto, dictum fuit, quia in activa exercentur virtutes morales.

Quarta regula : non quærere mundi honores.

Quarta regula incipientium et proficientium est honores et gloriam temporalem hujus mundi non quærere nec appetere ; ita docet S. Bernardus : « Quicumque ad temporalem gloriam affectat, a contemplatione prohibetur [3]. »

Quinta regula : Dei amor.

Quinta eorumdem regula eaque plena habetur ex S. Bernardo : « Incipit munda cordis acie superna et in-

1 Bonav. *Incend. amor.*, c. 3.— 2 Bern. *De modo bene vivend.*, c. 53. — 3 *Ibid.*

terna conspicere, Deum diligere, Deo inhærere; cuncta quæ adsunt tanquam non sint considerat; cunctis suis affectionibus renuntiat, et totus soli incumbit amori, sciens solum illum esse beatum qui Deum amat. Porro ad tantam gratiam nunquam pertingit mens per propriam industriam : Dei donum est hoc, non hominis meritum. Sed absque dubio talem ac tantam gratiam ille accipit qui deserit curam sæculi et agit curam sui, qui studet se frequenter cogitare, et diligenter agnoscere quid ipse est. Redi ergo ad cor tuum, et diligenter discute teipsum. Considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis ; quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectionibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum aculeis a maligno spiritu acrius impugnaris. Quum totum interioris exteriorisque hominis statum et habitum, in quantum possibile est, plene cognoveris, et non solum qualis sis, sed etiam qualis esse debueras, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei ; quantum namque quotidie in cognitione tui proficis, tantum ad altiora semper tendis[1]. » Sic S. Bernardus.

Sexta regula : domatio passionum per exercitium virtutum.

Sexta regula est ut incipientes et proficientes quotidie studeant ut spirituales evadant, passiones et vitiosas inclinationes, quibus vident se affici, superando per moralium virtutum exercitium ; quarum victoria nequit statim aut facile obtineri, ideo diutine debent huic pugnæ incumbere.

At S. Bernardus, in tractatu ultimo suorum operum, inscripto : *Octo puncta, per quæ pervenitur ad perfectionem vitæ spiritualis,* distincte declarat quæ sunt. Et ego compendiose ea referam in gratiam spiritualium contemplantium, et maxime incipientium et proficientium ; quia Sanctus iste per eorum observantiam magna promittit, sic dicens : « Hæc octo si bene excolueris, omnium virtutum perfectionem et consummationem per gratiam Dei consequeris.

[1] Bern. *De inter. domo,* c. 6, *al.* 14.

« Primum punctum, ut pure et integre peccata tua sæpe confitearis, cum magno dolore et proposito non plus faciendi. Bona confessio peccatorum.

« Secundum, ut non frangaris adversitate vel tentatione ; sed sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem ;... quia, teste beato Gregorio, permittit Dominus electos suos lacerari detractionibus, ut in humilitate conserventur. Fortitudo in adversis.

« Tertium, ut non misceas te hominibus, nec interioribus nec exterioribus, in quantum potes bono modo ; sed tene te solitarium Sponso tuo Christo, et fuga rumores sæculi et vana colloquia... Solitudo.

« Quartum, omni tempore debes puritati cordis studere, et cordis ostia a formis sensibilium ac imaginibus terrenorum, quantum possibile est, habeas diligenter serata ; puritas namque cordis, inter omnia exercitia spiritualia, est quodammodo finalis intentio ac laborum omnium retributio quam in hac vita miles Christi emeritus recipere consuevit. » Et post multa : « Super omnia autem alia tibi semper sit principalis conatus, ut animum tuum semper sursum in contemplationem divinorum elevatum habeas, ut divinis rebus ac Deo mens jugiter transferatur. Quidquid autem ab his diversum est, quamvis magis videantur, sicut corporis castigatio, jejunium vel vigiliæ, et similia virtutis exercitia, quasi secundaria et inferiora judicanda sunt, tantum expedientia quantum ad cordis proficiunt puritatem. Inde est quod paucissimi ad veram perfectionem perveniunt, quia in mediis non multum proficuis tempus et vires expendunt. » Et post alia multa ait : « Sæpius contingit quod illud, ad quod fortassis homo se in principio adstrinxit cum quadam violentia et difficultate, postea faciliter operabitur, et tandem cum magna delectatione, dummodo non desistat. » Et post prolixum discursum concludit hoc punctum sic : « Hæc est, fili, salutis via, quam tuus Arsenius, ab Angelo edoctus, servavit et servari suis discipulis mandavit : Fuge, tace, quiesce. Hæc, inquam, sunt præcepta salutis, hæc æterna sapientia ad Puritas cordis. Animum sursum habere. Paucissimi ad perfectionem perveniunt, et quare.

discipulum. Item statim subinfertur : fons et origo omnium bonorum homini spirituali, est in cella sua jugiter commorari.

Amor carnalis amicorum et cognatorum deserendus.

« Quintum punctum est ut non contristeris vel læteris aut solliciteris pro amicis aut cognatis tuis ; sed committe eos Deo, et spirituale subsidium, scilicet orationum tuarum suffragia, eis impende ; te autem mundo crucifixum reputa et mundum tibi, ad interiora extende, tanquam omnibus amicis orbatus.

Fervor in orationibus.

« Sextum, ut sis fervens in orationibus et meditationibus sanctis, et non tepescas ; homo enim remissus, si aliquid incipiat, in principio aliquantulum strenue agit, deinde diminuendo procedit, quia multorum est incipere, paucorum finire ; sola tamen constantia coronabitur, sola accipiet bravium. Nulla sine labore virtus, et ad magna non pervenitur nisi per magnos labores ; regnum enim cœlorum non desides, non remissi, non delicati, sed violenti rapiunt illud. » Et post multa : « Dummodo tu bonus æmulator fueris et discretus, non judicabis aliorum facta ; nec moveat te, si videris aliquos minus discretos, alios ignaros, alios indoctos, alios remissos in Horis aut quibuscumque vitiis obnoxios ; claude oculos in quantum potes ad aliorum facta perscrutanda ; » et alia multa, quæ caritatem proximi et animi tranquillitatem concernunt.

Silentium et loquendi modestia.

« Septimum punctum, ut sis tacens et non multiloquens, ubicumque fueris loquendo vel respondendo, leviter et remissa voce, placido vultu, disciplinatis moribus, pauca et rationabilia verba loquaris ; plus diligas audire quam audiri, ut interrogatio magis aperiat os tuum, quam ad non interrogata respondere. Non innitaris tuæ prudentiæ, neque confidas in propriis sensibus, et non sis sapiens in oculis tuis. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed discretum, modestum et ordinatum in omnibus te exhibeas, » et cetera.

Otii fuga.

« Octavum punctum, ut nunquam sis otiosus, nam in desideriis est omnis otiosus. Ama igitur scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis : nec vacet mens tua

variis perturbationibus quæ, si pectori tuo insederint, dominabuntur tui et ducent te ad delictum maximum. Semper igitur aut legas, aut ores, aut aliquid de sacris mediteris, multa enim mala docuit otiositas ; est enim mors animæ et vivi hominis sepultura et sentina omnium malorum. Singulis horis et diebus sua tribue exercitia, spiritualibus spiritualia, corporalibus corporalia. In omnibus caveas tibi a peccato, et proximo a scandalo. Statim quum sentis te stimulari a vana gloria vel quacumque tentatione, principiis obsta, et sis agilis ad quæcumque agenda quæ ex alterius admonitione vel divina instigatione intelligis esse facienda. Discas tibiipsi præesse, et teipsum regere, non alios ; vitam propriam ordina, mores tuos compone, teipsum judica, apud temetipsum accusa et condemna, nec impunitum dimitte excessum. Tibiipsi esto durus, nunquam aliis. Mane, præteritæ noctis fac a teipso exactionem, et futuræ diei tibi indicito cautionem ; vespere, præteritæ diei rationem exige. Considera quantum proficias, quantum adhuc tibi restat itineris, grandis enim tibi restat via, antequam videatur Deus deorum in Sion. »

Concludit tandem : « Quum in his octo jam præmissis te exercueris, de virtute in virtutem proficiendo, esto cautus contra insidias diaboli, ne te abducat ab eis. » Et hoc digno fine expliciunt omnes S. Bernardi tractatus. Et hoc ego fine expliciam *(sic)* instructionem incipientium contemplativorum. Cetera ex præmissis aliis octo capitulis hujus opusculi accipienda sunt. Conclusio.

De proficientibus autem nil aliud occurrit dicendum, nisi quod ex diversis monet S. Bonaventura [1], nempe quod dantur gradus in contemplativis ; quod, ait, « ostendit Gregorius [2], dicens sic : Nemo infima deserens, repente fit summus ; quia ad obtinendum perfectionis meritum oportet ut mens quotidie in altum quasi quibusdam ascensionis gradibus perveniat. Unde et recte Psalmista dicit : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in* Ex sancto Bonaventura ordo proficiendi.

[1] *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1. — [2] *Moral.* XXII, c. 14.

Sion[1]. Et idem : Deus in gradibus ejus cognoscetur, scilicet contemplationis, quum suscipiet eam contemplator[2]. »

Juxta Lincolniensem. Deinde adducit exemplum Lincolniensis : « Sicut oculi carnis infirmiores prius suscipiunt lumen solis obscurum et magis coloribus superfusum, deinde magis confortati suscipiunt illud a coloratis mediis coloribus, et postea, visu roborato, plus suscipiunt illud superfulgidum coloribus albis, deinde vero plus aucta sanitate, suscipiunt illud fulgentibus coloribus superfusum, ut speculis tandem oculis perfecte sanatis suscipiunt solarem radium, non autem alicui superfusum, sed in se purum ipsum solem in ipso puro solari lumine irreverberare conspicientes : sic etiam oportet mentis oculum infirmiorem prius assuefieri ad conspiciendum lumen solis, intelligentia in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem ex ipsa luminis datione multis multipliciter superfusa extendamur et restituamur in simplicem ipsius radium[3]. »

Et subdit Seraphicus Doctor : « Ex prædictis apparet quod, tam in radioso lumine contemplationis speculativæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, oportet paulatim et gradatim proficiendo ascendere, et ascendendo

Juxta Hugonem. clarius cognoscere Deum ; quia, sicut dicit Hugo[4], quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur... et inflammetur, ut totus homo exterior et interior in Deum ordinetur; et hoc verius et perfectius videtur fieri per gradus illos qui mentem ad similitudinem cœlestis Hierarchiæ purgant, illuminant et perficiunt. Ait enim Hugo[5] : Oportet quod mens, quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, postea illuminetur et deinde perficiatur ;... et tales quanto magis ascendunt, tanto magis appropinquant Divinitati... Tales autem gradus Dionysius dicit esse tam in mente angelica quam in mente humana bene ordinata[6]. »

[1] Ps. LXXXIII, 8. — [2] Greg. Mag. *Moral.* XXII, c. 14. — [3] Lincoln. *Super Ang. Hier.* — [4] Hugo *Super Ang. Hier.*, lib. IX, partic. 2. — [5] *Ibid.*, lib. VIII. — [6] Bonav. *loc. cit.*

His ergo regulis instructus, incipiens, Deo adjuvante, proficere poterit in virtute contemplationis ; cetera eum docebit unctio.

CAPITULUM X.

DE DURATIONE CONTEMPLATIONIS.

Ratio et sensus quæsiti.

Adverto quod de hoc argumento locuti sumus supra [1] ubi de meditatione, et ibi dicta sufficere possent; quia tamen posset aliqua difficultas peculiaris esse de contemplatione, quæ requirit majorem abstractionem a sensibus ideoque laborem majorem, tironibus satisfaciemus. Sensus ergo est, quanto temporis spatio durare debet actus contemplandi in contemplatione acquisita.

Duplex sensus quæsiti.

Adverto secundo, quod duplex esse potest sensus quæsiti, sicut dupliciter sumi potest contemplatio ; vel enim sumitur pro toto aggregato ex præparatione, meditatione (si fiat prævia meditatione), contemplatione ipsa, gratiarum actione et petitione; vel sumitur pro solo actu contemplandi. Et notandum quod loquimur de contemplatione acquisita ; infusa enim durat quamdiu Deus detinet in ea animam cui illam infundit, ut in proprio Opusculo dicetur.

Actus contemplandi non potest multum durare, et cur.

Dico ergo : Actus contemplandi non potest multum durare, sed juxta dispositionem et habituationem contemplantis, ad summum autem durare potest per mediam horam.

Probatur prima pars ex defectu naturæ a sensibilibus obrutæ, quæ nequit per multum tempus eorum cogitatione et affectione carere; obstrepunt enim phantasmata, deficit vigor et attentio, et anima ad sensibilia revertitur.

1 Opusc. II, c. 12.

Quod mire confirmat S. Augustinus, qui de orando Deo loquitur sic : « Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio [1]. »

Testimonium sancti Augustini.

Idem S. Augustinus de hac incertitudine durationis in contemplatione dicit : « Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcitudinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, et resorbeor solitis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat ! Hic esse valeo, nec volo ; illic volo, nec valeo ; miser utrobique [2]. »

Hoc testatur sanctus Gregorius.

De qua animæ lucta cum sensibus locutus est etiam S. Gregorius inquiens : « Est autem in contemplativa vita magna mentis contentio, quum sese ad cœlestia erigit, quum in rebus spiritualibus animum tendit, quum transgredi nititur omne quod corporaliter videtur, quum se deangustat ut dilatetur. Et aliquando quidem vincit, et reluctantes tenebras suæ cæcitatis exsuperat, ut de incircumscripto lumine quiddam furtim et tenuiter attingat ; sed tamen ad semetipsam protinus verberata revertitur, atque ab ea luce ad quam respirando transiit, ad suæ cæcitatis tenebras suspirando rediit [3]. » Et infra : « Anima, quum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exsuperat, quia intelligendo et sentiendo aliquid de incircumscripto lumine degustat ; modo vero succumbit, quia et degustando iterum deficit [4]. »

Sanctus Bernardus.

S. Bernardus pluries de re ista loquitur ; super illud *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* [5],

[1] Aug. *Epist.* 130, al. 121, c. 10, § 20. — [2] *Id. Confess.*, lib. x, c. 40. — [3] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [4] *Ibid.* — [5] Cant. II, 5.

ait : « Ergo ex bonis operibus in fide non ficta radicatis recipit consolationem mens assueta quieti, quoties sibi (ut assolet) lux contemplationis subtrahitur. Quis enim, non dico continue, sed aliquamdiu dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur? At quoties, ut dixi, corruit a contemplativa, toties in activam se recipit; quoniam sunt invicem contubernales hæ duæ, et cohabitant pariter [1]. » Hoc ergo est pro contemplativo remedium, ut, si in actu contemplandi nequeat multum durare, in actibus activæ vitæ se exerceat, vocaliter verbi gratia orando, legendo sacram Scripturam vel spirituales libros, gratias Deo agendo, petendo a Deo beneficia pro se aut proximo et pro Ecclesia.

Sanctus Thomas.

S. Thomas de hac duratione bis loquitur; primo de omni oratione dicens : « Conveniens est ut oratio tantum duret quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem; quum vero hanc mensuram excedit, ita quod sine tædio durare non possit, non est ulterius oratio protendenda [2]. » Et refert dictum S. Augustini supra allatum de monachis Ægypti, qui crebras sed brevissimas orationes faciebant. Secundo dicit : « Unde, etsi quantum ad hoc (in sui summo) contemplatio diu durare non possit, tamen quantum ad alios contemplationis actus durare diu potest [3]; » id est, quantum ad actus antecedentes præparatorios, et quantum ad consequentes, ut sunt gratiarum actio, oblatio et petitio.

Sanctus Gregorius de media hora.

De duratione per mediam horam ad summum, omnium primo locutus est S. Gregorius qui, explicans illud Apocalypsis : *Factum est silentium in cœlo quasi media hora* [4], tropologice de anima contemplante intelligit, dicens : « Cœlum quippe est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit : *Cœlum sedes mea* [5]; et : *Cœli enarrant gloriam Dei* [6]; quum ergo quies contemplativæ vitæ

[1] Bern. *In Cant.*, serm. 51. — [2] Thom. 2. 2, q. 83, art. 14. — [3] *Id.* 2. 2, q. 180, art. 8 ad 2. — [4] Apoc. VIII, 1. — [5] Is. LXVI, 1. — [6] Ps. XVIII, 1.

agitur in mente, silentium fit in cœlo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam hora integra factum in cœlo silentium dicitur, sed quasi media hora, ut neque ipsa media hora plene sentiatur, quum præmittitur *quasi*, quia mox ut se animus sublevare cœperit et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, et confusus cæcatur [1]. » Idem S. Gregorius miro quidem modo id confirmat, et rationem ex conditione naturæ humanæ assignat : « Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis alias dictum est : *Factum est silentium in cœlo quasi media hora* [2]. Cœlum quippe ecclesia vocatur electorum, quæ, ad æterna et sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita perfectum esse non potest, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem rursum ad respicienda terrena oculum cordis violenter trahunt; unde scriptum est : *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* [3]. Bene ergo factum hoc silentium non integra, sed dimidia hora

Quomodo infelix anima a sensibilibus distrahitur, ne superna cogitet.

[1] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [2] Apoc. VIII, 1. — [3] Sap. IX, 15.

describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur[1]. » Hæc S. Gregorius; ex quibus duo habentur : et quod parum durare possit actus contemplandi, et quod de acquisita contemplatione loquatur, quia strepitui et infestationi cogitationum subjecta est, et cessare cogitur; non sic est infusa, quæ tamdiu durat quamdiu a Deo conservatur, et strepitui cogitationum terrenarum subjecta non est.

Sanctus Bernardus de media hora.

S. Bernardus ex illo Sponsi *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit*[2], tropologice declarat de anima contemplante, sic : « Ne suscitetis animam divinæ contemplationi deditam, orationibus et divinis lectionibus occupatam, et ne eam ad exteriora opera inquietare velitis, donec ipsa velit, hoc est donec, expleto contemplationis tempore, admonente corporis fragilitate, velit ipsa suscitari a somno internæ quietis et intimæ dulcedinis. Sed tamen in hac mortali vita nemo potest perfecte contemplari Deum[3]. » Et statim adducit dictum Apocalypsis de media hora et totam fere periodum explicationis S. Gregorii nuper adductam, quam replicare superfluum est.

CAPITULUM XI.

AN HONESTUM ET RELIGIOSUM SIT PROCURARE ET PETERE A DEO VIRTUTEM CONTEMPLATIONIS.

Ratio cur hoc dubium discutitur.

Advertо non sine causa hoc dubium hic proponi. Ratio est, quia quamplures, — ut egomet experimento comperi, — utpote ignavi, desides et mundo dediti, derident eos qui sancto contemplationis exercitio incumbunt, imo

1 Greg. Mag. *Moral.* XXX, c. 16.— 2 Cant. II, 7.— 3 Bern. *De modo bene viv.*, c. 53.

et damnant quasi ex ambitione id faciant ut pro Sanctis habeantur; et, quod pejus est, vocant præsumptuosos, quia appetunt virtutem solis perfectis a Deo tributam, et contra documentum Spiritus Sancti : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus* [1]. Hæc et similia servis Dei contemplativis objiciuntur ; ut ergo a calumniis Dei servos liberem,

Honestum est contemplationem appetere.

Dico : Bonum, honestum ac religiosum est contemplationis virtutem appetere, pro viribus procurare, eamque a Deo petere.

Probatur evidenter : Bonum, honestum, imo perfectum est Dei cognitionem perfectam ejusque dilectionem appetere, procurare et a Deo petere ; hæc duo habentur in contemplatione : ergo... Imo ex S. Gregorio sæpe allato, præsentis vitæ contemplatio, æternæ est inchoatio. Major probatur : ad hæc duo collimat mens fidelium ; et dicit Christus : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solmu Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* [2]. Et interrogatus : *Quod est mandatum magnum in lege* [3] ? respondit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua* [4]. Minor probatur ex sæpe dictis in toto tractatu, quod contemplatio principaliter est contuitus divinæ majestatis per fidem cum saporosa ejus dilectione. Consequentia est evidens, bonum scilicet esse hanc appetere, petere et procurare, sicut aliæ virtutes appetuntur, procurantur et a Deo petuntur. Unde S. Jacobus ait : *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans* [5]. Et Salomon de se dicit : *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ* [6]. Peti ergo a Deo potest, quia, ut idem S. Jacobus ait, *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* [7].

Postulanda est a Deo.

1 Eccli. III, 22. — 2 Joann. XVII, 3. — 3 Matth. XXII, 36. — 4 *Ibid.*, 37. — 5 Jac. I, 5, 6. — 6 Sap. VII, 7. — 7 Jac. I, 17.

Joannis Gersonis monitio.

Confirmatur ex Joanne Gersone, qui contra damnantes illos qui ad contemplationem adspirant, ait : « Non est dicendum quod tendens ad finem contemplationis, hoc est ad amandum summe Deum ex toto corde, quod talis nimis in altum aut præsumptuose agat. Imo ecclesiastici et religiosi, quorum vita ad hoc ordinata est, omnino se dare debent ad vitam hanc potius quam ad aliam. Similiter et clerici, præcipue quoque theologi, aut certe eorum scientia jam non eis auxiliabitur, aut iidem inflabuntur, efficienturque vani, vacui et superbi [1]. » Ergo bonum est ad contemplationis virtutem adspirare, eamque procurare et a Deo petere.

Salvator ad hoc hortatur.

Confirmatur, nam, ut ex mysticis dicam, etiam contemplatio infusa appeti potest et a Deo humiliter peti. Siquidem Salvator ait : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [2]. S. Petrus dicit [3] : *Ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* [4]. S. Jacobus inquit : *Ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes* [5]. Sive ergo verba ista pertineant ad præceptum, sive ad consilium, nunc parum refert discutere ; sufficit scire quod cupere possumus tales esse. At S. Paulus testatur : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est* [6]. Et Salvator ait : *Sine me nihil potestis facere* [7]. Et alibi docet nos ut a Deo petamus spiritum bonum : *Petite, et dabitur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis* [8]. Et infra : *Quanto magis Pater vester qui in cœlis est dabit bona petentibus se* [9] ! Contemplatio autem est spiritus nedum bonus, sed optimus ex Christi oraculo, dicente de Maria Magdalena contemplante : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [10].

Et præclare S. Leo docet hominem curare debere ut

1 Gers. *De monte contempl.*, c. 28. — 2 Matth. v, 48. — 3 I Pet. i, 15, 16. — 4 Lev. xi, 44. — 5 Jac. i, 4. — 6 II Cor. iii, 5. — 7 Joann. xv, 5. — 8 Matth. vii, 7. — 9 *Ibid.*, 11. — 10 Luc. x, 42.

Ex sancto Leone quia homo est imago Dei.

sit Dei imago in perfectionibus, sic : « Inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum ut imitator sui esset Auctoris, et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat [1]. »

Ex sancto Gregorio quia homo est de genere Dei.

S. Gregorius, super illud S. Pauli, *Genus ergo quum simus Dei* [2], ait : « Genus videlicet Dei dicimur, non ex ejus natura editi, sed per Spiritum illius et voluntarie conditi et adoptive recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur [3]. »

Ex sancto Bernardo quia homo est similitudo Dei.

Et hoc est quod insinuat Apostolus : *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi* [4]. Unde S. Bernardus ait : « Est alia magis Deo propinqua similitudo, inquantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit ; in qua animus virtutis magnitudine summi Boni quasi imitari gestit magnitudinem, et perseverantiæ in bono constantia, æternitatis ejus incommutabilitatem [5]. » Potest ergo homo licite et honeste petere a Deo virtutem contemplationis omnemque aliam, ut ad Dei perfectionem, quantum homini fas est, juxta Christi documentum, accedere possit. Et

Ex Balthasaro Alvarez quomodo petenda.

Balthasar Alvarez docet etiam infusam posse appeti, sic : « Quamvis æquum sit et expediens viris perfectis, a vitiis emundatis et omni virtute præditis, perfectam contemplationem ardenter desiderare et humiliter petere, nemo tamen debet ad eam conari aut quasi in ea se ponere; quia non est in potestate humana, sed venit ex benignitate divina [6]. » Adde quod vocatio ad eam sine hominis petitione a Deo est; et tandem si potest homo petere a Deo et vehementer appetere contemplationem Dei in patria evidentem et æternam, cur non poterit petere obscuram et temporalem cui illa æterna succedit?

Ad illud argumentum *Altiora te ne quæsieris* [7], dicit

1 Leo Papa *De jejun.*, serm. I. — 2 Act. XVII, 29. — 3 Greg. Mag. *Moral.* XX, c. 16, al. 17. — 4 Ephes. V, 1. — 5 Bern. *Epist. ad fratr. de Monte Dei*, c. 16. — 6 Balth. Alv. opera, t. III, lib. III, par. 2, tit. 13. — 7 Eccli. III, 22.

Lyranus : « Id est secreta Divinitatis, quia *qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* [1]. » Secundo, intelligitur de profanis rebus non spectantibus ad perfectionem, alioquin ad nullam perfectionem posset homo adspirare, omnes enim altiores illo sunt ; et tamen Christus docet ut eas procuremus.

CAPITULUM XII.

PRO DEI SERVIS CONTEMPLATIVIS, CETERISQUE SPIRITUALIBUS QUI A MUNDANIS IRRIDENTUR, CONSOLATIO.

Auctoris intentio.

ADVERTO quod, sicut caro contraria est spiritui, et sicut ait Apostolus : *Caro enim concupiscit adversus spiritum* [2], ita homines mundani et carnales contrarii sunt spiritualibus et contemplativis, ita quod ridiculis nominibus eos cognominent, et vehementer perturbent, adeo ut pudeat eos cum mundanis conversari, ne derideantur. Ideo operæ pretium duxi aliquo modo eos consolari et ad patientiam hortari, quia sancti et sanctissimi viri talia passi sunt ; et, quod caput est, ipsemet Sanctus Sanctorum ejusmodi se submisit irrisionibus, ut suos servos et verbo firmaret et exemplo ; et, ut inquit S. Petrus [3], talia passus, nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Consolatio sumenda ex exemplis sanctorum.

Dico ergo primo : Consolari debent spirituales et contemplativi homines, quum irridentur et vituperantur, quia omnes servi Dei, Deo permittente ad meritum, semper ejusmodi irrisionibus et ignominiis fuerunt subjecti.

Prædicta fuit hæc spiritualium irrisio.

Probatur primo ex generali quodam dicto Sapientiæ, ubi Salomon introducit ejusmodi spiritualium irrisores damnatos et scientes gloriam spiritualium, sic dicentes : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in simili-*

1 Prov. xxv, 27. — 2 Gal. v, 17. — 3 I Pet. II, 21.

tudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore ; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis [1]. Ita plane verum dicunt isti, sed sine fructu : derisores spiritualium *cæci sunt* et, ut Christus dixit, *duces cæcorum* [2].

Exempla ex sacra Scriptura.

Sacræ Scripturæ plura habemus exempla irridentium Dei servos. Sit omnium primum de uxore Job, quæ sanctissimum virum tot miseriis afflictum sic illudebat : *Adhuc tu permanes in simplicitate tua ! Benedic Deo* (id est maledic) *et morere* [3]. Sed dignum temeritate et irrisione retulit responsum : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es* [4].

Tobiam seniorem, sanctum virum, cæcitate afflictum eodem modo irrisum legimus ; *nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes : Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas ? Tobias vero increpabat eos* [5], et cetera.

Davidem ante arcam Domini, quum portaretur a domo Obededom in Jerusalem, ludentem, saltantem et prophetice cantantem, irrisit Michol uxor ejus, ironice dicens : *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel* [6] *!* At graviter objurgavit eam David tanquam filiam regis a Deo reprobati ob nequitias.

Eliseum prophetam, postquam miraculose aquas salsas Jericho dulcorasset, juvenes quidam deridebant et illudebant, dicentes : *Ascende, calve ;... egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros* [7].

Duo exempla ex historia profana.

Ex historiis multa possent adduci exempla sanctorum ac spiritualium virorum a mundanis irrisorum. Adducam unum regium S. Ludovici Francorum regis ex ejus Vita apud Surium. Nuntius Comitis Gheldriæ missus ad regem

1 Sap. v, 3-6. — 2 Matth. xv, 14. — 3 Job II, 9. — 4 *Ibid.*, 10. — 5 Tob. II, 15-17. — 6 II Reg. VI, 20. — 7 IV Reg. II, 23, 24.

pro negotio, reversus ad illum et interrogatus an vidisset regem Ludovicum, respondit subsannans et collum contorquens : Vidi illum miserum papilardum regem grisea veste indutum, ad scapulas caputium gestantem ; — humillimus erat sanctus ille rex ; — sed vix hæc verba finierat, et ecce facies ejus retrorsum acta, et ita contorta perpetuo permansit. Aliud adducam de S. Ambrosio Mediolanensi archiepiscopo ex Paulino in Vita ejus, et Baronio, anno trecentesimo nonagesimo septimo. Donatus quidam Afer, sed Mediolanensis ecclesiæ presbyter, defuncto S. Ambrosio, in convivio quodam deridebat Ambrosium ejusque sanctitatem ; sed subito gravi percussus ulcere, e loco in quo jacebat per alios sublevatus, in sepulcrum ductus est.

Paulus apostolus irridetur.

Sed redeamus ad sacram Scripturam. Paulus apostolus, vas electionis, organum Spiritus Sancti, Athenis prædicans irrisus est a multis philosophis stoicis. *Quidam dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere* [1] ? et irridebant eum. Quid plura ? Judicabatur insanus ; præses Festus dicit ei : *Insanis, Paule ; multæ te litteræ ad insaniam convertunt* [2]. Alias alibi sustinuit irrisiones et insanum audivit se teneri et vocari. Unde ad consolationem servorum Dei de hoc gloriatur : *Nos stulti propter Christum* [3], id est, tales reputamur a mundanis. Commune quidem inter mundanos proloquium est, quum aliquem Dei servum ac spiritualem cernunt, non ambulantem per eorum vias : est, dicunt, insanus, hypochondriacus, hypocrita, energumenus, aliquid interne fovet, et cetera.

De ipsomet Christo illuso et irriso multa exempla pro consolatione.

At quid ultra quærimus exempla spiritualium derisorum et mundanorum deridentium ? Convertamus mentis oculos ad Prototypum, ad Magistrum nostrum et Salvatorem Jesum Christum, et consideremus quot qualesque derisiones et illusiones ob singularem præcellentemque sanctitatem spiritualitatemque, factis ac verbis ostensam, passus est ; et in eo consoletur spiritualis quum irridetur ac illuditur. Quam injuriam, quam calumniam omnis

[1] Act. xvii, 18. — [2] *Ibid.* xxvi, 24. — [3] I Cor. iv, 10.

generis non audivit Sanctorum Sanctissimus ? Non tædeat spiritualem audire quæ ad cumulum meritorum et ad nostrum exemplum audire passus est Dominus ob sanctitatem vitæ ac doctrinæ ; nunc enim ex novitate doctrinæ vocant eum Samaritanum, id est a fide vera apostatam : *Samaritanus es tu* [1] ; nunc dæmonium habentem : *Dæmonium habes* [2] ; nunc dæmonium habentem et insanum : *Dæmonium habet et insanit* [3] ; nunc *exierunt tenere eum ; dicebant enim : Quoniam in furorem versus est* [4] ; nunc calumniantur tanquam magum et diabolica virtute operantem miracula : *Dicebant : Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia* [5] ; nunc vocant perversorem populi cum sua doctrina : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram* [6] ; nunc impedientem obedientiam subditorum ad superiores : *Et prohibentem tributa dare Cæsari* [7] ; nunc dicunt eum non bonum hominem, sed seductorem : *Alii autem dicebant : Non* (bonus est), *sed seducit turbas* [8] ; neque post mortem Christi abstinent ab hac calumnia : *Seductor ille dixit adhuc vivens* [9] ; alii voracem et vini amicum : *Ecce homo vorax, et potator vini* [10] ; alii quod male instruebat discipulos, non faciens eos jejunare sicut faciebat Joannes Baptista cum discipulis suis. Nunc dicunt illum amicum pessimorum hominum, conversantem et manducantem cum illis : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester* [11] ? Nunc, quod non est vere propheta : *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum* [12] ; erat enim Magdalena peccatrix. Tædet alia ignominiosa referre, quibus Sanctissimo Sanctorum ob doctrinæ novitatem ac sanctitatem, quibus Pharisæi et Judæi omnes carebant, impie convitiabantur.

Aliæ mundanorum persecutiones in Christum.

Verum hic non sistunt mundani adversus spirituales ; modo derident conditiones personarum, quod sint viles

[1] Joann. VIII, 48. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* X, 20. — [4] Marc. III, 21. — [5] *Ibid.*, 22. — [6] Luc. XXIII, 2. — [7] *Ibid.* — [8] Joann. VII, 12. — [9] Matth. XXVII, 63. — [10] *Ibid.* XI, 19. — [11] *Ibid.* IX, 11. — [12] Luc. VII, 39.

vel artifices, muliones, pastores vel servi, alteriusve vilis conditionis; modo derident singularitatem doctrinarum vel exercitiorum, a quibus mundani aversi sunt. At hæc etiam in Christo Domino deridebant, dicebant enim : *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus, Jacobus et Joseph et Simon et Judas? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo* [1]. Quasi Deus non potuisset fabrum et filium fabri (etiam si talis fuisset Christus) elevare ad gradum propheticum, qui potuit ad eumdem gradum elevare Davidem pastorem ovium, Eliseum actu cum bobus arantem, per Eliam manus ei imponentem jussu Dei, et sic de aliis Prophetis omnis conditionis. Mirabantur spernentes Salvatorem Pharisæi, dicentes : *Quomodo hic litteras scit, quum non didicerit* [2]? Quasi non posset Deus scientiam alicui infundere, sicut fecit cum Adam, Salomone, Isaia, David et Prophetis omnibus, qui futura in Lege etiam gratiæ a Deo didicerunt et posteros docuerunt. Et sic respondit Salvator : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* [3]; quia a Deo sibi erat infusa. Mirabantur et scandalizabantur de novitate doctrinæ et potestate expellendi dæmones : *Quidnam est hoc? Quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei* [4]. Quasi non posset Deus communicare potestatem faciendi miracula, qui eam communicaverat Moysi per annos quadraginta; postea Josue, Eliæ, Eliseo, et ceteris. Et ita de aliis multis pharisaicis scandalis circa opera, nova quidem et grandia, Salvatoris. Invidebant ei quia ea ipsi facere non poterant, sed ignavi erant et obcæcati ex invidia; quia si voluissent sequi Christum, facere potuissent similia, nam Christus dicit : *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* [5].

[1] Matth. XIII, 55-57. — [2] Joann. VII, 15. — [3] *Ibid.*, 16. — [4] Marc. I, 27. — [5] Joann. XIV, 12.

Sic faciunt mundani cum spiritualibus.

Ita prorsus mundani erga contemplativos, meditativos ceterosque spirituales faciunt. Contemnunt eos quod vel sunt viles personæ vel famuli vel illitterati vel negotiis applicati vel conjugati, et hujusmodi, quasi solis nobilibus vel litteratis vel anachoretis vel uxore carentibus vel aliis determinati status personis Deus statuerit dona sua spiritualia largiri et non aliis. Decipitur qui talia cogitat ; *non enim est acceptio personarum apud Deum* [1]. *Non enim est distinctio Judæi et Græci,* ait Apostolus, *nam idem Dominus omnium* [2]. *Dividens singulis prout vult* [3]. Imo Salvator testatur humilibus personis hæc revelari : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* [4] ; et rationem assignat : *Quoniam sic fuit placitum ante te* [5]. Et Deus ait : *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit* [6].

Humilibus Deus sua confert dona spiritualia.

Quos vult Deus ad contemplationem elevat.

Et hæc est gravis illa S. Ambrosii sententia quam semper magnifecit S. Augustinus contra Pelagium et sequaces : Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit. Hæc illa Magni Gregorii : « Non enim contemplationis gratia summis datur et minimis non datur, sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest [7]. » Audiant mundani, et spirituales non irrideant neque judicent : sed mirentur et imitentur illos cujuscumque conditionis sint, quia Dei servi sunt et a Deo vocati.

Spiritualium consolatio ex imitatione Christi.

Consolentur et gaudeant contemplativi, activi, meditativi, omnisque generis spirituales, quum irridentur, illuduntur ac judicantur a mundanis, et patienter ferant ; participes enim sunt passionum Christi Domini ac Magistri, qui, hæc de servis suis prævidens, dixit : *Si me per-*

[1] Rom. II, 11. — [2] *Ibid.* X, 12. — [3] I Cor. XII, 11. — [4] Matth. XI, 25. — [5] *Ibid.*, 26. — [6] Exod. XXXIII, 19. — [7] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 17, al. lib. 2, hom. 5.

secuti sunt, et vos persequentur [1]; quia inquit : *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servo sicut dominus ejus* [2]. *Vobis,* ait S. Petrus, *relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* [3]. Salvator enim in horum solatium concludit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* [4]. Amen.

1 Joann. xv, 20. — 2 Matth. x, 24, 25. — 3 I Pet. II, 21. — 4 Luc. xxi, 19.

OPUSCULUM SEPTIMUM

DE

CONTEMPLATIONE INFUSA

AC SUPERNATURALI

Terram incognitam peragraturus, quid de ea ejusque incolis dicam ignoro. Imitabor sanctum evangelistam Lucam qui, de Christi operibus ac vita scripturus, quum eum non agnoverit, testatur se scribere ea quæ ab iis audierat qui cum eo fuerant conversati. Sic et ego, qui altissimam hanc virtutem non sum expertus, ea de ipsa dicam quæ ab aliquibus expertis audivi et ex aliorum libris legi. Distincte tamen et breviter rem peragam, illa devitans quæ omnes sciunt et a præsenti negotio sunt aliena.

CAPITULUM PRIMUM.

AN DETUR SPECIES CONTEMPLATIONIS DICTA « INFUSA » AC « SUPERNATURALIS ».

Adverto primo, quod vocabula hæc, *infusa* et *supernaturalis*, in sacra Scriptura non leguntur frequenter; quum tamen ex eorum declaratione pendeat potior notitia hujus excellentissimæ virtutis, accurate sunt de-

Quid significat vox *infusio*.

claranda. Ideo notandum quod ex grammaticis ac philosophis *infundere* significat rem aliquam in vas aliquod immittere ; et cum hac analogia theologi actionem illam qua Deus, sive in ordine naturæ sive in ordine gratiæ, aliquid immittit in aliquo, appellant infusionem, ut patet de infusione animæ, de infusione habituum. De *immissione* tamen habemus exempla in sacra Scriptura : *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam* [1]. *Ecce ego immittam ei spiritum* [2]. *Immisit in os meum canticum novum* [3]. Concilia tamen Viennense et Tridentinum, loquentia de productione et immissione habituum supernaturalium fidei, spei et caritatis in Baptismo etiam parvulorum, utuntur verbo *infusionis*. Videndum ergo an detur aliqua species contemplationis quæ a Deo immediate in aliqua anima immittitur seu infunditur.

Difficultas quod dicatur infusa.

Adverto secundo, difficultatem (cum doctis nunc loquor) ex eo oriri quod, quum quælibet contemplatio consistat in actibus intellectus et affectus seu voluntatis, qui, quum sint vitales, necessario exigunt produci a principiis intrinsecis, non videtur quomodo possent dici infusi a Deo. Scio Scotum cum aliis docere quod Deus de potentia absoluta potest se solo producere actum vitalem in potentia, hac se habente mere passive, et per eum tendere in suum objectum, verbi gratia actum intelligendi in intellectu et volendi in voluntate ; tamen hoc non videtur dicendum in hac materia, quia sine causa multiplicari non debent miracula ; nec Scotus id concederet, quum crebro perfecti contemplativi actus contemplandi exerceant : ideo videndum quonam modo dicatur infusa contemplatio quæ a potentiis animæ producitur.

Difficultas quomodo supernaturalis.

Adverto tertio similem fere esse difficultatem de vocabulo *supernaturali*, quomodo scilicet dici possit supernaturalis absolute et quasi antonomastice, ad differentiam acquisitæ, quum hæc etiam sit supernaturalis ratione objecti ac principii, quia ad eam concurrit auxilium

[1] Gen. II, 21. — [2] IV Reg. XIX, 7. — [3] Ps. XXXIX, 4.

supernaturale, imo speciale et extraordinarium, sicuti sunt actus fidei, spei, caritatis et pœnitentiæ in adultis se præparantibus etiam ad primam justificationem, quia hi omnes, ad hoc ut fiant sicut oportet, ex Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio faciendi sunt [1]. Hoc ergo dubium est discutiendum, et sic paulatim natura contemplationis istius nobilissimæ paucissimis concessæ facile innotescet. His præmissis,

Datur infusa contemplatio.

Dico primo : Datur species quædam contemplationis valde diversa ab acquisita, quæ dicitur *infusa* a Deo ac *supernaturalis*. Est communis sententia inter theologos mysticos.

Probatur : Datur quædam mentalis divinorum cognitio et amor, cum tanta illustratione et claritate ex parte intellectus, et inflammatione, dulcedine ac suavitate ex parte voluntatis, quæ humana industria aut labore haberi non possunt, et quæ non omnibus Dei servis meditationi aut contemplationi vacantibus sunt communes, ut isti fatentur; ergo sunt a Deo immissæ, et sic *infusæ*. Consequentia est evidens; id enim vocamus infusum quod in anima reperitur et ordinis naturæ non est.

Ex confessione Sanctorum.

Antecedens patet ex confessione Sanctorum qui eas qualitates in seipsis experti sunt, et in suis scriptis id testati sunt, sicut SS. Dionysius Areopagita, Bernardus, Thomas, Bonaventura, Theresia et alii plures. Si igitur illi talem contemplationem experti sunt, alii vero non, et illa non potest esse a dæmonis virtute, est a Deo, quia, ex S. Jacobo, *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum* [2].

Probatur secundo ex multis qualitatibus antecedenter, concomitanter et consequenter ad hanc contemplationis speciem concurrentibus, quæ non nisi a Deo produci ac immitti possunt in anima, ut passim ex dicendis patebit; ergo admittenda est hæc contemplationis species dicta *infusa* et *supernaturalis*, neque ulla est inter theologos

[1] Conc. Trid. Sess. VI. can. 3. — [2] Jac. I, 17.

præsertim mysticos de re ista controversia, sed de sequentibus. Ideo

Cur infusa. Dico secundo : Quamvis actus illi cognoscendi et amandi, in quibus consistit contemplatio hæc, sint eliciti ab intellectu et voluntate creata, tamen ex connexione multarum qualitatum infusarum contemplatio dicenda est infusa.

Prima pars clara est, quia omnis contemplatio, etiam beata in patria, est visio et fruitio Dei elicita ab intellectu vidente et voluntate amante, et in toto præcedenti tractatu de contemplatione ex his actibus constituta jugiter locuti sumus ; hæc autem, quam dicimus infusam, in essentialibus constitutivis convenit, imo est eadem cum acquisita, utraque enim est Dei seu divinorum intuitus cum saporosa dilectione.

Multa infusa concurrentia ad hanc contemplationem Probatur secunda pars, et declaratur partim hic, partim in sequenti capitulo : Multa infusa a Deo, ut dicemus, concurrunt ad hanc contemplationem ; omnium primo efficax Dei auxilium, quo Deus retrahit intellectum et voluntatem contemplantis a consideratione ac affectu aliarum omnium rerum ; secundum infusum est donum Spiritus Sancti quod vocatur Intellectus, concurrens cum potentia intellectiva ad actum intuendi ; tertium infusum est donum Spiritus Sancti dictum Sapientia, quæ facit sapere, gustare et delectari de objecto cognito ; quartum infusum est efficax adjutorium, quo Deus concurrit cum intellectu ad actum illum intuendi, et cum voluntate ad actum fruendi illo, et detinet has potentias in illis actibus, nec permittit eas distrahi ad alia objecta ; quintum infusum est productio speciei novæ repræsentantis objectum, vel nova ordinatio antiquæ, si aderat, ad clarius repræsentandum ; sextum infusum est magnum lumen seu magna illustratio in intellectu, ita ut quasi evidenter videat objectum, et magna inflammatio in voluntate, ita ut sibi videatur ardere ; septimum infusum est vehemens suavitas, jucunditas ac delectatio sequens.

Ex his ergo tot infusis perfectionibus, actibus illis in-

tuendi ac amandi conjunctis, totum hoc complexum dicitur infusum, et sic contemplatio illa jure optimo dicitur infusa, quia denominatio semper fit a digniori; quæ quidem qualitates ac dona infusa non concurrunt in contemplatione acquisita : ergo ex hoc capite dicitur infusa.

Dico tertio : Quamvis actus intuendi et amandi, in quibus consistit contemplatio, eliciantur a potentiis creatis, tamen ratione principiorum ad eos concurrentium aliarumque qualitatum connexarum supernaturalium, contemplatio est supernaturalis.

Cur supernaturalis.

Prima pars patet ex præcedenti conclusione : Quia intuitus objecti divini seu revelati elicitur ab intellectu humano et amor a voluntate, potentiæ istæ creatæ sunt et naturales : ergo.

Secunda pars probatur quoque sicut præcedens ; omnia enim illa quæ diximus concurrere ad contemplationem et denominant eam infusam, sunt supernaturalia, quia a Deo procedentia operante non in ordine naturæ, sed in ordine gratiæ ; igitur actus ab eis procedentes sunt supernaturales, id est super naturæ vires eliciti.

A paritate fidei, spei et caritatis.

Confirmatur a pari : Actus fidei, spei, caritatis, pœnitentiæ et cetera, qui proveniunt ab his habitibus supernaturalibus, vel etiam ab auxiliis solis supernaturalibus, ut accidit in prima adultorum justificatione per Baptismum, communiter a theologis supernaturales existimantur, quia supra vires naturæ facti ; ergo multo magis contemplatio de qua loquimur, quum ad eam concurrant tot principia supernaturalia, et comitentur alia plura supernaturalia.

Neque obstat quod ad eam concurrat natura eo quod sit actus vitalis et hominis, quia sunt plura et potiora principia et comitantia supernaturalia quæ ad eam concurrunt quam sit ipsa natura, ac proinde a dignioribus denominatur. Sicut contemplatio Beatorum, licet a potentiis creatis sit ; quia tamen istæ elevatæ sunt per habitus supernaturales luminis gloriæ et caritatis consummatæ, qui supernaturales sunt, et objectum est supernaturale, beata illa contemplatio est et dicitur supernaturalis; ita in casu nostro.

Paritas de contemplatione Beatorum.

Dices : Acquisita quoque contemplatio pendet a principio et objecto supernaturalibus, et tamen non dicitur supernaturalis, sed communiter dicitur naturalis ; item actus fidei, spei et caritatis sic se habent : ergo non datur contemplatio dicta absolute supernaturalis.

Diversus ordo supernaturalium.

Respondeo quod etiam illa, sicut et actus fidei, spei et caritatis, est de ordine supernaturalium communium, quæ regulariter eveniunt ; at ista, ad quam tot supernaturalia concurrunt, et raro accidit et paucissimis conceditur, supernaturalior (ut ita dicam) est, et antonomastice ac per excellentiam talis dicenda est.

CAPITULUM II.

QUIBUS NOMINIBUS DESCRIBATUR INFUSA HÆC CONTEMPLATIO.

Adverto primo, hanc nobilem virtutem, ratione excellentiæ sive sui, sive causarum, sive effectuum, sive proprietatum ejus, diversis vocabulis vocari a mysticis theologis. Ideo, ut paulatim ejus notitia legentibus innotescat, hæc nomina eorumque etymologias explicabo.

Varia nomina quibus designatur.

Adverto secundo, contemplationem infusam his nominibus appellari : *Mystica theologia — Sponsalitium animæ cum Deo — Osculum Dei — Ingressus animæ in divinam caliginem — Silentium et Otium — Liquefactio animæ — Annihilatio — Experimentalis Dei cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum.* Singula declaremus :

Mystica theologia cur.

Dicitur *Mystica theologia,* quod est principale nomen, quia est secreta cum Deo collocutio ; et sic dicitur eo quod mystica significat *secretum,* et theologia est *sermo Dei.*

Sponsalitium.

Dicitur *Sponsalitium animæ cum Deo,* et desumitur ex Canticis, ubi de Sponsa et Sponso sæpe fit mentio. Tropologice autem sumpta, Sponsa est anima, Sponsus vero

Christus ; et tale dicitur ab effectu, quia per eximiam caritatem anima contemplantis unitur ac desponsatur cum Deo. De hoc sponsalitio fit sæpe mentio in sacro Textu : *In die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus* [1]. *Sponsabo te mihi in sempiternum* [2] ; et infra : *Sponsabo te mihi in fide* [3].

Osculum.

Dicitur *Osculum Dei* ab effectu, et desumitur ex Canticis : *Osculetur me osculo oris sui* [4] ; et infra Sponsa, quæ tropologice est anima, dicit : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* [5].

Ingressus in caliginem.

Dicitur *Ingressus animæ in divinam caliginem* ab effectu, et desumitur ab Exodo : *Septimo autem die vocavit eum de medio caliginis* [6] ; tantum enim est lumen in intellectu tantaque illustratio ut offuscetur et caliget, a paritate oculi corporei adspicientis solem, ex cujus lumine offuscatur et caligat, sic se habet contemplans divina in tanto lumine, ut postea dicetur ; cum hac tamen differentia quod oculus corporis a tanto lumine læditur, at intellectus a lumine illo divino confortatur.

Silentium.

Dicitur *Silentium* ab effectu, quia, dum anima detinetur in contemplatione, nec vocaliter cum Deo loquitur petendo, laudando aut gratias agendo ; tacet quasi discipulus audiens suum magistrum Deum ei loquentem, seu revelantem aliquid, vel simpliciter ostendentem aliquod objectum, quod anima intuens, admirans et suspensa silenter manet.

Otium.

Dicitur *Otium* ab effectu, non quia anima contemplans nullum actum per suas potentias, intellectum et voluntatem, faciat ; nam vere et realiter intellectus vitali modo intuetur divinum seu revelatum objectum, et voluntas suaviter illud amat ; et hæ sunt majores et digniores actiones quas potest anima in hac vita sortiri ; unde, juxta S. Bernardum, contemplatio non est otium, sed omnium negotiorum negotium. Sed dicitur otium animæ, quia,

1 Cant. III, 11. — 2 Osee II, 19. — 3 *Ibid.*, 20. — 4 Cant. I, 1. — 5 *Ibid.* II, 6. — 6 Exod. XXIV, 16.

dum hæc detinetur a Deo in contemplatione sui Dei vel alterius revelati objecti, ipsa non potest uti potentiis inferioribus, neque ipsomet intellectu aut voluntate ad cognitionem alterius objecti vel suimet, nec ullum alium actum potest exercere, et ideo dicitur *otiosa* manere ; et propterea a SS. Augustino, Gregorio, Bonaventura et aliis vita contemplativa dicitur *otiosa,* activa vero laboriosa, figuratæ in Magdalena et Martha, hac laborante, illa otiante, ut in suo loco dictum est.

Liquefactio. Dicitur *Liquefactio* ab effectu, et desumitur ex Canticis : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est*[1], id est Sponsus meus ; et ex Psalmis : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens*[2]. Similitudo sumitur a sole vel igne liquefaciente ceram vel glaciem ; sic anima contemplantis Deum aut aliquid revelatum a Deo, quum prius velut glacies se habebat, ex Dei auditu et fervore caritatis in Deum inflammata, quasi liquefit ; et hoc fortasse voluit exprimere Apostolus : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu*[3].

Annihilatio. Dicitur *Annihilatio,* et desumitur ex Psalmis : *Substantia mea tanquam nihilum ante te*[4], quia per contemplationem et unionem cum Deo et transformationem in eum, se habet ac si non esset ; unde Apostolus : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus*[5] ; et ideo anima in contemplatione obliviscitur omnium creaturarum et suimet, quasi non sit, ut de effectibus contemplationis dicetur.

Dicitur a Dionysio Cartusiano Secretissima Dei locutio cum anima, et ardentissima divinæ caliginis intuitio cum sapore magno et dulcedine. Dicitur a S. Dionysio Areopagita[6] Sapientia, et hoc non solum quia est altissimorum revelatorum cognitio, sed quia saporem suavissimum in animam contemplantis adducit ; ideo sapida seu

[1] Cant. v, 6. — [2] Ps. xxi, 15. — [3] II Cor. iii, 18. — [4] Ps. xxxviii, 6. — [5] Galat. ii, 20. — [6] *De div. nom.*, c. 3.

saporosa est contemplanti. A Joanne Gersone sic describitur : Infusa contemplatio est experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum, vel sapida cognitio de Deo, dum ei supremus apex affectivæ potentiæ realiter per amorem unitur.

His aliisque dignis encomiis describitur et appellatur sancta hæc contemplatio a Deo infusa ac supernaturalis.

Omnes autem theologi mystici in hoc conveniunt, quod contemplatio hæc non sit dicenda scientia ; quia scientia est discursiva et evidens cognitio, non sic contemplatio, quum sit simplex intuitus veritatis revelatæ cum obscuritate, licet lato vocabulo et ex alio capite dici debeat scientia, quia est divinorum certissima et infallibilis notitia. Non est scientia, et cur.

CAPITULUM III.

QUOMODO DEFINIRI POSSIT INFUSA AC SUPERNATURALIS CONTEMPLATIO.

Adverto primo, quod tales tantæque sunt hujus nobilissimæ virtutis perfectiones, tam ratione principiorum et effectuum atque eam concomitantium, quam ratione suæ intrinsecæ naturæ, ut nullatenus possit rigorosa seu dialectica definitione per genus et differentiam tantum explicari ; ideoque qua breviori et expressiori poterimus descriptione eam explicabimus pro nunc ; singulas autem qualitates, principia, effectus et comitantia illius in progressu istius operis aperiemus. Difficultas definiendi eam.

Adverto secundo, quod ex duobus præcedentibus capitulis adumbrata forte videtur infusæ hujus contemplationis natura ; nihilominus pro faciliori notitia, breviori formula quæ possit memoriter retineri, definitionem seu verius descriptionem ejus cum sua explicatione hic subnectam. Ideo

Definitio infusæ contemplationis.

Dico quod infusa contemplatio sic potest definiri : Est simplex intellectualis intuitus cum sapida dilectione divinorum aliorumque revelatorum, procedens a Deo, speciali modo applicante intellectum ad intuendum et voluntatem ad diligendum ea revelata, et concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti, intellectum et sapientiam, cum magna illustratione intellectus et inflammatione voluntatis.

Particulatim evolvitur.

Probatur seu explicatur hæc definitio : Dicitur simplex intellectualis intuitus ; sic enim definitur a S. Thoma et S. Bonaventura contemplatio generice sumpta, cujus hæc est species, ut diximus supra [1], ad differentiam meditationis et theologiæ speculativæ, quæ sunt discursivæ.

Dicitur cum sapida dilectione voluntatis, quia, ut in citato loco dictum est, in duobus his actibus intellectus et voluntatis consistit contemplatio quæcumque, ad differentiam theologiæ, sive fidelium sive infidelium, quæ considerat Deum, at sine affectu seu dilectione ; contemplatio vero de necessitate includit utrumque.

Dicitur divinorum aliorumque revelatorum, quia, ut diximus supra [2], hæc sunt objecta contemplationis generice sumptæ, ad differentiam scientiarum naturalium, quæ intellectuales quidem sunt, at non habent pro objecto revelata divina et creata.

Dicitur procedens a Deo, speciali modo applicante intellectum ad intuendum et voluntatem ad diligendum ea objecta, ad differentiam contemplationis acquisitæ, ad quam proprio labore et studio, licet cum Dei auxilio, homo se applicat, et distrahit se a cogitatione aliarum rerum. At pro infusa res aliter se habet ; nam, sive homo legat, sive audiat aliquem loquentem de mysterio aliquo revelato, sive de illo cogitet, sive illud meditetur, derepente Deus firmat et figit illum in ejus intuitu ac dilectione, impediens omne aliud, sive causam sive objectum, quod possit distrahere ; et interdum sine lectione, auditione aut meditatione Deus infundit cogitationem aliquam,

[1] Opusc. III, c. 3. — [2] *Ibid.* c. 13.

movendo in intellectu speciem alicujus mysterii, et firmat ac figit intellectum in ejus intuitu et voluntatem in ejus dilectione, et sic Deus immediate applicat has potentias ad eos actus, et prohibet ne alio divertant.

Dicitur Deo concurrente ad actus illos cum potentiis per dona Spiritus Sancti, dicta intellectus ac sapientiæ; hæc enim, ut dicemus, sunt principia seu causæ contemplationis infusæ, ad differentiam contemplationis acquisitæ, quæ non procedit ex his donis.

Dicitur cum magna illustratione intellectus et cum magna inflammatione voluntatis, quia dona intellectus et sapientiæ hoc efficiunt, ut infra dicetur; nam, ut mystici dicunt, per fidem objectum videtur tanquam in nocte obscura, per donum intellectus videtur quasi in aurora, per lumen gloriæ in patria evidenter quasi in meridie; et voluntas caritate maxima inflammata objectum illud sic ab intellectu visum ardenter diligit, et per sapientiæ donum in eo suavissime delectatur et jucundatur. Experientia contemplativorum, a quibus ista didici, hæc docet.

Hæc est compendiosa infusæ ac supernaturalis contemplationis descriptio; hæc autem omnia, sicut et alia plura ei connexa, distinctius et diffusius explicabimus in sequentibus.

Qui ergo comperiet hæc prædicta in se certo et sine ullo dubio verificari, sciat se a Deo ad infusam contemplationem elevatum : id est, si experiatur se absque suo labore distractum a creaturarum consideratione et fixum in alicujus divini revelati intuitu, et cum gustu ac dulcedine illud amare, ac lumine magno illuminari, et caritate inflammatum omnia alia contemnere, infusa contemplatione potitur; sed consulat doctos ne decipiatur, putans ea habere, et non habeat.

CAPITULUM IV.

IN QUIBUS CONVENIUNT CONTEMPLATIO INFUSA ET CONTEMPLATIO ACQUISITA.

Alibi de hoc actum est.

Advertо quod, quamquam in Opusculo tertio[1] de convenientia et disconvenientia harum contemplationum multa dixerimus, ab re tamen non erit si eadem et alia hic replicamus, ut notitia infusæ contemplationis clarius elucescat.

In quibus conveniunt ambæ contemplationes subjective.

Dico ergo : Istæ contemplationum species seu gradus conveniunt primo in essentialibus naturalibus ; ambæ enim consistunt in actibus intellectus et voluntatis, nempe in simplici intuitu objecti revelati et dilectione ejusdem ; neque de hoc est ulla difficultas.

Dico secundo : Conveniunt in subjectis earum ; ambæ enim subjectantur in eisdem potentiis immediate, intellectu scilicet ac voluntate, quia actus vitales in eisdem potentiis recipiunt, a quibus eliciuntur, quum sint immanentes.

Dico tertio : Conveniunt in aliquibus subjectorum dispositionibus tam extrinsecus quam intrinsecus. De primis probatur, quia utrique contemplantes debent esse exercitati in vita activa seu exercitio virtutum moralium ; utrique esse debent exercitati in meditatione ac lectione vel auditione Scripturæ sacræ ac librorum spiritualium, regulariter loquendo, nam posset Deus aliter disponere ; utrique debent esse in vita purgativa aliqualiter exercitati. Ideo dixi *in aliquibus,* quia plura et majora præfatorum exercitia requiruntur in contemplativis per infusam quam in contemplativis per acquisitam. De intrinsecis aliquibus pariter notum est, quia in utrisque requiritur munditia cordis seu status gratiæ, motivum caritatis, auxilium Dei

[1] Supra, Op. III, c. II.

efficaciter vocantis et adjuvantis, illustratio aliqua in intellectu et inflammatio in voluntate, licet majores in infusa quam in acquisita, et actus virtutum theologalium.

Objective.

Dico quarto : Hæ duæ contemplationes conveniunt in objectis contemplabilibus, licet ad plura ex Dei favore se extendat infusa. Ratio primi est quia omnia revelata et per fidem credita atque credenda attingere potest acquisita et infusa, eaque simplici ac firmo intuitu intueri et affectu prosequi, cum ordine ad Deum si creata sint, immediate vero si divina. Ratio secundi, quod scilicet plura ex Dei favore respicit infusa, est quia in hac Deus ostendit aliquando et revelat aliqua nova nondum revelata, spectantia ad bonum privatum contemplantis vel alterius, aut etiam ad bonum publicum agibile ; vel si illa quæ ostendit jam revelata sunt, cum aliqua tamen nova et adhuc non revelata circumstantia interdum ostendit seu revelat in infusa, et alia objecta nova ; in quibus casibus novarum revelationum, hæ magna maturitate erunt ab Ecclesia examinandæ, ne adsit deceptio.

In mediis cognoscendi objecta conveniunt.

Dico quinto : Conveniunt regulariter in mediis cognoscendi seu intuendi objecta ; quia utrique contemplantes cognoscunt seu intuentur objecta non in seipsis, sed in speciebus ea repræsentantibus intelligibilibus et imaginariis : si materialia seu corporalia sint objecta, in imaginariis, si pure spiritualia, in intelligibilibus, ut dictum fuit supra [1] et dicetur infra [2]. An vero alio modo possit Deus ea ostendere quam per species, et an etiam corporalia vel spiritualia ex corporalibus desumpta possint sine imaginariis speciebus, id est sine phantasmatibus, cognosci per solas intelligibiles vel alio modo, infra [3] discutietur.

[1] Opusc. III, c. 14. — [2] Infra, c. 13. — [3] *Ibid.*

CAPITULUM V.

IN QUIBUS DIFFERANT CONTEMPLATIO INFUSA ET CONTEMPLATIO ACQUISITA.

Differentiæ plures.

Adverto quod in hoc capitulo maxime innotescet natura ac perfectio infusæ contemplationis; et licet supra[1] omnes fere inter eas adduxerimus differentias pro discernenda acquisita contemplatione, quam indocti aliqui negabant, nunc vero pro discernenda infusa iterum eas referemus.

Prima.

Dico : Prima differentia est, quia regulariter infusa requirit in subjecto contemplante multo plures dispositiones quam acquisita; nempe ut per viam purgativam transierit, et per multum tempus in ea se exercuerit, donec passiones concupiscentiæ et iracundiæ domuerit, et per omnium virtutum moralium exercitium carnem seu sensum rationi subjecerit, omniumque rerum, famæ, honoris, gloriæ mundanæ et ceterorum desiderium compresserit, et alias purgationes fecerit quas jamjam per plura capitula[2] retulimus : quæ quidem dispositiones non omnes sunt necessariæ in acquisita, sed aliquæ sufficiunt.

Secunda.

Dico : Secunda differentia est, quia in acquisita homo proprio labore, et multa cum difficultate præviaque lectione vel recordatione, in meditatione alicujus objecti revelati distrahit se a cogitatione aliarum rerum, et applicat se ad fixe et simpliciter intuendum illud ac amandum; at in infusa, homo legens vel cogitans aut meditans aliquod objectum revelatum, sine suo labore aut studio a Deo distrahitur a cogitatione omnium aliarum rerum, et ab eodem applicatur et detinetur sic applicatus ad intuitum et amorem illius objecti cum admiratione ejus.

[1] Opusc. III, c. 11. — [2] Opusc. VI, c. 4-7.

Dico : Tertia differentia est, quod pro acquisita lumen fidei cum auxilio supernaturali sufficit ad intuendum objectum revelatum ; at pro infusa hæc non sufficiunt, sed lumen majus concurrit, et adeo magnum interdum ut intellectus caliget et offuscetur, sed ab eodem confortetur. Tertia notabilis differentia.

Dico : Quarta differentia est, quod pro infusa Deus concedit animæ contemplativi duo dona Spiritus Sancti in gradu eminenti, nempe donum intellectus et donum sapientiæ, quæ concurrunt effective cum potentiis, intellectu et voluntate, ad contemplationem ; quæ dona non conceduntur pro contemplatione acquisita. Quid autem faciant ista dona, dicetur postea. Quarta.

Dico : Quinta differentia est, quod in acquisita raro accidit extasis seu perfecta alienatio a sensibus omnibus ; at in infusa accidit sæpe. Quinta.

Dico : Sexta differentia est, quod per acquisitam non agnoscuntur alia objecta, nisi ea quæ antea per fidem erant credita, neque acquiruntur novæ species aliorum objectorum prius non cognitorum ; at per infusam Deus non ostendit solum ea quæ ante fuerant credita, sed vel ostendit eadem cum novis circumstantiis ac perfectionibus, vel revelat nova objecta infundendo novas eorum species, ut postea dicetur. Sexta.

Dico : Septima differentia est, quod acquisita multum remota est ab osculo Dei ac perfecta unione animæ cum Deo, in qua consistit perfectio et felicitas quæ obtineri potest a Deo in hac vita mortali ; at infusa est valde proxima tali osculo et unioni, ut dicetur de effectibus infusæ. Septima.

Dico : Octava differentia est, quod in acquisita nec statim nec in magno aliquo gradu sentitur suavis ac dulcis sapor et gustus qui sentitur in infusa, sed potius molestia, amaritudo et repugnantia sensus, eo quod in illis contemplativis adhuc refrenatæ non sunt passiones ; at in infusa contrarium accidit, quia ea regulariter non conceditur nisi perfecte purgatis, et sic nulla est in eis molestia nullaque repugnantia, sed perfecta subjectio rationi et Deo eam regenti. Octava.

Nona differentia. Dico : Nona differentia est, quod de adipiscenda acquisita multæ dantur regulæ, et si omnes vellent illam adipisci, eas observantes adipiscerentur. Non sic se habet infusa; nullæ enim assignari possunt regulæ per quas certo et infallibiliter, si homines vellent, possent ad eam pervenire, sed Deus pro sua benignitate concedit eam cui vult; et licet vita activa, etiam perfecta, ipsaque acquisita contemplatio sint bonæ dispositiones a quibus moveri posset Deus ad concedendum infusam, tamen nec necessario nec infallibiliter ad eam perducunt : ideo rarissimi, ut notum est, ea potiuntur.

Decima. Dico : Decima differentia est, quod per acquisitam homo non ita fit supra se et extra se ut, dum in ea est, nil aliud, neque seipsum dignoscat, nec reflectere possit supra se; at hoc accidit in infusa, in qua exsistens obliviscitur omnium, etiam sui, nec potest reflectere supra seipsum, nec reflectere in ea cognitione.

Undecima. Dico : Undecima differentia est, quod post actum contemplationis acquisitæ potest homo recordari eorum quæ contemplatus est et aliis narrare; at post actum infusæ, qui eam habuit, rarissime recordatur de iis quæ vidit, et nescit nec potest aliis narrare, ut testantur SS. Angela de Fulgineo, Theresia, Petrus de Alcantara et Joannes de Cruce : qui omnes dicunt se non potuisse distincte referre quæ in ea contemplatione videre solebant, et invenire non potuisse verba quæ ea explicarent, nisi quando Deus aliqua revelabat quæ aliis essent communicanda; et de ejusmodi contemplatione forte locutus est S. Paulus, quando raptus est usque ad tertium cœlum, et dicit : *Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit... Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*[1].

Duodecima. Dico : Duodecima differentia est, quod modus operandi acquisitæ humanus est, ut sunt actus meditandi, credendi, sperandi et ceteri; at modus operandi infusæ est supra naturam, tales enim contemplativi aguntur potius quam

[1] II Cor. XII, 2, 4.

agunt; de quibus verificatur illud Apostoli : *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*[1]; nam a Deo abstrahuntur a consideratione aliarum rerum, ab ipso rapiuntur et applicantur ad intuitum objecti revelati et amorem illius, et ab eodem in ejus intuitu et amore detinentur, quantum Deo placet.

De illustratione, suavitate et aliis effectibus magnis et mirabilibus infusæ loquemur infra.

CAPITULUM VI.

DE OBJECTO CONTEMPLATIONIS INFUSÆ.

Adverto primo, quod hic inquirimus quid videat contemplans per hanc infusam contemplationem, num sola divina, num etiam creata, et an aliquando videat Dei essentiam evidenter et clare, ut est in se, sicut Beati.

Dupliciter apprehenduntur divina.

Adverto secundo, quod Deus et divinæ ejus perfectiones regulariter duplici modo a fidelibus apprehenduntur et cognoscuntur, nempe per positionem et negationem : primo modo per conceptus positivos, ut ens substantiale, infinitum, immensum, omnipotens, omnisciens, optimum, amabilissimum, et cetera; secundo autem modo per conceptus negativos, id est, cum omnibus præfatis prædicatis, remotis imperfectionibus : verbi gratia, ut ens sine principio et fine, ut substantia simplex sine ulla compositione et sine accidentibus, ut a se sine dependentia ab aliquo, et ceteris similibus. Non puto necessarium de his subtilitatibus hic loqui, quia neque contemplanti necessariæ sunt; intuetur enim et amat objectum eo modo quo sibi a Deo ostenditur, et si Deus se ei ostendat sub conceptu positivo, sic illum intuetur et amat, sic etiam si sub negativo. In acqui-

[1] Rom. VIII, 14.

sita vero eligi potest modus contemplandi, scilicet per affirmationem vel negationem.

Principale objectum est Deus.

Dico primo : Principale objectum infusæ contemplationis est Deus seu sanctissima Trinitas cum suis divinis intrinsecis perfectionibus.

Multæ rationes.

Probatur primo ex communis orationis definitione, quæ est *ascensio seu elevatio mentis ad Deum ;* omnisque proinde oratio Deum primario respicit : ergo etiam hæc contemplatio. Secundo, hæc contemplatio est, ut supra dixi, secretissima locutio cum Deo, et ideo dicitur *mystica theologia :* ergo primarium ejus objectum est Deus ac divina. Tertio, theologia scholastica habet pro objecto principali Deum, quia de eo inquirit primario : ergo theologia hæc mystica et experimentalis, ut ait Gerson, Deum principaliter respicit. Quarto, per hanc fit sponsalitium animæ cum Deo, ipseque Deus fit sponsus animæ : ergo ipse principaliter est hujus contractus extremum. Quinto, hæc contemplatio dicitur *ingressus caliginis,* eo quod oculus mentis in magna claritate ac lumine divini objecti caligat et offuscatur : ergo objectum hoc Deus est. Sexto, contemplatio acquisita habet Deum pro principali objecto : ergo etiam infusa. Septimo, contemplationi isti ex S. Gregorio succedit contemplatio beata in patria : ergo, quum hæc habeat Deum ut principale objectum, etiam illa.

Objecta secundaria.

Dico secundo : Omnia facta et dicta revelata in sacra Scriptura sunt objecta secundaria infusæ contemplationis.

Probatur : Omnia hæc sunt objecta contemplationis acquisitæ : ergo etiam infusæ. Antecedens patuit in supradictis [1]. Consequens probatur : Accidere potest ut quis devotus contempletur vel meditetur, vel saltem cogitet aliquod ex factis vel dictis quæ in sacra Scriptura habentur, et Deus illum rapiat a sensibus, et applicet ad fixe intuendum tale objectum majori cum illustratione et perspicaciori atque clariori cognitione per donum intel-

[1] Opusc. III, c. 13.

lectus, et majori cum affectu ac inflammatione per donum sapientiæ illud gustet; et ita frequenter his contemplativis accidit.

Omnia revelata sunt objecta contemplationis infusæ.

Dico tertio : Omnia dogmatica decreta de fide ac moribus ab Ecclesia stabilita, sunt objecta infusæ contemplationis.

Probatur : Hæc omnia potest quis acquisita contemplatione vel meditatione vel simplici cogitatione considerare, et tunc posset Deus eum rapere seu abstrahere a sensibus, et applicare eum per donum intellectus ac sapientiæ, et cum illustratione ac inflammatione illud intueri et affectu in illud ferri : ergo quodlibet eorum esse potest objectum infusæ contemplationis; hoc enim modo fit hæc contemplatio.

Dico quarto : Omnia prorsus creata, sive facta sive facienda, ut dicunt ordinem ad Dei potentiam vel justitiam vel bonitatem aut misericordiam, sunt objecta infusæ contemplationis.

Probatur eodem modo sicut tres præcedentes, quia pro singulis eorum fixe ac simplici intuitu cognoscendis et amandis, potest Deus intellectum rapere et applicare ac per donum intellectus ipsum illuminare, et voluntatem inflammare, et sic perspicue cognoscere et ardenter diligere.

Cassianus omnia objecta complectitur.

Joannes Cassianus unico discursu complectitur omnia fere objecta contemplationis, tam infusæ quam acquisitæ; sic enim loquitur : « Contemplatio vero Dei multifarie concipitur; nam Deus non sola incomprehensibilis illius substantiæ suæ admiratione cognoscitur, quod tamen adhuc in spe promissionis absconditum est, sed etiam creaturarum suarum magnitudine, vel æquitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio pervidetur; quando scilicet quæ cum Sanctis suis per singulas generationes egerit mente purissima perlustramus; quum potentiam ipsius qua universa gubernat, moderatur ac regit, quum immensitatem scientiæ ejus, et oculum quem secreta cordium latere non possunt, trementi corde mira-

mur; quum arenam maris undarumque numerum dimensum ei cognitumque pavidi cogitamus; quum pluviarum guttas, quum sæculorum horas ac dies, quum præterita futurave universa, obstupescentes scientiæ ejus adsistere, contemplamur; quum ineffabilem clementiam ejus consideramus, qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub ipsius committuntur adspectu, indefessa longanimitate sustentat; quum intuemur vocationem qua nos nullis præcedentibus meritis gratia suæ miserationis adscivit; quum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis cum quodam admirationis intuemur excessu, quod ita nos nasci præcepit, ut ab ipsis cunabulis gratia nobis legisque suæ notitia traderetur, quod ipse adversarium in nobis vincens pro solo bonæ voluntatis assensu, æterna beatitudine ac perpetuis nos præmiis munerat; quum postremo dispensationem suæ Incarnationis pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatavit. Sunt autem aliæ quoque hujusmodi contemplationes innumeræ, quæ pro qualitate vitæ ac puritate cordis in nostris sensibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur[1]. » Hæc ille.

Omnia revelata etiam creata sunt objecta contemplationis infusæ.

Omnia ergo creata et creabilia in quovis rerum ordine, si a mundi initio incipiatur, et nedum ad finem sæculorum, sed ultra eum per totam æternitatem a parte post discussio protrahatur, sunt objecta contemplationis tam infusæ quam acquisitæ; quia in eis omnibus relucet Deus, id est aliqua aut plures ex ejus perfectionibus, ut merito Apostolus dixerit : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas*[2].

Si ergo aliquam ex istis creatis rebus quis consideret, cum suo ordine ad Deum qui eam fecit aut facit, et in ejus veritate proprio labore obtutum simplicem figat, jam per acquisitam contemplationem intuetur; si vero, absque proprio labore, a Deo immediate ad ejus intuitum applicetur et in eo detineatur, per infusam contemplatur.

[1] Cass. *Coll.* I, c. 15. — [2] Rom. 1, 20.

CAPITULUM VII.

DE CAUSIS CONTEMPLATIONIS INFUSÆ.

Advertо quod, licet ex definitione contemplationis infusæ sufficienter innotuerint causæ omnes ad eam concurrentes, tamen clarioris notitiæ gratia, singillatim sed breviter, denuo de illis loquemur.

Naturales causæ infusæ contemplationis.

Dico primo : Causæ efficientes naturales ex parte animæ sunt intellectus et voluntas.

Probatur evidenter : Contemplatio quælibet, ex sæpe dictis, consistit in simplici, fixo et firmo intuitu objecti divini vel alterius revelati, et saporosa dilectione ejusdem ; hi autem sunt actus illarum potentiarum : ergo.

Supernaturales causæ.

Dico secundo : Causæ efficientes supernaturales concurrentes cum potentiis ad præfatos actus, intuitum simplicem et dilectionem saporosam dicti objecti, sunt plures mox referendæ.

Probatur : Concurrit speciali modo Deus per efficax auxilium vocationis ac adjuvationis, subtrahentis illas potentias a cognitione et amore aliarum rerum, et detinentis eas potentias in intuitu et affectu objecti revelati ; influens in eos actus per dona Spiritus Sancti, intellectus et sapientiæ, illustrantis et inflammantis illas potentias. Concurrit ipsum objectum supernaturali modo demonstratum, nam, ut docet S. Augustinus, « a cognoscente et cognito paritur notitia [1]. » Alias causas efficientes nemo agnoscit, si lumen quoddam excipias supernaturale.

Causa materialis quæ.

Dico tertio : Causa materialis seu subjectiva mediata est anima ; immediata, sunt intellectus et voluntas.

Probatur facile : Anima est subjectum omnium poten-

1 *De Trin.*, lib. IX, c. 12.

tiarum vitalium, et consequenter omnium actuum illorum qui eis insunt ac inhærent. Ipsa est sponsa quæ cum Deo loquitur per potentias ; ipsa est quæ per eas Deum videt, et audit loquentem ac revelantem ea quæ ipsi Deo placet loqui ac revelare. Neque in contemplatione tantum, sed in omni alia intellectuali functione anima est subjectum mediatum illius. Secunda pars de subjecto seu causa materiali immediata patet, nam actus vitales sunt immanentes et intransitivi, de quorum ratione est ut recipiantur in potentiis a quibus emanant ; intuitus autem intellectualis cujuscumque objecti et dilectio illius sunt actus vitales immanentes intellectus ac voluntatis : igitur in eis subjectantur immediate.

Causa formalis.

Dico quarto : Causa formalis infusæ contemplationis est ipsamet formalitas intuendi et diligendi objectum revelatum, tali modo supernaturali producta taliterque intuens ac diligens objectum revelatum.

Probatur : In omni re, universaliter loquendo, illa dicitur forma rei quæ eam constituit et facit illam differre ab omni alia re ; sic se habet hic simplex et fixus intuitus cum sapida dilectione et illis aliis circumstantiis in definitione infusæ contemplationis appositis, quia per eas constituitur, et differt ab acquisita et ab omni alia intellectuali operatione : ergo hæc est causa formalis ejus.

Causa finalis.

Dico quinto : Causa finalis intrinseca infusæ contemplationis est clara illa et elevata cognitio cum fervido illo objecti cogniti amore ; causa vero finalis extrinseca est unio illa perfecta cum Deo quæ in hac vita haberi potest, et est acquisibilis per eam cognitionem et amorem.

Intrinseca.

Prima pars probatur : Ex philosophis omnis causa finalis intrinseca alicujus operantis, præsertim practica, est ipsamet operatio seu opus ; hoc enim intendit operans. Patet de quolibet artifice, de quolibet œconomo et politico, item de dialectico formante syllogismum, de quolibet disputante formante legitimum argumentum, de quolibet prudente dirigente suas operationes et de quolibet Christiano eliciente virtutum opera.

Secunda pars probatur : Finis extrinsecus contemplativi pro alia vita est Dei visio et fruitio, at finis extrinsecus pro præsenti vita est perfectior cognitio et amor qui haberi possunt in hac vita; talis est unio ad quam tendit contemplatio ; ergo hæc est finis extrinsecus. Extrinseca.

CAPITULUM VIII.

DE DONIS INTELLECTUS ET SAPIENTIÆ CONCURRENTIBUS AD CONTEMPLATIONEM INFUSAM.

Communis sententia.

Adverto communem esse Doctorum mysticorum sententiam, quod ex parte animæ hæc duo dona ei a Deo infusa concurrant ad supernaturalem seu infusam contemplationem ; ideo operæ pretium erit declarare in quo consistant hæc dona et quem effectum peculiarem producant in ipsa contemplatione. Et quamvis supra de his donis aliqua dicta sint, plenius tamen hic de illis disseretur, sicut et de eorum effectibus.

Donum intellectus, quid.

Dico primo : Donum Spiritus Sancti quod dicitur Intellectus, consistit in lumine quodam quo intellectus fide præditus res a Deo revelatas ita capit ac penetrat ut quasi clare et sine obscuritate eas intueatur. Ita S. Bonaventura [1].

Ex sancto Bonaventura.

Probatur totidem fere verbis ejusdem : « Quum veritates necessariæ ad salutem sint nobis absconditæ et quasi velatæ, tam in rerum naturis quam in sacris Scripturis, in divinis Sacramentis et figuris, in tantum ut intellectus humanus sine adjutorio supernaturalis luminis non possit ad eas apprehendendas plene pertingere, necesse fuit ut Spiritus Sanctus intellectui humano superadderet aliquod lumen supernaturale, quo velamina dictarum veritatum

1 *De sept. don., de intell.*, c. 3.

penetraret et veritates absconditas apprehenderet, et eas sic nobis manifestaret; quod utique Spiritus Sanctus facit, dum donum intellectus nobis inspirat[1] ». Hæc S. Bonaventura. Et infra ait : « Spiritus Sanctus per donum intellectus non solum facit nos penetrare omnia velamina veritatis incarnatæ, sed et veritatis increatæ[2]. » In capitulo autem quinto loquens de utroque dono ait : « Summa hujus differentiæ est quod donum intellectus est proprie penetrativum, sed donum sapientiæ est proprie saporativum[3]. »

Ex sancto Thoma.

S. Thomas inquit : « Sunt autem multa genera eorum quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rerum substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata..., et in causis latent effectus et e converso[4]. » Hoc donum petebat David : *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Da mihi intellectum, et discam mandata tua. Intellectum da mihi, et vivam. Juxta eloquium tuum da mihi intellectum*[5]. Et ipsimet Apostoli qui, dicente Christo se fore flagellandum, conspuendum et crucifigendum, at post tres dies resurrecturum, *nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur*[6], post resurrectionem donum hoc habuerunt; nam *tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*[7]; id ergo facit hoc donum.

Ex sancto Paulo.

Confirmatur ex Apostolo : *Non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali*[8]. Glossæ interlinearis et ordinaria dicunt : « Cognitione spiritualium, quæ sunt contemplativæ. » Et infra ait : *Instructi in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu, in quo*

[1] Bonav. *loc. cit.* — [2] *Ibid.*, c. 4. — [3] *Ibid.*, c. 5. — [4] Thom. 2. 2, q. 8, art. 1. — [5] Ps. CXVIII, 34, 73, 144, 169. — [6] Luc. XVIII, 34. — [7] *Ibid.* XXIV, 45. — [8] Coloss. 1, 9.

sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi[1]. Glossa interlinearis dicit : « Ut plene intellectum habeant ; » ordinaria dicit : « ... id est, copias intellectus pleni, ubi perfecte de humanis ac divinis habeant intellectum. » Et ad Timotheum ait : *Intellige quæ dico ; dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum*[2].

Sancti Patres illud habuerunt.

Hoc etiam dono sanctos Ecclesiæ Doctores et Conciliorum Patres existimamus post Apostolos fuisse repletos, ut abditissima sacræ Scripturæ sensa caperent, eaque Ecclesiam docerent, ad quæ philosophia pertingere minime poterat. Et hoc promiserat Salvator quum promisit missionem Spiritus Sancti : *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*[3] ; et in Apostolis primo verificatum est, quum in die Pentecostes variis linguis loquebantur mirabilia Dei, quum piscatores et illitterati prius essent.

Confirmatur ex Ecclesiastico, ubi de doctore alios erudiente dicit : *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum ; et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino ; et ipse diriget consilium ejus et disciplinam ; et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur*[4]. Item de Doctoribus Ecclesiæ dicitur : *In medio ecclesiæ aperiet os ejus ; et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus*[5]. Glossa interlinearis dicit : « Ut dicant quæ sapiunt et intelligunt. » Et S. Augustinus[6] longo sermone docet quod Doctores, ut possint sine errore doctrinam fidei docere, donis sapientiæ ac intellectus indigent.

Hoc ergo donum intellectus Deus infundit iis quos dignatur infusa contemplatione munerare, ut per illud objecta quæ iis demonstrat, sive ante revelata sive de novo manifestata, clarius seu minus obscure cognoscant, et, ut

1 Coloss. II, 2, 3. — 2 II Tim. II, 7. — 3 Joann. XIV, 26. — 4 Eccli. XXXIX, 8-11. — 5 *Ibid.* XV, 5. — 6 *De doct. Christ.*, lib. IV, c. 15.

dicit S. Bonaventura, penetrent quæ per fidem cognoscere soliti erant; et qui hoc dono digni ex Dei liberalitate fuerunt ac sunt, manifeste id testantur; aliqui tamen cum majori, alii cum minori lumine, ut postea dicetur.

Donum sapientiæ quid sit.

Dico secundo : Donum Spiritus Sancti, dictum sapientiæ, consistit in qualitate quadam infusa, per quam anima intuens objectum revelatum, gustat saporem dulcissimum ac suavissimum de cognitione veritatis illius cognitæ.

Ex sancto Bonaventura.

Probatur ex S. Bonaventura : « Primarium sapientiæ objectum est ipse Deus, sub ratione qua verum est excitativum voluntatis ad ejus saporosam dilectionem, et ideo sapientiæ actus est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione cum quadam suavitate experimentali in affectu [1]. » Et in tractatu *De septem donis Spiritus Sancti* ait : « Summa hujus differentiæ est, quod donum intellectus est proprie penetrativum, sed donum sapientiæ est proprie saporativum [2]. » Utrumque donum S. Bonaventura cum his effectibus docet ad supernaturalem seu infusam contemplationem concurrere.

Confirmatur ex Glossa in illud Ecclesiastici : *Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus, et non est multis manifesta* [3]. Lyranus : « Sapientia, ait, a sapore enim dicitur ; et ideo in psalmo dicitur : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* [4]. »

Ex sacra Scriptura.

Confirmatur secundo ex multis Scripturæ locis in quibus verbum Domini dicitur suave ac dulce sapientibus illud : *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo. Sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ; quam quum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit* [5]. *Judicia Domini... dulciora super mel et favum* [6]. *Fructus ejus dulcis gutturi meo* [7] ; et infra : *Vox enim tua dulcis* [8] ; et alio loco : *Eloquium tuum dulce* [9]. In Ecclesiastico habetur : *Spiritus enim*

[1] Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 2. — [2] *Id. De dono intell.*, c. 5. — [3] Eccli. VI, 23. — [4] Ps. XXXIII, 9. — [5] Prov. XXIV, 13, 14. — [6] Ps. XVIII, 10, 11. — [7] Cant. II, 3. — [8] *Ibid.*, 14. — [9] *Ibid.* IV, 3.

meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum[1]. Hæc est dulcedo de qua loquitur S. Petrus : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*[2]. Glossa ordinaria ait : « Si quanta est dulcedo saporis ; nam qui de divina dulcedine non gustat, non est mirum si se terrestribus desideriis sordidare non evitat. »

Ex sancto Bernardo.

S. Bernardus inquit : « Gustum autem sequitur quædam saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima modo quodam singulari cuncta discernit et dijudicat, seque et omnes sensus vegetat et confortat[3]. » Et in tractatu *De Passione Domini* ait : « Sapientia a sapore dicta est. Qui ergo in libro sapientiæ legerunt, id est, qui saporem internum experti sunt, dicant et doceant nos quis sit iste amor, qui, quum sit fortis ut mors, facit amantes languere usque ad mortem[4]. » Et alibi dicit : « Nec duxerim reprehendendum si quis sapientiam saporem boni definiat. Hunc saporem perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri[5]. »

Ex Doctoribus.

S. Thomas[6] inquit : « Dicitur enim sapientia quasi sapida scientia, secundum illud Ecclesiastici : *Sapientia... doctrinæ secundum nomen est ejus*[7]. » Scotus ait : « Sapientia est qua sapit mihi Deus in se et qua sapit ut bonum ; nam qui sapit, et saporem in se approbat, et sibi sapit[8]. » Alexander Alensis inquit : « Sapientia secundum nomen suum est cognitio cum sapore, et sic est donum Spiritus Sancti[9]. » S. Augustinus seu alius auctor ait : « Sapientia est amor boni sive sapor boni, a sapore siquidem dicitur[10]. » Omnes autem effectus hujus doni sapientiæ egomet pro viribus recensui in tomo quarto super sententias Scoti[11], ex quo argumenta hæc excepi ; principalis autem effectus ad rem nostram faciens, est reddere sapidum, amabile, dulce ac suave omne divinum dictum et mandatum ab eo revelatum.

1 Eccli. XXIV, 27. — 2 I Pet. II, 3. — 3 Bern. *De amore Dei*, c. 10. — 4 *Id. De Pass. Dom.*, c. 46. — 5 *Id. In Cantic.*, serm. 85. — 6 2. 2. q. 45, art. 2. — 7 Eccli. VI, 23. — 8 Scot. In III Sent. dist. 34. — 9 Alens. I p., q. 73, m. 2, art. 3. — 10 *De spir. et anim.*, c. 11. — 11 Auct. Super lib. III Sent. Scoti, disp. 15, art. 14.

Hæc igitur duo dona infusa animæ contemplantis concurrunt ad contemplationem infusam, et faciunt ut objectum a Deo demonstratum clarius cognoscatur et suavius ac dulcius ametur, ab aliis plus, ab aliis minus, juxta mensuram donorum, ut postea dicam.

CAPITULUM IX.

DE PROPRIETATIBUS ET EFFECTIBUS INFUSÆ CONTEMPLATIONIS.

Aliqui effectus conjuncti, alii sequentes.

Adverto primo, quod aliquæ proprietates et aliqui effectus sunt connexi cum ipsomet actu contemplandi, et quidam alii sequuntur eum, seu verius habitum contemplandi et contemplativam vitam. De his aliqua hic dicemus, alia in propriis locis, in quibus loquemur de diversis statibus hujusmodi contemplativorum.

In omni statu reperiuntur sed diversimode.

Adverto secundo, quod, sicut in ordine meditativorum et contemplativorum contemplatione acquisita dantur tres gradus seu status, nempe incipientium, proficientium et perfectorum, ita in contemplatione infusa, ut postea dicetur; ac propterea aliquæ proprietates et effectus istius contemplationis reperiuntur in omni statu, aliæ vero in proficientibus, quæ non in incipientibus, aliæ tandem in perfectis, quæ nec in primis nec in secundis. Omnes autem eis pro sua misericordia ac liberalitate Deus concedit ac distribuit.

Proprietates.

Dico primo : Proprietates ac effectus, qui a mysticis assignari solent connexi (cum aliqua proportione ac differentia statuum) infusæ contemplationi, sunt sequentes :

Prima proprietas a S. Gregorio hæc assignatur : « Contemplativæ vitæ amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia aperit..., spiritualia

mentis oculis patefacit, corporalia abscondit[1]. » Secunda proprietas est illustratio et illuminatio intellectus et inflammatio voluntatis in Deum, quæ per dona sapientiæ et intellectus obtinentur; ideo S. Gregorius ibidem ait : « Quum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescet[2]. »

Tertia proprietas, quæ plures complectitur et contemplationi infusæ annexa semper est, a Dionysio Cartusiano hæc assignatur : « O quam bene et optime est tunc animæ amorosæ; quam serena, quam jucunda, quam cœliformia et tranquilla sunt omnia tunc in ea! Ubi tunc nebulæ vitiorum, turbines passionum, involutiones phantasmatum, varietas distractionum, inquietudo tentationum? Nonne a præsentia solis justitiæ, a conspectu et ardore atque fulgore solis sapientiæ fugiunt omnia illa[3]? » Quarta proprietas infusæ contemplationi annexa, est admiratio et suspensio mentis quasi stupidæ et attonitæ. Quinta proprietas eidem sæpissime annexa, est raptus seu extasis quæ, ut supra[4] dictum fuit, est excessus mentis seu alienatio a sensibus. Sexta proprietas eidem annexa, est desiderium permanendi perpetuo in ea contemplatione. Septima proprietas infusæ contemplationi annexa, est ineffabilis suavitas ac dulcedo inebrians animam de qua dicitur : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*[5]. Alias plures et sublimiores pro statuum contemplativorum sublimitate in propriis locis adducam.

Effectus sequentes.

Dico secundo : Infusa contemplatio multos effectus ab ipso actu contemplationis sequentes et separatos producit in contemplante; sunt autem sequentes :

Primus seu unus, ex Dionysio Cartusiano ubi supra, est castigatio carnis; secundus, ex eodem ibi, est custodia cordis seu mentis a quovis genere mali propter Dei amorem filialem. Tertius effectus est gloriatio in adversis;

[1] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [2] *Ibid.* — [3] Dion. Cart. *De fonte lucis*, art. 17. — [4] Opusc. v, c. 8. — [5] Ps. xxxv, 9.

unde S. Paulus : *Nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis*[1] ; ex eodem Cartusiano.

Quartus effectus, ex eodem Cartusiano, est profunda humilitas respectu omnium, majorum, æqualium et minorum, et nihil de se præsumere. Quintus effectus, ex eodem Cartusiano, est contemptus omnium terrenorum tam fortunæ quam honoris, voluntarius et hilaris. Sextus effectus, ex eodem, est continuum desiderium æternorum. Contemplativi hujusmodi cogitatio est continua conversatio in cœlis, ut dicebat Apostolus[2], et ideo continue cum eodem cupit dissolvi et esse cum Christo[3].

Septimus effectus infusæ contemplationis communiter asseritur perfecta caritas in Deum et proximum, ad quam sequuntur alii omnes qui caritatis soboles genuinæ sunt ; eosque distincte enumerat S. Paulus dicens : *Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*[4] ; et inclinat ad omnium virtutum opera.

Octavus effectus hujus nobilissimæ virtutis est securitas de veritate cognita, et tranquillitas animæ in ejus cognitione et amore ; nonus effectus est vulneratio animæ, de qua fit mentio in Canticis[5] ; decimus effectus est languor animæ præ Dei amore, de quo Sponsa : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*[6]. Undecimus effectus infusæ contemplationis est liquefactio moralis animæ, de qua in Canticis : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est*[7] ; duodecimus effectus est transformatio in Deum, de qua S. Paulus : *Vivo autem, jam non ego ; vivit vero in me Christus*[8]. Tertius decimus effectus infusæ contemplationis est unio perfecta cum Deo ; tota enim spiritualis vita ad hanc unionem collimat, quæ est major

[1] II Cor. XII, 5. — [2] Philipp. III, 20. — [3] *Ibid.* I, 23. — [4] I Cor. XIII, 4-7. — [5] Cant. IV, 9. — [6] *Ibid.* II, 5. — [7] *Ibid.* V, 6. — [8] Gal. II, 20.

perfectio quæ potest in hac vita desiderari et obtineri. In quo autem illa consistat postea dicam in suo loco.

CAPITULUM X.

AN OPTARI POSSIT INFUSA CONTEMPLATIO, ET QUIBUS MEDIIS OBTINERI VALEAT.

Mens auctoris.

Advertо quod duo hæc simul inquirimus quia connexionem habent; qui enim efficaciter cupit aliquid, media quærit efficacia ad id conducentia; quod si hæc non quærit, convincitur efficaciter non velle quod velle dicebat. Et quoniam potest accidere ut quis, ex notitia nobilissimæ hujus virtutis et bonorum quæ adducit in anima, alliciatur ad ejus desiderium, ne longius evagetur ad quærendum media pro acquisitione illius, et desiderium, quod erat affective tantum efficax, degeneret in velleitatem, subnecto media quibus ex Dei misericordia ac benignitate possit voti fieri compos.

Cur dispositiones juvent.

Adverto secundo, quod, licet, ut sæpe diximus ac dicemus, infusa contemplatio non dependeat a labore, studio ac industria humana, sed sit Dei donum ac favor ex liberalitate illius proveniens, nihil tamen impedit quin homo aliquas apponere possit dispositiones, ex eodem Dei adjutorio, ad quarum intuitum dignetur Deus illam ex eadem sua liberalitate concedere; nam ex S. Augustino Concilium Tridentinum docet: « (Domini) tanta est erga nos omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona[1].» Nullum enim majus donum excogitari potest quam æterna beatitudo, et tamen Deus vult quod per nostra merita, quæ ipsemet dignatur concedere, eam tanquam præmium et coronam assequamur. De his ergo

1 Sess. VI, c. 16.

mediis ac dispositionibus loquimur quibus ad infusam contemplationem pervenire potest spiritualis homo.

Optari potest infusa contemplatio.

Dico ergo primo : Optari licite potest infusa contemplatio et a Deo postulari, si sit ad ejus gloriam.

Probatur : Sicut de acquisita diximus, est bonum honestum, utile ac delectabile : ergo...

Secundo, unio æterna cum Deo per contemplationem seu visionem ac fruitionem beatam, est optabilis et postulabilis a Deo ; neque ullus homo mentis compos in mundo est, sive Catholicus, sive hæreticus, sive etiam gentilis, qui, si illam sciret, eam non optet et totis viribus non postulet. Igitur unio hæc perfecta in via, quæ est arrha illius in patria et proxima dispositio ad eam, est optabilis a Deo.

Tertio, Apostolus præcipit : *Æmulamini autem charismata meliora* [1] ; melius autem hac contemplatione non invenitur, imo ex Salvatoris oraculo est optimum ; de Magdalena enim contemplante dicit : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [2] ; nam juxta S. Gregorium durat usque ad aliam vitam ; hic enim inchoatur, ibi perficitur.

Argumentum validum quod possit licite optari.

Quarto, Moyses ex Dei oraculo, fidelissimus ejus servus cui Deus ore ad os loquebatur [3], tamen enixe petebat a Deo : *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam* [4]. Cupiebat videre eum evidenter more Beatorum, nam in caligine per infusam contemplationem jam viderat longo temporis spatio in monte Sinai, per dies quadraginta prima vice et per alios totidem secunda vice. Si ergo licite et absque peccato licuit Moysi optare in via Dei visionem, multo magis licebit optare obscuram Dei cognitionem.

Multa dispositiva ad contemplationem infusam.

Dico secundo : Multa sunt necessaria media multæque dispositiones ut quis ad infusam contemplationem perveniat ; et sunt sequentes :

Auxilium Dei efficax.

Prima dispositio seu medium est efficax Dei auxilium ad eam vocans : *Septimo autem die vocavit eum* (Moysen) *de*

[1] I Cor. XII, 31. — [2] Luc. X, 42. — [3] Num. XII, 8. — [4] Exod. XXXIII, 13.

medio caliginis[1]; et ratio est quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est*[2]. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*[3]. Et S. Ambrosius, multum a S. Augustino super hoc argumento efficacis vocationis laudatus, ait : Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit. De quo argumento multa dixi supra[4].

Purgatio a vitiis ut pro acquisita.

Secunda dispositio seu medium perveniendi ad infusam est purgatio exacta a vitiis et passionibus, juxta ea quæ diximus supra[5], et continuatum exercitium in contemplatione acquisita. Probatur ex Dionysio Cartusiano summatim : Contemplationi acquisitæ in animabus purgatis regulariter ex Dei favore succedit infusa, in qua consistit felicitas quæ haberi potest in hac vita de cognitione Dei[6].

Exercitium meditationis.

Tertia dispositio seu medium ad eam perveniendi est exercitium orationis, precum et meditationis ; nam S. Bernardus ait : « Contemplationis adeptio sine oratione, aut rara aut miraculosa[7]. » Et alibi inquit : Nec tamen vel in transitu præsto erit (Deus) sic omni animæ, nisi illi dumtaxat quam ingens devotio et desiderium vehemens et prædulcis affectus Sponsam probat et dignam, ad quam gratia visitandi accessurum Verbum decorem induat, formam Sponsi accipiens.

Bona opera.

Quarta dispositio seu medium perveniendi est frequens longumque bonorum operum exercitium ex S. Gregorio : « Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat ; et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc usque ad secreta intimæ contemplationis extendat[8] ; » et infra : « Qui igitur culmen apprehendere perfectionis nituntur, prius se in campo operis per exercitium probent[9]. »

1 Exod. xxiv, 16. — 2 Jac. i, 17. — 3 II Cor. iii, 5. — 4 Opusc. vi, c. 1. — 5 *Ibid.*, c. 1-9. — 6 Dion. Cartus. *De fonte lucis*, art. 9. — 7 Bern. *De scala claustr.*, c. 12. — 8 Greg. Mag. *Moral.* VI, c. 37, al. 27. — 9 *Ibid.*

Ex Dionysio Cartusiano alia plura.

Quinta dispositio ex Dionysio Cartusiano hæc est : « Ab exterioribus abstrahat mentem suam eamque recolligat, ejus dispersiones et vagationes abjiciendo ; sicque juxta S. Dionysii documenta se convertat ad radium, supernam illustrationem optando et pro ea orando, seque ad Dei considerationem aut contemplationem pro viribus elevando. Et tunc Deus sublimis, qui sapientiæ dux est et princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis, fidelem ac pium ejus conatum, manum applicabit et porriget adjutricem, mentem per donum sapientiæ illustrando, sicut dicit Isaias : *Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam* [1]. Ipse enim est sol sapientiæ ac intelligentiæ, quo in anima resplendescente ac radiante, omnia mox clarescunt, venustantur, tranquillantur et exhilarantur in ea ; sicque Creatoris sui majestatem immensam, pulchritudinem infinitam, sapientiam, omnipotentiam ac beatitudinem, perfectionem et eminentiam prorsus interminabilem incipit intueri ac vehementissime admirari, jucunde conspicere, ferventer diligere, eique intime congaudere, et in eo ad horam quiescere [2]. » Hæc Cartusianus.

Dispositio pro assecutione.

Richardus de S. Victore, arguens contra se de difficultate assequendi hanc contemplationem supernaturalem sine specialissimo Dei favore, inquit : *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus* [3] ? Et multa digna dicit, sed præ ceteris : « In stando quidem labor, sed in ascendendo major. Multi quidem in ipsa ascensione defecerunt propter nimium laborem ascendendi ; multi ab arduo ejus vertice ocius descenderunt, propter laborem standi. Hoc fortasse eis intolerabile videbatur, quoniam non solum in hunc montem nisi per magnum laborem non ascenditur, verum etiam sine magna difficultate ibi immorari non datur [4]. » Et cetera plura.

Ex quibus concluditur quod dispositiones, quibus ex sua

1 Is. LVIII, 11.— 2 Dion. Cartus. *De fonte lucis*, art. 9.— 3 Ps. XXIII, 3. — 4 Rich. de S. Vict. *De præpar. ad contempl.* seu *Benj. min.*, c. 76.

bonitate possit moveri Deus ad concedendam supernaturalem hanc contemplationem, difficiles ac laboriosæ sunt, et non solum carnalibus, sed etiam spiritualibus arduæ videntur; purgatio enim a nobis in suo loco recensita ardua est, virtutum omnium moralium pro opportunitate exercitium difficile, continua cordis munditia moraliter impossibilis, frequens ac perseverans oratio, meditatio vel acquisita contemplatio molesta: ideo rarissimi ad infusam perveniunt. Unde difficultas assequendi.

CAPITULUM XI.

AN INFUSA CONTEMPLATIO ESSE POSSIT DIUTURNA.

Duplex sensus.

Adverto primo, quod, ut dixi supra [1] de duratione meditationis, et alibi [2] de duratione acquisitæ contemplationis, duplex esse potest hujus quæsiti sensus. Primus est, an solum in hac vita detur infusa contemplatio, an etiam esse debeat in altera vita; et de hoc sensu hic non loquimur; secundus est, an actus contemplandi exigat determinatum tempus, quod duret verbi gratia per horam, mediam horam, quadrantem, et cetera. Hic sensus inquiritur.

Non est eadem ratio de infusa.

Adverto secundo, quod, quamvis in nuper citato capitulo assignaverimus determinatum ac indeterminatum spatium pro meditatione et contemplatione acquisita juxta dispositionem meditantis et contemplantis, pluresque adduxerimus Patrum auctoritates ad tale temporis spatium stabiliendum, illæ tamen rationes valere non possunt pro infusa, quæ non subjacet perturbationi causarum naturalium, sed soli Deo suspendenti earum effectus, ne impediant contemplantem; ideo

[1] Opusc. II, c. 12. — [2] Opusc. VI, c. 10.

Non durat semper neque diu.

Dico primo : Infusa contemplatio non durat continuo in contemplante, ita ut nil aliud agat, neque per plures continuos dies, neque per integrum aut per majorem diei partem, neque per mediam diem aut magnam partem diei, nisi in raris aliquibus casibus in sacra Scriptura expressis, vel aliis singularibus juxta incomprehensibile Dei judicium forte futuris.

Aliquæ exceptiones.

Dixi : nisi in raris casibus in sacra Scriptura expressis, ob casus Moysis, Salvatoris et S. Joannis evangelistæ. Moyses enim quadraginta diebus et totidem noctibus in monte Sinai sine cibo et potu stetit sub caligine in continua contemplatione Dei [1] ; imo quum ob peccatum idololatriæ populi fregisset tabulas legis, altera vice ex Dei præcepto ascendit in montem cum aliis duabus tabulis, et per alios quadraginta dies ac noctes mansit in contemplatione Dei. De Salvatore nostro habemus quod per integras et plures noctes perseveravit in oratione seu contemplatione Dei, abstinens ab aliis operibus externis : quod addo, quia per totam vitam Deum videbat, contemplabatur et pro nobis orabat, sed operibus externis etiam vacabat ; et hoc erat continuum miraculum. De S. Joanne evangelista legimus quod fuit *in spiritu in Dominica die* [2], et revelata sunt ei omnia illa dicta et facta mirabilia, et successiones multas habentia, quæ in viginti duo capitulis Apocalypsis continentur ; quæ non poterat brevi tempore audire et conspicere.

Dixi : exceptis aliis casibus in quibus vellet Deus aliquos eodem modo et eisdem temporum spatiis in contemplatione detineri ; Dominus enim et omnipotens est ; et sicut per totam æternitatem detinebit Angelos animasque beatas in evidenti sui contemplatione, ita, et multo magis, potest hic, quanto tempore sibi placuerit, detinere in contemplatione obscura.

Ex facto argumentum.

Probatur modo conclusio ex facto : Nunquam in contemplativis durat aut duravit tam prolixo tempore contem-

[1] Exod. xxiv, 18. — [2] Apoc. i, 10.

platio ; imo omnes cum S. Gregorio conveniunt quod non duret regulariter plusquam per mediam horam, juxta illud : *Factum est silentium in cœlo, quasi media hora* [1], ut sæpe diximus.

Dico secundo : Quamvis pro parva duratione tam meditationis quam acquisitæ contemplationis assignari possint rationes naturales ob naturæ defectum, istæ tamen rationes nequeunt applicari etiam pro parva duratione infusæ, sed aliunde ex incomprehensibili Dei judicio desumenda est ratio. Diversa ratio de infusa.

Probatur prima pars ex ipsomet S. Gregorio : « Eatenus multum durare non potest contemplatio, quia *corpus... quod corrumpitur aggravat animam* [2], et rerum tam naturalium quam mundanarum phantasmata, tentationes diaboli vel propriæ concupiscentiæ aliarumque passionum mentem perturbant, et retrahunt illam a contemplatione, et sic parum durat [3]. » Eamdem rationem replicat variis locis [4]. Passiones retrahunt.

Ante S. Gregorium idem docuerat Cassianus, dicens : « Inhærere quidem Deo jugiter, et contemplationi ejus, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato [5]. » Idem replicat in alio loco [6], ubi impugnat eos qui docebant posse hominem continue sine intermissione contemplationi divinorum vacare, inquiens hoc esse impossibile pro statu præsentis viæ ; sed desiderio tantum ac voluntate, non exercitio, id fieri posse. Et sic faciebat et consulebat S. Paulus : *Nostra autem conversatio in cœlis est* [7] ; et : *Sine intermissione orate* [8], id est desiderio.

Ante Cassianum S. Augustinus dixerat : « Rapiebar ad te, Domine, decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu ; et pondus hoc consuetudo carnalis [9]. » Et alibi dicit : « Aliquando intro- S. Augustini ratio.

[1] Apoc. VIII, 1. — [2] Sap. IX, 15. — [3] Greg. Mag. *Moral.* III, c. 12. — [4] *Ibid.* V, c. 23 ; *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — [5] Coll. I, c. 13. — [6] Coll. XXIII, c. 5. — [7] Philipp. III, 20. — [8] I Thess. V, 17. — [9] Aug. *Conf.*, lib. VII, c. 17.

mittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit; sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, et resorbeor solitis, et teneor et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat! Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo; miser utrobique [1]. » Omnes doctores mystici posteriores, ut SS. Bernardus, Thomas et Bonaventura, secuti sunt S. Augustinum et S. Gregorium in assignanda hac ratione cur multum durare non possit contemplatio, quia homo circumdatus est infirmitate concupiscentiæ et tumultibus terrenorum, quæ omnia continue distrahunt ab oratione.

Hæ rationes non valent pro infusa.

Secunda vero pars, quod hæc ratio non potest applicari pro contemplatione infusa, probatur evidenter, quia pro facienda contemplatione acquisita homo labore, studio et industria sua se subtrahit ab aliis occupationibus et cogitationibus; at postea, quum contemplatur, quamvis ipse nec eas imperet nec eas velit, ex se insurgunt; et quia fortes sunt ac sensibiles, turbant et distrahunt; insuper insurgit tædium, melancholia, curiositas et anxietas alterius negotii peragendi, tentatio carnis quæ semper est prompta, tentatio diabolica vanitatis, acediæ, et cetera similia; quæ omnia et singula distrahunt a contemplatione acquisita, et ideo parum durat: at in contemplatione infusa ista nequeunt habere locum, quia Deus est qui distrahit hominem ab omnibus occupationibus et alienis cogitationibus, et applicat ac detinet illum in cognitione seu intuitu et amore sui, ut dictum est in definitione infusæ; nam in Canticis [2] prohibet Sponsus omnibus externis ne suscitent ac retrahant Sponsam a dulci colloquio cum Sponso. *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* [3], ait Sponsa; et subdit Sponsus: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem..., ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit* [4]. Glossa interlinearis: Suscitetis, dicit, tumultu carnalium perturbatio-

[1] Aug. *Confess.*, lib. x, c. 40.—[2] Cant. II, 7.—[3] *Ibid.*, 6.— [4] *Ibid.*, 7.

num a quiete placidissimæ devotionis, qua conspectibus sui Conditoris adstare deliciatur. Deus ergo impedit portionem inferiorem omnesque sensus, et omnia phantasmata omnesque alienas cogitationes et species ne perturbent et distrahant contemplantem ; ideo sequitur quod ratio parvitatis durationis in contemplatione infusa non sit corporalis infirmitas vel passionum aut cogitationum perturbatio aliave similis a natura proveniens impetitio, etiam involuntaria, sed aliquid aliud. Ideo

Deus impedit distractionem.

Tertia pars, quod scilicet sit divina dispositio, probatur a sufficienti partium enumeratione, quum nequeat aliunde provenire. Et hæc est regula generalis omnium gratuitorum quæ proveniunt a Dei misericordia, nullis præcedentibus meritis; omnia enim ejusmodi concedit Deus quibus vult, quando vult et quomodo vult ; unde Apostolus : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* [1] ; et infra : *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus ; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus ; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* [2]. Et prosequitur loqui de novem gratiis gratis datis, dicens quod uni datur una, alteri altera, et sic de singulis concludens : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* [3]. Et sicut dicemus quod in contemplatione infusa alii sunt aliis magis illuminati magisque perfecti in ea, imo et quod multis Sanctis Deus eam non concedit, et multis minus perfectis concedit, neque potest assignari alia causa quam Dei voluntas : *quis consiliarius ejus fuit?* inquit S. Paulus [4]. Ita dicendum de spatio ac mensura durationis in actu contemplationis infusæ, quod nempe cessat dum Deus subtrahit concursum.

Regula gratuitorum est Dei voluntas.

1 I Cor. VII, 7. — 2 *Ibid.* XII, 4-6. — 3 *Ibid.*, 11. — 4 Rom. XI, 34.

CAPITULUM XII.

QUIBUS PERSONIS CONCEDITUR INFUSA CONTEMPLATIO.

Scopus auctoris.

ADVERTO quæsitum hoc agitari ad consolationem piorum fidelium, ne existiment eos tantum in Ecclesia esse perfectos quibus donum hoc a Deo vident concessum, in ceteris autem perfectionem non reperiri quos dono isto vident carere.

Adverto secundo, quod, — ut dixi de vita contemplativa [1], — licet contemplativa juxta Salvatoris oraculum sit optima, et ideo perfectior quam activa, non propterea in hac sola consistit christiana perfectio, ut ibi dixi ; rarissimi namque contemplationi vacant, et maxime infusæ, ut notorium est, innumeri vero meditationi ; et tamen complures perfectos experimur canonizari, licet in processibus pro eis factis de infusa contemplatione non fiat mentio, sed de aliis virtutibus in gradu heroico et de miraculis fiat constans probatio.

Infusa etiam non perfectis conceditur.

Dico ergo : Infusa contemplatio interdum conceditur perfectis, interdum etiam non perfectis ; ita quod positio ejus in aliquo non est præcisum signum perfectionis, nec carentia ejus est signum præcisum non perfectionis aut imperfectionis.

Ex S. Gregorio clara probatio.

Probatur primo auctoritate S. Gregorii, quam adduxi supra [2] ; is enim inquit : « Non enim contemplationis gratia summis datur et minimis non datur ; sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis

[1] Opusc. IV, c. 3. — [2] Opusc. III, c. 15.

potest[1]. » Et postea : « Nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur; nullus se donum veri luminis existimet habere privatum, quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est ditior, quem habere apud se aliquid boni non putabat[2]. » Hæc ille. Si itaque non solis summis, id est perfectis, datur, sed etiam mediis et minimis atque conjugatis, non est præcisum signum perfectionis ejus in quo invenitur, nec imperfectionis in quo non est.

Confirmatur : Ex infra dicendis in his contemplativis dantur gradus incipientium, proficientium et perfectorum; ergo quum incipientes ac proficientes polleant infusa contemplatione, et perfecti non sint, contemplatio infusa non est præcisum signum perfectionis et negatio ejus signum imperfectionis.

Signum perfectionis a Christo datum.

Probatur secundo : Unum ex præcisis signis perfectionis est illud quod Christus assignavit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me*[3], quod multi fecerunt, et perfecti fuerunt. Ergo infusa contemplatio non est præcisum signum perfectionis, nec ejus carentia est signum imperfectionis. Hinc est quod multis non adhuc perfectis Deus concedit donum istud, et multis perfectis non concedit : in primo casu misericordia superexaltat judicium, nam *miserationes ejus super omnia opera ejus*[4]; pro secundo casu dicendum quod *incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus*[5], et *justus Dominus in omnibus viis suis*[6].

S. Bernardi admiratio.

S. Bernardus de hujusmodi donorum Dei partitione, quæ mirabilis mundo videtur, plura dicit : primo, quod in paucis simplicibus, id est Apostolis, totum sibi mundum subjecit, ipso mundo mirante; « licet enim magna et divina plane fuerint miracula quæ Christus gessit in terris, hoc tamen unum enituit super omnia alia, et cetera cuncta illustravit, quod, sicut dictum est, in paucis simplicibus

[1] Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 17, al. lib. 2, hom. 5. — [2] *Ibid.* — [3] Matth. XIX, 21. — [4] Ps. CXLIV, 9. — [5] Rom. XI, 33. — [6] Ps. CXLIV, 17.

totum mundum et omnem sapientiæ ejus altitudinem sibi subjugavit[1]. » Secundo, fratres illos consolatur quod Deus eos elegerit ad similia fere opera peragenda, ex Christi verbis : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te*[2]. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*[3]. Tertio cum Apostolo : « *Videte enim vocationem vestram, fratres*[4]. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi*[5] ? Nam etsi aliqui sunt sapientes inter vos, per simplices tamen sapientes aggregavit, qui reges olim et philosophos mundi hujus per piscatores sibi subjecit[6]. » Et alia plura de hoc modo agendi ac disponendi Dei adducit. Nulli ergo mirum si omnibus suis amicis ac dilectis, quamvis perfectis in omni virtute, Deus infusam contemplationem non concedit ; nec mirum si aliis minus perfectis, imo incipientibus vitam spiritualem, illam concedit. Sed quisque miretur de incomprehensibilitate judiciorum ejus et investigabilitate viarum ejus, et cum Apostolo clamet : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*[7]*!*

Deus concedit dona cui vult.

CAPITULUM XIII.

IN QUIBUS MEDIIS COGNOSCANTUR OBJECTA PER INFUSAM CONTEMPLATIONEM.

Sensus quæsiti alias resoluti.

Adverto primo, quod de hac materia satis abunde, et pro doctis non pro simplicibus, locutus sum supra[8]; et sensus est, an sic contemplans cognoscat seu intueatur

[1] Bern. *Epist. ad fratres de Monte Dei*, c. I. — [2] Matth. XI, 25, 26. — [3] Luc. XII, 32. — [4] I Cor. I, 26. — [5] *Ibid.* I, 20. — [6] Bern. *loc. cit.* — [7] Rom. XI, 33. — [8] Opusc. III, c. 16.

objecta sibi revelata, sive antiqua sive nova, in speciebus, an alio modo; et si in speciebus, an in solis intelligibilibus, an etiam in imaginariis, an in utrisque. De harum specierum diversitate ac officio in eo loco multa dixi, quæ nunc iterare non est necesse : ibi videantur. Specialis tamen discussio fit hic de eodem argumento, eo quod infusa contemplatio sublimior est, et forte aliquibus studiosis videtur quod contemplantes isti alio et altiori medio intueantur ea quæ voluerit Deus eos cognoscere ac intueri.

Adverto secundo, quod, ut dixi ibidem [1], licet principale objectum contemplationis sit Deus ejusque divinæ perfectiones et sanctissima Trinitas, quia tamen ad cognitionem ipsius Dei et perfectionum ejus secundum aliquem conceptum, saltem universalem, possumus pervenire per cognitionem creaturarum, ut habetur : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas* [2] ; ideo diximus quod objecta contemplabilia quædam sunt creata, quædam increata, non quia intellectus contemplantis figit intuitum in re creata, sed quia ex rebus creatis, ut dicit Apostolus, excitatur et manuducitur ad cognoscendum increata; in iis enim relucet, ut ibi diximus, scintilla aliqua Divinitatis. Ex creatis autem quædam sunt corporalia, quædam spiritualia; et ex his omnibus, ut cum S. Bonaventura in eodem opusculo [3] diximus, intellectus ascendit ad cognitionem divinorum; ita quod homo, præsertim fide imbutus (quia Apostolus etiam Gentiles comprehendit), ex cognitione cœlorum, planetarum, sublunarium ac terrestrium, et motuum ac generationum atque corruptionum ipsarum rerum, venit in cognitionem primæ causæ, et in omnibus factis sensibilibus quæ in sacra Scriptura legit, intuetur Deum qui ea fecit. Ex spiritualibus autem quæ in nobis experimur et credimus, venimus in cognitionem perfectionum Dei, potentiæ, justitiæ, bonitatis...

Ex creatis ascenditur ad increata.

[1] Opusc. III, c. 13. — [2] Rom. I, 20. — [3] Cap. 16, 17.

Quædam divina non possunt cognosci ex creatis.

Præterea ex revelatione cognoscimus et credimus Dei perfectiones immediate, verbi gratia intellectum, voluntatem, actus eorum ad extra ; et ad hæc cognoscenda possumus ex cognitione nostrarum potentiarum et actuum earumdem pervenire, sicut et ad cognoscenda omnia alia attributa : at adsunt in Deo quædam perfectiones ad quarum notitiam pervenire non possumus per creaturarum cognitionem, sed sola fide credimus, ut sunt trinitas Personarum cum unitate essentiæ, Incarnatio unius Personæ sine alia, quum in essentia sint unum et idem ; infinitas, immensitas, æternitas, esse a se, et cetera.

Quum ergo omnia creata, sive in ordine naturæ sive in ordine gratiæ, et omnia increata, sive per creaturas cognoscibilia sive per solam fidem, possint esse objecta contemplationis infusæ, quærimus quo modo Deus ea ostendat contemplanti ; num in seipsis, vel in seipso, vel in speciebus, et quibus.

Spiritualia in speciebus intelligibilibus cognoscuntur

Dico primo : Objecta pure spiritualia, sive creata sive increata, in contemplatione infusa Deus ostendit contemplanti in speciebus spiritualibus seu intelligibilibus.

Quæ non possunt cognosci per species sensibiles.

Probatur sicut dictum est supra [1] : Ista objecta non possunt repræsentari per species sensibiles seu imaginarias, nulla enim inter ea adest proportio ; verbi gratia, si vellet Deus ostendere contemplanti naturam Angeli aut animæ aut alicujus habitus supernaturalis, fidei, caritatis, justitiæ originalis, luminis gloriæ, et ceterorum, imaginariæ et sensibiles species nequeunt aliquid eorum repræsentare. Item, si vellet Deus ostendere contemplanti unionem hypostaticam, vel aliquod attributum divinum desumptum ex creaturis, ut justitiam, potentiam, misericordiam, et cetera, non posset ostendere per speciem imaginariam, quæ improportionatissima est talibus rebus. Tandem, si vellet ostendere contemplanti in obscura cognitione sanctissimam Trinitatem, seu divinam essentiam (quæ sunt principale objectum contemplationis), ut ea cognosceret paulo

[1] Opusc. III, c. 16.

clarius quam faciat per fidem, non posset ostendere in specie imaginaria. Et hoc est præceptum S. Dionysii, ut in contemplatione spectaculorum Sapientiæ deserantur sensus ; nam ad ea sunt improportionati.

Richardi exaggeratio contra phantasmata.

Et hoc est quod tam vehementer contra imaginarias species seu phantasmata contemplationi spiritualium ac divinorum adversantia exaggerat Richardus de S. Victore : « Quid hic facit phantasmatum corporalium creatrix, moderatrix et reparatrix, imaginatio? Recedat procul ab hoc negotio tot phantasiarum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium formas quotidie novas creat, antiquas reparat, et per tam multiplices variosque modos pro arbitrio disponit et ordinat. Nihil hic prosunt, imo multum obsunt suorum simulacrorum tam copiosa multitudo. Quid te improbum huic operi ingeris? Quid te in hujus contemplationis officinam cum tanta importunitate intrudis? Quid tu in hac officina, quid tibi cum pura intelligentia? Nescis operari in auro, nil tibi in tali artificio. Nescis purgare aurum, quæ semper turbas intellectum purum[1]. » Ex quibus vides, quod non solum phantasmata nequeunt spiritualia et divina repræsentare, sed quando ista cognoscenda sunt, arceri debent omnia corporalium rerum phantasmata, ne turbent intelligentiam ; — sic vocatur intellectus cognoscens divina per intelligibiles species ; — per spirituales ergo seu intelligibiles species cognoscuntur spiritualia in infusa contemplatione sicut in acquisita.

Corporalia per utraque potest Deus ostendere.

Dico secundo : Dum in contemplatione infusa Deus ostendit seu revelat objecta corporalia, repræsentat seu potest repræsentare per species imaginarias seu phantasmata, vel etiam per species intelligibiles talium objectorum, et per alterutras, sive antiquas jam exsistentes in contemplante, sive novas a Deo noviter productas.

Probatur et declaratur supponendo quod in citatis opusculo et capitulo diximus scilicet; quod de rebus corporeis per sensus cognitis homo habet duo specierum genera,

1 Rich. de S. Vict. *De contempl.*, lib. III, c. I.

unum imaginarium, alterum intellectuale, id est phantasmata in imaginatione et species intelligibiles in intellectu. Hoc posito, dico quod, si Deus velit ostendere contemplanti aliquid corporale, factum vel factibile, verbi gratia creationem mundi vel hominis, diluvium, sacrificium Abrahæ de Isaac, templum Salomonis, locum purgatorii aut inferni, et cetera alia ex illis factis quæ in sacra Scriptura leguntur, aut alia facienda, item si velit ostendere aliquam Christi actionem aut passionem, verbi gratia gestationem in utero matris, nativitatem in stabulo, jacentiam in præsepio, et aliud ejusmodi, vel partem aliquam passionis et cruciatuum, potest hoc facere duplici modo : primo per species imaginarias repræsentantes ista facta aut facienda, vel per imaginarias quæ adsunt in contemplante, ordinando eas nobiliori ac illustriori modo ac lumine, ut postea dicam ; et si non adsint, aut etiam si adsint, velit Deus alias puriores in imaginatione producere, per istas potest talia objecta ostendere ; et sic factum esse cum Prophetis docet S. Augustinus, quando eis corporalia revelavit, sive præterita sive futura. Sic cum Moyse, dum ei creationem mundi, cœlorum, elementorum ac mixtorum, et omnia quæ in toto libro Genesis facta narrantur, ei revelavit. Item et omnia quæ in Exodo, Levitico, Numerorum libro et Deuteronomio habentur.

Quomodo Deus ostendere potest corporalia.

Potest etiam hæc eadem corporalia per species intelligibiles, sive novas sive antiquas, illustriores per donum intellectus redditas, ostendere, concurrentibus vel etiam non concurrentibus phantasmatibus ; Deus enim in genere causæ efficientis potest facere se solo quidquid potest facere cum causis secundis, seu possunt causæ secundæ cum Dei concursu. At homo per species intelligibiles quas retinet in intellectu de rebus corporeis, potest eas cognoscere per cognitionem abstractivam in earum absentia, in recordatione illarum, concurrentibus etiam phantasmatibus ad talem cognitionem seu recordationem. Igitur hoc idem potest facere Deus dum talia ostendit, movendo nempe, si adest, speciem intelligibilem talis rei corporeæ,

Potest per intelligibiles etiam species exteriores.

permittendo quod phantasma etiam illius concurrat, quod est quid supernaturale. Si autem talis species non adsit in contemplante, posset Deus vel utramque producere, scilicet imaginariam et intelligibilem, et permittere ut utraque concurrat ; vel producere solam intelligibilem, et per hanc demonstrare corporeum illud quod dignatur contemplanti demonstrare.

Dionysius Cartusianus idem docet.

Dionysius Cartusianus aperte utrumque docet, ubi de perfecta hac contemplatione loquens, ait : « Interdum fit per similitudines corporales, interdum per formas imaginarias, interdum vero fit hoc sublimius, purius atque divinius per species et radios intellectuales, hoc est per solam intellectualem illuminationem et spiritualis speciei aut luminis infusionem. Sicque contingere solet personis perfectis, heroicis ac divinis, quæ sæpe inopinatis excessibus feruntur, seu potius rapiuntur in Deum [1]. »

Patet ergo quod in contemplatione infusa objecta quæ videntur, in his speciebus videntur, sicut placuerit Deo illa demonstrare cum debita proportione eorum.

CAPITULUM XIV.

AN IN CONTEMPLATIONE INFUSA INTERDUM VIDEATUR ESSENTIA DEI UT EST IN SE.

Ratio quæsiti.

Adverto primo moveri hoc dubium ab omnibus mysticis, ut innotescat ad qualem quantamque Dei notitiam pervenire possint contemplativi in contemplatione infusa; et, si non vident Dei essentiam immediate ut est in se, quid amplius videant et cognoscant de Deo supra contemplativos in acquisita ; siquidem isti etiam cognoscunt et intuentur Deum abstractive in specie intelligibili secun-

1 Dion. Cart. *De vita inclus.*, c. 19.

dum conceptus communes cum excellentia supra creaturas, sive per affirmationem sive per negationem, ut diximus supra [1].

Adverto secundo, quod, licet non inquiramus hic an aliquis homo unquam viderit Deum ut est in se, sicut aliqui affirmant de Moyse et S. Paulo, — quia loquimur de personis non sic a Deo elevatis, et de iis quæ frequenter accidere solent contemplativis, — tamen ad firmandam communem doctorum negativam sententiam de contemplativis, omittere non possumus argumentum desumptum a negatione talis visionis etiam in illis.

Nullus contemplativus videt Deum ut est in se.

Dico ergo : In contemplatione infusa nullus, quantumvis perfectus contemplativus, pervenit ad videndam essentiam Dei ut est in se, immediate et evidenter. Est communis ex S. Thoma, S. Bonaventura, Scoto et omnibus, etiam mysticis.

Probatur primo ex Dei ipsius oraculo dicentis se non fore videndum ab homine qui postea victurus esset ; nam Moyses, fidelissimus Dei servus, continuo loquens cum Deo, ex cujus colloquio quum descenderet de monte facies ejus erat cornuta, id est splendens, pluries petit faciem et gloriam Dei videre, et Deus respondit : *Ego ostendam omne bonum tibi... Rursumque ait : Non poteris videre faciem meam ; non enim videbit me homo, et vivet* [2] ; et nihilominus paulo ante in eodem capitulo dicitur : *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum* [3] : si ergo Deus dicit se non videndum ab homine in hac vita, nullus contemplativorum sic videt, sed alio modo, ut dicam postea.

Moyses quomodo vidit et non vidit Deum.

Confirmatio ex S. Scriptura et Patribus

Confirmatur ex S. Joanne : *Deum nemo vidit unquam* [4]. Glossa interlinearis dicit : « Nec Moyses ; » ordinaria dicit : « Nullus purus homo vivens in hoc corpore vidit Deum. » Et ex Apostolo : *Qui solus...lucem inhabitat inaccessibilem ; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* [5]. Glossa

[1] Opusc. VI, c. 16. — [2] Exod. XXXIII, 19, 20. — [3] *Ibid.*, 11. — [4] I Joann. IV, 12. — [5] I Tim. VI, 16.

ordinaria dicit : « Secundum naturam, qua Deus est, nemo vidit. » S. Hieronymus in hunc locum ait : Lucem habitat inaccessibilem omni creaturæ, nemo enim novit Patrem nisi Filius ; quem nullus hominum vidit, nemo novit, sed unusquisque pro merito intelligit. Ergo videri non potest.

De contemplantibus autem loquendo, probatur quod ad hanc altitudinem non perveniunt. Primus omnium quem viderim expresse id negasse est S. Gregorius Magnus, qui dicit : « Sciendum est quia, quamdiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit ut in ipso jam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat ; neque enim omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima, unde refota proficiat, et post ad visionis ejus gloriam pertingat [1]. »

S. Augustinus ante S. Gregorium considerans illa duo : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [2], et illud S. Joannis : *Deum nemo vidit unquam* [3], subdit homines esse intelligendos ; « nam hoc Apostolus planius explicans dicit : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* [4]. Sic ergo dictum est *Deum nemo vidit unquam,* ac si diceret nemo hominum [5]. » In fine illius capituli dicit : « Igitur nec Patrem quisquam putandus est vidisse, nec Filium secundum quod Deus est [6]. » Et infra ait : « Invisibilis est natura Deus. Pii cupiunt Deum videre non, ut opinor, in eam speciem intuendam qua, ut vult, apparet quod ipse non est, sed in eam substantiam qua ipse est quod est. Hujus desiderii fuit Moyses, ubi ait Deo, cum quo ut amicus facie ad faciem loquebatur : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Quid ergo, ille non erat ipse ? Si non esset ipse, non ei diceret : *Ostende mihi faciem tuam,* sed diceret : Ostende mihi Deum. Ipse ergo erat in ea specie qua apparere voluerat, non autem

S. Augustinus etiam negat.

1 Greg. Mag. *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2. — 2 Matth. v, 8. — 3 Joann. I, 18. — 4 I Tim. VI, 16. — 5 Aug. *De vid. Deo,* seu *Epist.* 147, c. 5. — 6 *Ibid.*, c. 8.

ipse apparebat in natura propria quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittebatur Sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Moysi verum est, quia nemo potest eum in hac vita videre vivens, sicuti est[1]. »

SS. Thomæ et Bonaventuræ doctrina.

S. Thomas secutus S. Gregorium ait : « Dicendum quod, sicut S. Augustinus[2] dicit, nemo videns Deum vivit vita ista qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis[3]. » S. Bonaventura ubi de perfectissimo actu contemplationis loquitur qua videtur Deus in caligine supernaturali, ex S. Dionysio dicit quædam scitu digna, quid nempe videatur de Deo et quid non videatur : « Tu, o amice, circa mysticas visiones corroborato itinere, et sensus desere et intellectuales operationes et sensibilia et invisibilia, et omne non ens et ens, et ad unitatem (ut possibile est) inscius restituere ipsius qui est super omnem essentiam et scientiam. Etenim teipso et omnibus immensurabili, et absoluto puræ mentis excessu ad superessentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deserens et ab omnibus absolutus ascendens. Si autem quæris quomodo hæc fiant? Interroga gratiam, non doctrinam ; desiderium, non intellectum ; gemitum orationis, non studium lectionis ; Sponsum, non magistrum ; Deum, non hominem ; caliginem, non claritatem ; non lucem, sed ignem totaliter inflammantem et in Deum excessivis unctionibus et ardentissimis affectionibus transferentem[4]. » Et paulo post, ait post mortem tantum videndum Deum : « Quam mortem qui diligit (nempe in Christo) videre potest Deum, quia indubitanter verum est : *Non videbit me homo, et vivet*[5]. Moriamur ergo...[6] »

Contemplativi etiam id fatentur.

Non curo alios auctores pro hac sententia adducere, quia omnes id confitentur de contemplativis, et ipsimet contemplativi id fatentur ; nec ullus eorum qui de hac materia scripsit, id asseruit. Esto ergo quod magnis radiis et splendoribus illustraretur intellectus contemplantis, et

[1] Aug. *De vid. Deo*, seu *Epist.* 147, c. 8. — [2] *Super Gen. ad litt.*, lib. XII, c. 27. — [3] Thom. 2. 2, q. 180, art. 5. — [4] Bonav. *Itiner. mentis ad Deum*, c. 7. — [5] Exod. XXXIII, 20. — [6] Bonav. *loc. cit.*

objecta revelata clarius videret quam per fidem videat, nunquam tamen Dei essentiam clare videt.

Verum quia in sacra Scriptura plures casus sunt, et Prophetæ asserunt se vidisse Deum, videndum est quomodo id intelligatur.

CAPITULUM XV.

QUOMODO SANCTI ET PROPHETÆ VIDERINT DEUM.

Multæ visiones et apparitiones ex sacra Scriptura.

ADVERTO quod in sacra Scriptura legimus quod plures dicunt se vidisse Deum, et aliquando legimus Deum apparuisse aliquibus, et de visione hæc adsunt exempla. Jacob revertens a Mesopotamia, quum in somno vidisset se luctari cum quodam qui postea dixit ei se esse Dominum, evigilans e somno dixit : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*[1]. In Exodo dicitur quod ascenderunt *Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel, et viderunt Deum Israel; et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini et quasi cœlum quum serenum est*[2] ; et infra : *Videruntque Deum, et comederunt ac biberunt*[3]. Michæas propheta dicit : *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli adsistentem ei a dextris et a sinistris*[4]. Et Isaias inquit : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum... Seraphim stabant super illud ; sex alæ uni, et sex alæ alteri*[5]; et cetera.

Multæ apparitiones Dei.

De apparitionibus Dei ad homines habemus plura exempla. Primum autem et solemne est de apparitione ad Adam dum, isto jam creato et introducto in paradiso terrestri, dixit ei : *Ex omni ligno paradisi comede ; de ligno*

1 Gen. XXXII, 30. — 2 Exod. XXIV, 9, 10. — 3 *Ibid.*, 11. — 4 III Reg. XXII, 19. —5 Is. VI, 1, 2.

autem scientiæ boni et mali ne comedas [1]*;* et quum adduxit ad Adam omnia animantia, ut imponeret ei nomina quæcumque vellet; et quum, formata Eva, dixit eis : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* [2]*;* et quum, post esum pomi, vocavit Adam et dixit ei : *Ubi es* [3] ? et quum utrumque interrogavit cur comedissent, et maledixit eis, et indutos tunicis pelliceis ejecit e paradiso.

Apparuit Noe et præcepit ei formationem arcæ. Apparuit Abrahæ et Isaac; et iterum atque iterum eidem apparuit. Multas apparitiones ad Moysen legimus ab Exodo usque ad Deuteronomium. Apparuit Samueli. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis ut dem tibi* [4]. Et postea apparuit ei secundo [5], et cetera.

Sensus quæsiti.

Fieri autem posset ut contemplanti per infusam contemplationem appareret eodem modo Deus quo Patribus illis et Prophetis veteris Testamenti apparuit; quum ergo in præcedenti capitulo dixerimus Deum non apparuisse nec apparere unquam alicui in propria essentia, nec ita visum fuisse aut videri posse in hac vita, discutiendum est nunc quomodo apparuerit aut appareat, et quomodo visus ab illis fuerit aut videatur, in qua scilicet forma aut figura, et an in spirituali aut corporali. His positis,

Quomodo Deus apparuit SS. Patribus ex S. Augustino.

Dico : Quum Deus apparuit Patribus veteris Testamenti et ab eis visus fuit, non in propria substantia, sed in aliqua specie, sive sensibili sive spirituali sicut ei placuit, visus est, et in ea fuit locutus.

Probatur ex S. Augustino pluribus in locis. Primo ex libro *De videndo Deo,* capitulo allato supra; secundo ex capitulo septimo, ubi ait : « Illi autem ideo viderunt, quicumque viderunt Deum, quia cui voluerit sicut voluerit apparet ea specie quam voluntas elegerit, etiam latente natura. » In capitulo octavo inquit : « Multi viderunt; sed quod voluntas elegit, non quod natura formavit. » Et post

[1] Gen. II, 16, 17. — [2] *Ibid.* I, 28. — [3] *Ibid.* III, 9. — [4] III Reg. III, 5. — [5] *Ibid.* IX, 2.

aliqua subnectens illud Joannis, *quum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*[1], dicit : « Non sicut eum homines viderunt, quando voluit, in specie qua voluit, non in natura qua in seipso, etiam quum videretur, latuit. » Idem S. Augustinus super illud, *Deum nemo vidit unquam*[2], ait : « Moyses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura est, typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat[3]. » Et post aliqua : « Facta sunt illa visibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus ostenderetur ; non utique substantia ipsa demonstrabatur et manifestabatur[4]. » Idem S. Doctor dicit : « Visiones autem illæ per creaturam commutabilem Deo incommutabili subditam factæ sunt non proprie sicuti est, sed significative, sicut pro rerum causis et temporibus oportuit, ostendentes Deum[5]. »

Ex aliis Doctoribus.

S. Dionysius Areopagita ait : « Sic aliquis videns Deum intellexit quid vidit, non ipsum Deum vidit, sed aliquid eorum quæ sunt ejus[6]. » S. Gregorius, quem refert et sequitur S. Thomas, ait : « Nequaquam omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur; sed quiddam sub illa speculatur anima, unde refota proficiat, et post ad visionis ejus gloriam pertingat[7]. » « Per hoc ergo quod Jacob dixit : *Vidi Deum facie ad faciem*[8], inquit S. Thomas, non est intelligendum quod Dei essentiam viderit, sed quod formam, scilicet imaginariam, vidit, in qua Deus locutus est ei[9]. »

Explicantur loca Scripturæ.

Glossa ordinaria in illud S. Joannis, *Deum nemo vidit unquam*[10], inquit : « Quod autem legitur Deum apparuisse hominibus, sive visibiliter carnalibus oculis, sive invisibiliter propheticis visionibus, per subjectam creaturam intelligendum est; visiones enim Prophetarum quadam spirituali creatura factæ sunt, quibus Deum vidisse perhibentur. » Locum illum Geneseos, *vidi Dominum facie ad*

1 I Joann. III, 2. — 2 Joann. I, 18. — 3 Aug. *In Joann.*, tract. III, c. 1. — 4 *Ibid.* — 5 *Id. De Trin.*, lib. II, c. 17. — 6 *Epist. ad Caium monach.* — 7 *In Ezech.*, hom. 14, al. lib. 2, hom. 2.— 8 Gen. XXXII, 30. — 9 Thom. 2. 2, q. 180, art. 5, ad 1. — 10 Joann. I, 18.

faciem, omnes cum Lyrano dicunt sic intelligi : vidi Angelum in corpore assumpto. Idem dicit ibi Cornelius a Lapide : « Vidi Deum in specie corporea ab Angelo repræsentatum. Certum est enim Jacobum hac nocturna et obscura specie non vidisse divinam essentiam, imo nec Deum proprie, sed Angelum Deum repræsentantem in corpore assumpto. » Hæc ille. Locus ille Exodi quo Moyses, Aaron et seniores viderunt Deum Israel, et cetera, ubi supra, varie declaratur; at omnes in hoc conveniunt quod non viderint essentiam Dei. Abulensis dicit Deum apparuisse in forma nubis lucidæ intra quam Dei majestas latere videbatur, ita ut Judæi putarent in infima hujus nubis parte consistere pedes Dei, in parte vero superiori versus cœlum ceterum corpus, et hoc respectu dici hic *sub pedibus Dei,* et fuisse quasi opus lapidis sapphirini. Quod autem in forma hominis aut animalis Deus hic non apparuerit, patet ex Deuteronomio : *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem*[1].

In qua forma apparuit Deus populo hebræo.

Sed alii, ut Cajetanus et Prado relati a Cornelio a Lapide in hoc loco, dicunt quod in illo casu Deus in humana forma apparuit, nimirum in specie magnifici principis et regis legislatoris; quia in Hebræo illa vox Deus non importat nomen Dei tetragrammaton, sed Elohim, quæ significat Principem, Dominum et Judicem; ideo et visus est habere pedes et sub pedibus habere scabellum sapphirinum, quia voluit Dominus hac specie legislatoris majestatem et timorem senioribus, et per hos populo demonstrare et imprimere. Hæc illi. Omnes aliæ apparitiones sic explicantur.

Quomodo factæ illæ apparitiones.

Conclusio ergo generalis est quod omnes illæ apparitiones Dei, quæ leguntur in sacra Scriptura factæ pluribus, vel fuerunt corporales sensibiles, et sic factæ per Angelos in forma corporea humana, nempe in corpore extrinsece

[1] Deut. IV, 15, 16.

assumpto aut in alia re sensibili, vel fuerunt imaginariæ, quæ dicuntur in spiritu, ut omnes apparitiones factæ S. Joanni in Apocalypsi et aliis Prophetis veteris Testamenti, et per species imaginarias seu phantasticas a Deo in imaginationem eorum productas; vel etiam per species intelligibiles, quia istæ quoque possunt repræsentare spiritualia et corporalia modo spirituali, nam animæ separatæ ea cognoscunt. Quovis ergo horum modorum apparuerit, nunquam per suam essentiam, hæc enim apparitio pro alia felici et æterna vita reservatur; et ita verificatur dictum S. Joannis ac S. Pauli : *Deum nemo vidit unquam* [1], et ipsiusmet Dei : *Non videbit me homo, et vivet* [2]. Essentia Dei nunquam visa in hac vita.

Si ergo contemplanti vel meditanti vel aliter oranti, aut etiam non oranti fiat aliqua apparitio alicujus personæ dicentis se esse Deum, vel ita loquentis ac si esset Deus (etiam si divina et non dæmoniaca sit apparitio), sciat esse creaturam aliquam in qua dignatur loqui vel aliud operari Deus, at non esse substantiam seu essentiam Dei; quomodo autem cognoscatur an divinæ vel dæmoniacæ sint ejusmodi apparitiones aut locutiones jam diximus [3]. Admonitio.

Pro coronide autem hujus argumenti sciendum est ex S. Gregorio [4] quod habentes tales apparentias in contemplatione sistere non debent in umbris illis, sed considerare debent simplicem veritatem; quia in hoc consistit contemplatio, considerare nempe Deum et benignitatem ejus, et ea quæ tunc dicit aut præcipit, et eum humiliter venerari ac diligere. Consilium.

1 Joann. I, 18; I Joann. IV, 12; I Tim. VI, 16. — 2 Exod. XXXIII, 20. — 3 Opusc. V, c. 7. — 4 *Moral.* VI, c. 2.

CAPITULUM XVI.

DE GRADIBUS CONTEMPLATIONIS INFUSÆ.

Alibi de hac re actum est.

ADVERTO primo, quod in Opusculo quarto [1] diffuse de hac materia locuti sumus; ibi enim adduximus sententias mysticorum diversimode assignantium gradus contemplationis acquisitæ, quarum aliquæ possunt applicari etiam infusæ. Aliqui assignant diversitatem graduum ex parte subjecti magis vel minus exercitati, indeque aliquos dicunt incipientes, alios proficientes, alios perfectos. Alii assignant diversitatem graduum ex parte objecti, ex eo quod, ut dicit S. Bonaventura [2], incipientes debent contemplari corporalia in quibus relucet vestigium Dei, et ex eis manuduci ad contemplandum Deum; proficientes debent contemplari animam secundum naturalia et gratuita in quibus relucet imago Dei, et sic contemplari Deum; perfecti vero contemplari debent divina immediate. Alii distinguunt gradus contemplationis ex modo contemplandi; quidam enim contemplantur prævia meditatione alicujus divini mysterii, quidam vero sine meditatione, sed, audito aliquo mysterio ab aliquo legente vel concionante, vel ex cogitatione seu recordatione propria, statim eriguntur ad contemplandum illud. Alii distinguunt gradus contemplationis per majorem claritatem cognoscendi et majorem fervorem diligendi ipsimet actui contemplationis conjunctum; alii aliter. Videndum modo si infusæ applicentur.

Graduum diversitas.

Ingeniosa sed difficilis divisio.

Adverto secundo, quod mystici quidam distinxerunt gradus istos subtiliori quodam modo, sed difficiliori pro communitate personarum, infusæ nullatenus applicabili; sed referam tamen breviter. Dicunt in universitate con-

[1] Cap. 4. — [2] *Itiner. mentis ad Deum.*

templativorum assignari tres hierarchias sicut in Angelis, et in qualibet hierarchia tres ordines sicut in Angelis, et quod contemplativi infimi ordinis infimæ hierarchiæ contemplantur corporalia inanimata, et ex iis eriguntur ad contemplandum Deum; secundi infimæ hierarchiæ animata viventia tantum, tertii sensitiva. In secunda hierarchia infimi contemplantur digniora, et cetera, sic procedendo usque ad divina quæ reservata sunt pro tertia hierarchia : quæ longo sermone explicant, et sic patet quod per objecta distinguunt hos gradus. Certe gradationem istam ascendendi ab infimis corporalibus ad spiritualia et tandem ad divina a S. Bonaventura acceperunt, cujus verba adduximus supra [1]. At S. Doctor non meminit ibi de hac confusione hierarchiarum, quæ ideales sunt et ad infusam non inserviunt, sed ad acquisitam; quia Deus, qui est auctor infusæ, non servat hunc ordinem infundendo contemplationem, ut scilicet prius infundat contemplationem corporalium inanimatorum, postea viventium, et sic ascendendo usque ad divina immediate; sed facit contemplari quod sibi placet.

Graduum diversitas ex S. Bonaventura.

Adverto tertio cum S. Bonaventura, quod « gradus contemplationis sunt quidam progressus et profectus intellectualis cognitionis et saporosæ dilectionis ad contemplandum Deum sub ratione veri et boni. Unde S. Gregorius [2] dicit : Gradus dicuntur mensuræ crescentium virtutum; tales autem gradus profectuum sunt innumerabiles [3]. » Deinde pluribus docet quod quidam sunt gradus disponentes intellectum et affectum ad contemplandum, et hos gradus cum eodem S. Gregorio dicit esse opera virtutum; et gradus proprios contemplationis dicit esse ipsosmet actus contemplandi cum majori lumine, quo magis clare cognoscuntur Deus ac divina, et cum majori inflammatione diligitur Deus. His positis,

In infusa dantur gradus.

Dico primo : In contemplatione infusa dantur gradus perfectionis majoris ac minoris.

1 Opusc. III, c. 14. — 2 *Moral.* XXII, c. 19, al. 14. — 3 *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 1.

Probatur ex communi mysticorum sententia, quos in loco citato allegat S. Bonaventura ex S. Gregorio ibidem : « Nemo infima deserens repente fit summus, quia, ad obtinendum perfectionis meritum, oportet ut mens quotidie in altum quasi quibusdam gradibus ascensionis perveniat; unde et recte Psalmista : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*[1]. Et idem : *Deus in gradibus ejus cognoscetur* (scilicet contemplationis), *quum suscipiet eam contemplator*[2]. » Hæc ex S. Gregorio S. Bonaventura[3]. Deinde adducit doctrinam Lincolniensis, qui docet necessitatem admittendi gradus istos, cum exemplo alias allato[4] et inferius iterum afferendo. Tandem adducit Richardum eadem docentem ; et omnia ipse sanctus Doctor confirmat. Unde autem desumatur hæc graduum differentia mox dicetur.

A pari. Confirmatur : In omni ordine rerum, tam naturalium, corporalium et intellectualium quam supernaturalium, dantur gradus perfectionis, ut consideranti patet de artibus, scientiis, virtutibus moralibus et theologicis, et de ipsamet beatifica contemplatione, quæ ex S. Gregorio succedit contemplationi hujus vitæ. Imo dicit quod est eadem, quæ hic inchoatur et ibi perficitur, hic obscura, ibi clara et evidens ; nam, ut ait Apostolus, *stella... a stella differt in claritate ; sic et resurrectio mortuorum*[5] ; et Salvator : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*[6] ; — Glossa interlinearis mansiones dicit diversa præmia meritorum ; — et Psalmista : *Reddes unicuique juxta opera sua*[7] ; et Salvator : *Tunc reddet unicuique secundum opera ejus*[8]. Et ideo de fide est quod Beatorum contemplatio secundum gradus diversa est in uno ac in alio, accidentaliter tamen et juxta gradus meritorum.

Igitur etiam contemplatio infusa in hac vita capax est gradationis, ut modo sit perfecta, modo perfectior, non solum in diversis contemplativis, sed in eodem, qui ab

1 Ps. LXXXIII, 8. — 2 Ps. XLVII, 4, secund. Septuagint. — 3 Bonav. *loc. cit.* — 4 Opusc. IV, c. 4. — 5 I Cor. XV, 41, 42. — 6 Joann. XIV, 2. — 7 Ps. LXI, 13. — 8 Matth. XVI, 27.

initio est incipiens, postea proficiens, et tandem perfectus, si Deus id ei concedat.

Dico secundo : Diversitas graduum contemplationis infusæ, dispositive considerata, procedit a diversitate et gradatione majori vel minori in exercitio virtutum moralium et theologalium, et ipsiusmet acquisitæ contemplationis aut meditationis, et ceterarum pietatis actionum in quibus ex Dei gratia se exercent contemplativi. Diversitas dispositiva unde.

Probatur ex nuper relatis S. Bonaventuræ et S. Gregorii dictis, et ex iis quæ diximus in hoc Opusculo [1] de mediis quibus acquiri possit contemplatio infusa ; quo enim magis homo spiritualis se exercet in virtutum actibus, eo magis ex sua benignitate movetur Deus ad eum consolandum; ait enim Salvator : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [2]. Et de istis sic laborantibus ut ad perfectionem perveniant, vere dicitur : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* [3], quia Deus elevat paulatim ad contemplationis gradus, regulariter loquendo ; nam posset ab initio ad supremum gradum contemplationis aliquem elevare, sed præcedentibus minoribus et postea majoribus dispositionibus solet elevare ; et qui in primis annis in minori gradu fuerat elevatus, si in virtutum actibus frequentius et ferventius in sequentibus annis se exerceat, experitur Deum benignius secum agere et majorem contemplationis gradum sibi concedere. Id autem præfati servi Dei, contemplatione infusa ex Dei favore digni, experiuntur. Dei amor in nos.

Dico tertio : Diversitas graduum infusæ contemplationis objective provenit a diversitate objectorum magis aut minus sublimium aut imperceptibilium. Diversitas ex objectis.

Probatur et declaratur : Potest Deus sistere mentem contemplantis in consideratione alicujus perfectionis, divinæ quidem, sed in conceptu aliquo communis cum creatura ; et potest sistere in consideratione ac intuitu objecti

[1] Cap. 10. — [2] Joann. XIV, 23. — [3] Ps. LXXXIII, 8.

sublimioris et nullatenus communis cum creatura, verbi gratia, in intuitu Dei infiniti, immensi et super omnia imperceptibilis, unius in essentia et trini in Personis : hæc secunda contemplatio objective est altioris ordinis quam sit prima.

Ex diversitate donorum.

Dico quarto : Diversitas graduum infusæ contemplationis effective desumenda est ex diversitate graduum donorum intellectus et sapientiæ quæ ad eam concurrunt.

Probatur primo paritate aliarum operationum dependentium a supernaturalibus habitibus, fide, spe et caritate; quo enim intensiores sunt habitus isti, eo intensiores ac perfectiores sunt actus ab eis procedentes. Probatur quoque paritate luminis gloriæ in Beatis; quo enim majus ac intensius est, eo major et intensior est visio beata; ergo idem dicendum de infusa contemplatione ex parte donorum intellectus ac sapientiæ effective concurrentium ad illam; non enim frustra Deus concedit contemplativis hæc dona in gradu diverso.

Diversitas donorum in gradibus.

Quod vero dona hæc in diversis gradibus concedantur, inde probari potest quia non omnes contemplativi sunt æqualis perfectionis, sed, sicut in ceteris statibus perfectionis, ut ait Apostolus, *alius quidem sic, alius vero sic* [1]; sunt enim gradus, sicut in collatione habituum fidei, spei et caritatis adsunt gradus, non enim omnes æque in illis perfecti sunt. Sic etiam in gratiis gratis datis habent plures servi Dei gratiam miraculorum, at non æqualem; unus enim habet, verbi gratia, gratiam faciendi miracula tertii generis, puta sanitatum quæ processu temporis poterant per medicamenta obtineri; alius habet circa tales sanitates et circa alia miracula secundi generis, nempe incurabiles; alius circa utraque et circa resuscitationem mortuorum; quia Deus, ait S. Paulus, dividit *singulis prout vult* [2] : sic dicendum de donorum distributione.

Diversitas ex actibus.

Dico quinto : Diversitas formalis graduum in contemplatione infusa desumenda est a diversitate ipsorum actuum

[1] I Cor. VII, 7. — [2] *Ibid.* XII, 11.

contemplandi, juxta majorem aut minorem intensionem et claritatem in intuendo, et majorem inflammationem, suavitatem, delectationem ac dulcedinem in diligendo objectum divinum, manifestatum contemplanti.

Probatur: Universaliter loquendo, omnis diversitas formalis, in actibus ejusdem potentiæ circa idem objectum, desumitur a formis seu qualitatibus ac perfectionibus quæ in illis actibus reperiuntur; sed in actibus contemplandi infusis illæ qualitates diversæ insunt; igitur penes illas diversificantur. Major clara est de actibus cujuscumque virtutis, nam circa idem agibile unus homo est alio prudentior, unus est alio justior, unus est alio fortior et unus alio temperantior; ita de virtutibus theologicis earumque actibus, circa idem credibile unus elicit actum fidei intensiorem alio fideli, ille est martyrii cupidus, iste non; ita dicendum de spe et de caritate, unus enim alio fidentius sperat, unus alio intensius diligit. Differentia inter hos actus, licet effective proveniat ab habitibus et auxiliis divinis, formaliter tamen provenit a perfectionibus diversis in illis actibus exsistentibus.

In eadem persona potest esse hæc diversitas.

Quod vero non solum in diversis contemplativis, sed etiam in eadem persona, in processu temporis reperiantur actus contemplandi infusi modo minus modo magis perfecti, modo minus modo magis intensi, et intuitus objectorum modo minus modo magis clari, et affectus modo minus modo magis inflammati et suaves, omnes mystici et experti confitentur. Placeat audire S. Bonaventuram, quem alias retulimus pro gradibus acquisitæ contemplationis; is enim longo sed digno discursu de varietate horum graduum hæc dicit: « Contemplativorum aquilinos obtutus acui, et ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans, septem gradus, eo gloriosissimos quo scientia experientiæ probatissimos, in medium censui deducendos; reseratione quorum odorifera confido, quod tam intellectui splendoris copia, quam affectui deifici dulcoris affluentia piissimæ matris thearchicæ exhalabit. Primum igitur dicamus ignem, secundum

Diversitas graduum secundum S. Bonaventuram.

unctionem, tertium extasim, quartum speculationem, quintum gustum, sextum quietem, septimum gloriam. Primo enim anima ignitur, ignita ungitur, uncta rapitur, rapta speculatur vel contemplatur, contemplans gustat, gustans quiescit. Hæc in via possunt acquiri, non tamen subito, sed gradatim. Citius autem hæc experitur qui frequentius spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur[1]. »

Incipit postea declarare proprietates horum graduum :

Ignis quid sit. « Ignis est vehemens divini caloris vel amoris fervor. Hujus ignis calor contemplativi sive sancti activi viri animam, quum se ad orandum Deum effuderit in conspectu Dei, subito eam valde perlucido splendore irradians, quamplurimum ignit, et arentes motus affectionesque accendit, » et cetera plura ; et concludit : « Quia ait Propheta : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*[2] ; et iterum : *Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt*[3].

Unctio quid. « Unctio est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundens ipsam erudit, corroborat et confortat, disponens eam suaviter ad veritatis luculentias suscipiendas atque pariter contemplandas. Hac cœlica unctione perlinitus fuerat qui dicebat : *Impinguasti in oleo caput meum*[4]. » Et post multa sequitur : « Ros igitur montis hujus descendit in montem Sion, id est contemplativi viri mentem, ipsius præcordia tam irrigando fecundans, quam fecundando irrigans, et calorem primi gradus leniter temperans, ne plus ardeat quam oportet. Quod enim purificat ignis concremando, hoc unctio mulcet suam pinguedinem perfundendo, ut capifacilior sit divinorum et pulchrificorum radiorum ; » et cetera.

Extasis quid. « Extasis est, deserto exteriori homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam elevatio ad superintellectualem divini amoris fontem, mediantibus sursum activis virtutibus, pro viribus se extendens. Virtutes sursum activas voco humilitatem et puritatem ; » et cetera plura.

[1] Bonav. *De sept. grad. contempl.* — [2] Ps. XXXVIII, 4. — [3] Ps. LXXII, 21. — [4] Ps. XXII, 5.

« Speculatio est beatorum et supercœlestium et soli Deo scibilium divitiarum intellectualis et affectualis pia investigatio. Contemplantur autem hi duo, scilicet intellectus et affectus; sed intellectus longe dissimiliter ab affectu; quum enim animus contemplativus, sensibus spiritualibus suspensis, synderesim in specula æterna extendit, apex intelligentiæ et principalis affectio pariter feruntur, mutuo se in divina promoventes et æqualiter ascendentes, illa speculando, hæc vero desiderando. Præcurrente autem intelligentia nec ingredi queunte, utpote per speculum videns, foris remanet; affectio vero, quæ nescia est speculi, intrans unitur, secundum illud : *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* [1]. Ingressoque intellectu, qui ante conatu suo ingredi non poterat, a superessentiali et superintellectuali deifica bonitate hilariter excipitur affectio ipsa; susceptamque superfervide ipsam desiderantem, et se sursum pro viribus impingentem ipsam in se profundius trahens, tam intelligentiæ superclarorum radiorum pulchrificans claritatem fontani splendoris, quam affectioni thearchici et superimmensi saporis suaviter sanctum desiderium nutriens, suavitatem superlucidissimam elargitur. Postea illis sic gustantibus, illam magis desiderantibus, magis seipsam divina bonitas immittit et abundantius superfulget, quoniam multum diligunt illam summam veritatem, hoc summum bonum. Felix nimis qui hujus gradus collem attingit. » Et alia plura subdit S. doctor Bonaventura. Speculatio quid.

« Gustus autem est superinæstimabilis divinæ dulcedinis persuavis quædam et inolita prælibatio, ex cellario Sancti Spiritus in sanctorum contemplativorum animas distillata. Prælibatio, dico, quoniam permodicum valde est, quod nobis ex ista tam supermagna divinæ dulcedinis multitudine tribuitur, quod provisive et superineffabili thearchica bonitate fieri non est dubium; dum enim stillatim æternis et supersuavibus illis influxionibus recreamur, frequentius nosipsos orationibus extendimus, atque ad cumu- Gustus.

1 I Cor. VI, 17.

los omnimodæ plenitudinis anhelamus. » Hæc et alia plura de hoc gradu sanctus Doctor.

Quies. « Quies est totius animæ mira quædam et suavis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valde spiritualibus experientia hujus quietis conceditur, quibus et datur etiam supercœlestes substantias contemplando transcendere; superignota enim bonitas ipsis familiaris, seipsam eis immittit, et ipsi, tota virtute dilatato sinu sancti desiderii, potenter suscipiunt beatas immissiones, animabus præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris sanctorum contemplativorum animabus tam insueto nutrimento ditissime adimpletis, splendescit ipsorum ratio, dulcescit concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex quorum dilectione deificam illam quietem non ambigimus emanare. Hic gradus eo gloriosior et pretiosior est, quo ultimo modo gradui, qui solius patriæ est, appropinquat.

Gloria. « De septimo gradu tutius tacendum censui quam loquendum, quoniam nulli viatorum ascensus sive visio hujus gradus patere potuit, nisi illi cœlesti Paulo, qui se raptum usque ad hujusmodi per sacram Scripturam asserit. Felix certe superdulcissimæ et gloriosissimæ Virginis Mariæ anima, cui hoc datum est in via quod nulli Sanctorum aliquando possederunt; portavit ergo illam gloriam a qua portantur ceteri, ascendit illa gradum hunc per fidei cognitionem, descendit ille ad eam per carnis assumptionem. » Et cetera plura [1].

Placuit totum fere S. Bonaventuræ discursum adducere, ut ex eo non modo diversitas graduum infusæ contemplationis innotescat, sed etiam ut dignitas, præstantia, inexplicabilis fere voluptas atque jucunditas supernaturalis hujus virtutis mortalibus appareat ut, tanquam ex ungue leonem, cœlestis contemplationis, per quam Beati Deum vident eoque perpetuo fruuntur, magnitudinem, excellentiam, suavitatem ac delectationem considerent

1 Bonav. *loc. cit.*

fideles, ad eamque, divina favente gratia, pro viribus se disponant.

CAPITULUM XVII.

DE MIRABILIBUS QUÆ IN HAC INFUSA CONTEMPLATIONE EXPERIRI SE DICUNT CONTEMPLATIVI.

Intentio auctoris.

ADVERTO quod, præter ea quæ diximus in præcedenti capitulo et in capitulo nono hujus Opusculi, et alia jam dicta supra [1] de nobilitate, proprietatibus ac effectibus contemplationis, multæ aliæ dignæ perfectiones de illa a mysticis referuntur, quas ad laudem Dei, a quo omne bonum, hic adducere volui, quamvis non omnia, ut brevitati consulam.

Status contemplantis ex Dionysio Cartusiano.

Dionysius Cartusianus ait contemplationem hanc fieri « per species et radios intellectuales, hoc est per solam intellectualem illuminationem et spiritualis speciei aut luminis infusionem; sicque contingere solet personis perfectis, heroicis ac divinis, quæ sæpe inopinatis excessibus feruntur seu potius rapiuntur in Deum, qui frequenter benignissime sic subito et improvise prævenit mentes illarum, quod absque proprio conamine mirabiliter illustrantur et inflammantur a Spiritu Sancto; tamque suavissime replentur et consolantur ab ipso, ut ineffabilem Dei circa se caritatem, pietatem, liberalitatem ac dignationem nequaquam mirari sufficiant, atque tam valide elevantur et afficiuntur in Deum, ut præ claritate contemplationis et præ fervore dilectionis divinæ deficiant, et a seipsis alienentur ac corpore infirmentur, undasque gratiæ desuper influentis ferre vix queant; sicque, Deo suum in eis continuante influxum, a seipsis penitus defluunt, atque in

[1] Opusc. IV, c. 5 et 6.

abysso lucis æternæ, in fonte divitiarum gloriæ infinitæ demerguntur ac absorbentur, et igne amoris divini quodammodo consumuntur; sicque dulcissime in Deo obdormiunt, feliciterque repausant et conquiescunt, quousque hæc gratia tanta tollatur et sibiipsis relinquantur, atque ad solita exercitia remittantur. Tales tam electi a Deo cum Propheta dicere valent : *Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi*[1]; itemque : *Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*[2]; et rursus cum sanctissimo Jeremia : *Factus est* (sermo Domini) *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens*[3]. » Sic Dionysius Cartusianus[4], exaggerans statum contemplantis in actu contemplationis infusæ.

Ex Hugone de S. Victore.

Hugo de S. Victore, explicans statum animæ in contemplatione infusa, præ ceteris hæc habet : « Quum cœperit mens per puram intelligentiam seipsam excedere, et illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare, et ex his quæ intrinsecus videt quemdam intimæ suavitatis saporem trahere, et ex eo intelligentiam suam condire et in sapientiam vertere, in tanto hoc mentis excessu pax illa quæ exsuperat omnem sensum invenitur atque obtinetur, ut fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia; ita ut contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur, nihil omnino inveniens quod vel per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accuset; sed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, et intromittitur in quemdam affectum multum inusitatum introrsus ac nescio quam dulcedinem quæ, si semper sic sentiretur, profecto magna felicitas esset. Nihil sensualitas, nihil agit imaginatio, sed omnis inferior vis animæ proprio interim viduatur officio; purior autem animæ pars in illud intimæ quietis secretum et

[1] Ps. LXXII, 21, 22.— [2] *Ibid.*, 26. — [3] Jer. XX, 9. — [4] *De vita inclus.*, art. 19.

summæ tranquillitatis arcanum felici jucunditate introducitur ; *vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus*[1]. » Hæc et alia plura Hugo[2].

Iterum Dionysii Cartusiani, præ aliis multis quæ de effectibus infusæ contemplationis dicit, est hoc : « Quia in hac contemplativa et sapientialissima ac ferventissima unione cum Deo, mens acutissime et limpidissime conspicit quam superincomprehensibilis et supersplendidissimus et superluminosissimus et supergaudiosissimus et superpulcherrimus sit ipse Dominus Deus omnipotens et immensus, atque quam infinite et indicibiliter a plena illius cognitione et beatifica ejus fruitione visioneque faciali immediate et clare intuitiva distet, deficiat et occumbat ; ideo præ admiratione et amore deficit et defluit a seipsa, gaudiose quoque et dulciter absorbetur, obdormit et quiescit in superdilectissimo Deo, creatore, salvatore et miseratore, imo et supergratissimo suo Sponso, totius beatitudinis suæ superpiissimo fonte, omni potentissima et liberalissima causa[3]. » Hæc et alia plura Dionysius Cartusianus.

Ex S. Gregorio Magno.

S. Gregorius Magnus de anima sic contemplante dicit quod « Deum non videt, sed ad quamdam lucem tamen pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur quam ineffabilis lux, dulcedo et delectatio sit quæ ipse est, si tam immensa lux est illa quam inhabitat, et non est ipse[4]. » Sic S. Gregorius.

Richardi comparatio.

Richardus comparat contemplationem viæ ad illam patriæ, et parvam quidem respectu istius eam dicit, sed multum nihilominus eam exaltat. « Hanc, inquit, internæ dulcedinis degustationem Scriptura sacra nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, ut quam sit parva vel magna ostendat : parva quidem ad comparationem futuræ pleni-

[1] Hebr. IV, 12. — [2] *De anima*, lib. II, c. 20. — [3] Dion. Cart. *In myst. theol. Dion. Areop.*, art. 8. — [4] Greg. Mag. *In I Reg. Expos.*, lib. IV, c. 5.

tudinis, magna autem in comparatione cujuslibet mundanæ jucunditatis. Præsens etenim spiritualium virorum delectatio, futuræ vitæ gaudiis comparata, quantumlibet excrescens, invenitur parva; in cujus comparatione tamen omnis exteriorum delectationum suavitas est nulla. O dulcedo miranda, dulcedo tam magna, dulcedo tam parva! Quomodo non magna, quæ mundanam omnem excedis? Quomodo non parva, quæ de illa plenitudine vix stillam modicam excerpis? Modicum quidem de tanto felicitatis pelago instillas, mentem tamen quam infundis, plene inebrias. Merito tantillum de tanto gustus quidem dicitur, merito nihilominus quæ mentem a seipsa alienat, ebrietas vocatur. Gustus ergo est, et ebrietas jure dici potest: *Gustate,* inquit Propheta, *et videte, quoniam suavis est Dominus*[1]; et apostolus Petrus: *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*[2]; et de ebrietate idem Propheta: *Visitasti terram, et inebriasti eam*[3]. » Sic Richardus[4]. Patet ergo quod talis tantaque est hujus contemplationis suavitas ac dulcedo ut de Beatorum dulcedine ac suavitate participet; unde merito dixerit S. Gregorius: Hic in via inchoatur, ibi in patria perficitur.

Ex S. Bonaventura.

S. Bonaventura ait: « Quum Sponsi amplexibus anima devota inhianter inhæret, incipit inter ejus brachia quodammodo consopiri, sicut potatus nobili vino in soporem resolvitur, ut non solum delectabiliter, sed etiam tenaciter Deo inhæreat, et quasi vi quadam abstrahatur ab omni visibili sensu et memoria; sic tamen temperate ut nec plene suimet oblita nec tamen vere compos sit sui; unde Psalmista: *Si dormiatis inter medios cleros*[5], id est inter medios terminos mundi et cœli; item in Canticis: *Ego dormio, et cor meum vigilat*[6]; est enim talis iste somnus sicut illorum qui incipiunt dormitare, et videntur tamen sibi ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire et intelligere, sed præ sopore non advertunt. Amor enim Dei cum

[1] Ps. XXXIII, 9. — [2] I Pet. II, 3. — [3] Ps. LXIV, 10. — [4] *Benj. min.*, c. 37. — [5] Ps. LXVII, 14. — [6] Cant. V, 2.

pura intelligentia conditus inebriat mentem, Deo conglutinat et conjungit; et quanto amor vehementior et intelligentior et lucidior, tanto validius in se mentem rapit, quousque tandem omnium, quæ sub Deo sunt, plene oblita, in solo divinæ contemplationis radio libere figatur, licet breviter quasi in quodam corusco lumine cœlitus emicantis; » et cetera. Sic S. Bonaventura [1].

Idem S. Bonaventura adducit et sequitur Lincolniensem, qui de felicitate hujus contemplationis præ ceteris hæc dicit : « Omnis ingressus divinam caliginem ubi apparet Deus, et ei unitus, per eum qui est super omnia, constituitur in excellentia quam nec ratio investigat nec intellectus speculatur; et quasi ab omnibus talibus et quasi a seipso segregatus, et per unitionem dilectionis, quæ est affectiva veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignoto, et cum cognitione multo meliori quam sit cognitio in eo quod intellectualis est; quia, in eo quod cognitionem intellectualem derelinquit, super intellectum et mentem Deum cognoscit [2]. » Alia plura de felici hac cognitione docet S. Bonaventura, quæ retulimus in Opusculo quarto, capitulo quarto, et fusius in quinto.

Ex S. Theresia.

Sancta Theresia in libro *Via perfectionis,* capitulo trigesimo primo, quod nos retulimus supra [3], de hac contemplatione, quam Quietem appellat, ait : « Hæc oratio dici potest quædam amoris scintilla quam Deus accendit in anima; vult enim quod divinum suum amorem cum suavitate experiamur. Hic anima manifeste percipit, sed via non ordinaria, quod multum accessit ad Deum, et quod parum est, quin in eum per unionem amoris transformetur. Non quod ipsum Deum vel externis vel internis oculis videat; sed quia Deus hoc ei mirabili modo, ipsique animæ prorsus ignoto, manifestat, et sentit prope se Regem suum : quod tantam in ea causat reverentiam... Et simul cum hac quiete summa satisfactio et gaudium animæ

1 Bonav. *De profect. relig.*, lib. II, c. 72. — 2 *Id. De sept. itiner.*, it. 5, dist. 6. — 3 Opusc. IV, c. 5.

maximaque corpori accedit delectatio; nam anima tam læta ex hoc solo remanet quod se prope fontem vitæ sentiat, quod plene satiata sibi videatur, etiam si nondum biberit, nec reputet aliquid ultra desiderandum. Tam quietæ sunt potentiæ quod nec audent se movere; non quod suspensæ sint vel ligatæ, imo sentiunt se prope Deum esse. Memoria ac intellectus sunt liberi ad proprias operationes; sola voluntas manet captiva et Deo unita, sique in hoc statu aliquid patitur, hoc est : quod ad pristinam suam libertatem seu proprium operandi modum redire possit. Nollet enim intellectus aliquid aliud intelligere, nec memoria in aliis occupari; clare enim vident hoc unum esse necessarium, ceteraque omnia extra illud multum inquietare. Nollent quod corpus moveretur; timent etiam ne vel minimo ejus motu quam possident pacem amittant; loqui fastidium parit, et vix spatio unius horæ dominicam Orationem possunt recitare. Hic accidunt quædam lacrimæ dulces, et cum magna suavitate profluentes. Videtur his quod non sunt de hoc mundo, nec quidquam aliud videre vel audire vellent quam Deum ipsum. Nihil ipsis causat laborem, nec causare posse videtur. Denique, toto tempore quo durat hæc pax et interna quies, voluntas propter delicias quibus fruitur sic manet absorpta ut nihil sibi ulterius videatur optandum, et libenter cum S. Petro diceret : *Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula*[1]; » et cetera[2].

Multa notanda.

Joannes Faber in proœmio libri *Trium virorum,* asserit S. Hieronymum de contemplatione hac, quam ipsemet expertus fuerat, hæc scripsisse (at ego nescio ubi) : Scio quid loquor, carissime; nam, ut meam insipientiam fatear, ego homunculus sic abjectus, sic vilis in domo Domini, adhuc vivens in corpore sæpe Angelorum choris interfui, de corporeis per hebdomadas nihil sentiens divinæ visionis intuitu; post multorum fere dierum spatia, præscius futurorum, redditus corpori flebam. Quid mihi manens

Ex S. Hieronymo.

[1] Matth. xvii, 4. — [2] Ther. *Via perfect.*, c. 31.

felicitatis habebam, quid inenarrabilis dignitatis sentiebam, testis est ipsa Trinitas, quam cernebam nescio quo intuitu.

Qui alios plures hujus infusæ contemplationis admirandos effectus cupit scire, legat ea quæ in hujus Opusculi capitulo nono, et in Opusculo quarto, capitulis quinto et sexto, diximus; et qui de his contentus non est, legat Vitam S. Theresiæ, item Vitam B. Angelæ de Fulgineo; istæ enim mira quæ de infusa contemplatione scripserunt ex Dei favore expertæ sunt, et ut Dei magnalia reserarent, scripto consignarunt ad nostram eruditionem.

CAPITULUM XVIII.

AN DETUR CONTEMPLATIO DICTA « IN CALIGINE », ET QUÆ SIT.

Ratio admirationis.

Adverto primo, quod omnes mystici, duce S. Dionysio Areopagita [1], docent dari gradum quemdam contemplationis, dictum *in caligine* vel *tenebra;* quod vero admirationem adducit est duplex motivum: primum, quia ad contemplationem infusam concurrit lumen supernaturale in dono intellectus, quod hunc illuminat; secundum, quia *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* [2], et *lucem inhabitat inaccessibilem* [3], ait Apostolus: si ergo ex parte potentiæ et ex parte objecti adsunt magna hæc lumina, quomodo contemplatio talis intellectus sic illuminati circa objectum lucidissimum, dicitur *in caligine* vel *tenebra?*

Caligo quid sit.

Adverto secundo, quod, ut notum est, caligo apud grammaticos significat nebulam ex vaporibus conflatam aliquantum densam, quæ tamen caligare et offuscare facit oculos, ne clare videant objectum nebula seu caligine

[1] *Epist. 5 ad Doroth.* — [2] I Joann. I, 5. — [3] I Tim. VI, 16.

In caligine sæpe apparuit Deus.

obvolutum. Et notari debet quod in sacra Scriptura legimus sæpe Deum aliquas apparitiones et demonstrationes gloriæ et magnitudinis suæ in caligine seu nebula materiali fecisse, et ex ea locutum esse. Dicit Deus Moysi : *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis* [1]. Apparente jam caligine in monte Sinai, dicitur quod Moyses *accessit ad caliginem* [2]; et infra, Dominus *vocavit eum de medio caliginis* [3], et in ea cum Deo mansit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Imo interdum caligo vocatur gloria Domini. Completo templo Salomonis, quum illud sanctificasset et sacerdotes parati erant ad sacrificia, non poterant, quia gloria Domini impleverat domum Domini [4]. Hæc autem fuit caligo, ut habetur in secundo Paralipomenon, ubi narratur hæc eadem historia : *Nec possent sacerdotes stare et ministrare propter caliginem ; compleverat enim gloria Domini domum Dei* [5]. Et in capitulo sexto Salomon ait : *Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine* [6]. Propterea in psalmo dicitur : *Caligo sub pedibus ejus* [7]; et : *Nubes et caligo in circuitu ejus* [8]; quia placebat Deo in nube seu caligine loqui et aliquid demonstrare seu sibi de aliqua re complacere, sed nunquam se alicui nude, ut est in se, ostendit.

Cur dicta visio in caligine.

Ex his ergo Dei factis in materiali caligine et ex effectu materialis caliginis, mystici cuidam contemplationis gradui nomen imposuerunt Visionis in caligine, metaphora inde desumpta quia, sicut, Deo apparente ac loquente in caligine materiali, nec Moyses nec populus nec Salomon nec sacerdotes Deum videbant, sed nebulam tantum seu caliginem, at voces et præcepta Dei audiebant, ita contemplativi quidam, quantumvis elevati per lumen intellectus et sapientiæ donum ad contemplandum Deum, eum tamen non vident, sed ejus vocem spiritualem, nempe revelationes ejus, audiunt, et objecta quæ vult eis demonstrare in speculis, id est intelligibilibus speciebus, vident.

[1] Exod. XIX, 9. — [2] *Ibid.* XX, 21. — [3] *Ibid.* XXIV, 16. — [4] III Reg. VIII, 11. — [5] II Paralip. V, 14. — [6] *Ibid.* VI, 1. — [7] Ps. XVII, 10. — [8] Ps. XCVI, 2.

Secunda metaphora desumpta ex materiali caligine est, quia, sicut caligo materialis densa obvolvens aliquod objectum offuscat oculos et facit eos caligare, ne videre possint objectum, ita quum aliquis contemplativus elevatur ad cognitionem Dei per magnum aliquod lumen, mens ejus offuscatur et caligat. Sicut quum oculus corporalis figit aciem ad solis corpus offuscatur et caligat, ita prorsus accidit in gradu aliquo contemplationis, et hac de causa dicitur in caligine, et aliqui dicunt etiam in tenebra.

Adverto tertio aliud singulare dubium esse explicandum : cur non omnis infusa contemplatio dicatur in caligine, quum in omni, aliquo, sed obscuro et invisibili, modo appareat Deus, adsitque lumen intellectus, et impediat ne Deus videatur; et tamen non omnis infusa contemplatio dicitur in caligine.

Datur contemplatio in caligine.

Dico : Datur moralis ista seu mystica caligo, in qua contemplativus ex Dei favore elevatus potest Deum contemplari, et eum non cognoscere ut est in se; et hæc contemplatio dicitur in caligine.

S. Dionysius describit caliginem.

Probatur primo de nomine *caligo*. S. Dionysius Areopagita in libro *De mystica theologia,* per omnia illa quinque capitula illius libri, de ea facit mentionem ; et primi capituli titulus est : « Quæ divina est caligo. » In epistola autem quinta, quæ est ad Dorotheum, eam sic describit, et sic ex eo probatur nostra conclusio : « Divina caligo est inaccessibile lumen in quo Deus inhabitare dicitur, et invisibili exsistente propter excedentem claritatem, et inaccessibilis propter excessum supersubstantialis luminis effusionis. In hac fit omnis qui Deum cognoscere et videre est dignus habitus, propter ipsum non videre neque cognoscere in eo quod est, vel desuper per visionem et cognitionem factus hoc ipsum noscens, quod post omnia est sensibilia et intelligibilia, et prophetice dicens : *Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortata est, et non potero ad eam*[1]. Sic quidem et divinus Paulus cognovisse Deum

1 Ps. CXXXVIII, 6.

dicitur, cognoscens ipsum super omnem exsistentem intellectum et cognitionem ; propter quod et investigabiles esse vias ejus dicit, et inscrutabilia judicia ejus, et inenarrabilia dona ejus[1], » et cetera. Hæc S. Dionysius[2].

S. Bonaventura de cognitione Dei in caligine.

S. Bonaventura de modo cognoscendi Deum in caligine sic loquitur : « Verus contemplator es, si sursum tractus es super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ. Et hic gradus contemplationis est de quo loquitur Dionysius, dicens : Adhuc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo quod Moyses separatur ab his qui locum Dei secum viderant, et subtrahitur illis visis, et intrat in caliginem ignorantiæ, et unitur incomprehensibilitati divinæ quam non penetrat intelligentia, quæ vere est omnium clarissima, et in se claudit et secretissime celat omnes cognitiones comprehensivas, tanquam in causa prima omnium ; et per eam omnis unitus Deo, qui est supra omnia, constituitur in excellentia quam neque ratio investigat nec intellectus speculatur, et ab omnibus et quasi a seipso segregatur, et per unionem dilectionis, quæ affectiva est veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignoto cognitione multo meliori quam sit cognitio intellectualis, in eo quod cognitionem intellectualem derelinquit, et super intellectum et mentem Deum cognoscit[3].» Sic S. Bonaventura ex mente S. Dionysii[4]. *In itinere* quinto, distinctione sexta, post multa inquit : « Cessans enim in ista caligine ab operatione cognitionis, sed æstuans desiderio solius Dei perfecte ab ipso incogniti, ipsi soli unitur ; et cognoscens videt in ista caligine super intellectum, quia ad hoc cognoscendum non posset intellectus humanus et inoculatus attingere : non quod intellectus dicatur inoculatus a privatione potentiæ visivæ, sed a privatione omnis actus visivi, dum otiatur in illa caligine. »

Idem S. Bonaventura de hoc modo videndi Deum ait : « Unde verissime apparet quod, sicut oculus vesperti-

[1] Rom. xi, 33. — [2] *Epist. ad Doroth.* — [3] Bonav. *De sept. itiner.*, it. 3, dist. 4, art. 4. — [4] *Myst. theol.*

lionis se habet ad lucem, ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ, quia assuefactus ad tenebras entium et phantasmata sensibilium, quum ipsam lucem summi Esse intuetur, videtur sibi nihil videre, non intelligens quod ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio, sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre. Vide igitur ipsum purissimum Esse, si potes, et occurret tibi quod ipsum non potest excogitari ut ab alio acceptum [1], » et cetera.

S. Gregorius Magnus.

S. Gregorius multa dicit de hac caligine in videndo Deum : « Quid est quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, et tamen Dominum obsecrat ut faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei cognitio ejus est; cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per seipsum : per speculum hic, per seipsum in cœlo. Speculum vero est illa lux quam inhabitat Deus; ipse autem lux illa quæ ipse est. Moyses autem qui facie ad faciem Deum videre dicitur, et ejus faciem ad videndum postulare, quid rectius designat quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis electorum desideria satiare non novit, sed excitare; illa vero et satiare et excitare [2]. » Hæc S. Gregorius.

Dionysius Cartusianus.

Dionysius Cartusianus de Moyse Deum in caligine contemplante ait : « Hæc namque caligo est æternæ, increatæ infinitæque lucis divinæ superexcellens, incomprehensibilis et superclarissima plenitudo, abyssalis, interminabilis atque supersimplicissima magnitudo, in qua Deus esse et habitare censetur, qui ponit tenebras (id est infinitam hanc lucem...) latibulum suum; et ipsæ divinæ tenebræ cooperiuntur et absconduntur omni visioni ac lumini, ob incircumscriptibilem suam plenitudinem, prorsus impenetrabilem et immensam. Quum itaque mens æstuantissimo caritatis ardore succensa Deo ita conjungi-

1 Bonav. *Itin. mentis ad Deum*, c. 5. — 2 Greg. Mag. *In I Reg.*, lib. IV, c. 20.

tur per contemplationem theoricam et sapientiam luminosam, flammigeram, unitivam, dicitur introire caliginem, instarque Moysis ab omnibus separari. Unitur enim Deo tanquam prorsus incomprehensibili et, quoad quid est, mere ignoto ; et tamen hoc ipsum sic intueri, est clarissime et suavissime contemplari, speciesque altissima contemplationis huic vitæ possibilis [1]. »

Richardus. Richardus ait : « Dominus sæpe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis ; sic tamen præsentiam suam exhibet ut faciem suam minime ostendat. Dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit. Infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. Suavitas itaque ejus sentitur, sed species non cernitur. Adhuc nubes et caligo in circuitu ejus ; adhuc thronus ejus in columna nubis : est lene quidem et blandum admodum quod sentitur, sed nubilum omnino quod cernitur ; nondum namque apparet in lumine. Et quamvis appareat in igne, magis tamen in igne accendente quam illuminante ; accendit namque affectum, sed nondum illuminat intellectum. In hoc itaque statu anima dilectum suum sentire potest, sed videre non potest. Et si videt, videt quidem quasi in nocte, videt velut sub nube, videt denique per speculum in ænigmate, nondum autem facie ad faciem [2]. » Sic Richardus.

Mira de hac caligine dicuntur. Mira certe sunt quæ mystici dicunt de hac vere mystica, secretissima et quasi imperceptibili contemplatione in caligine, quam vocant etiam « *modi nesciam* », at quod dolendum, est quod sublimem hunc contemplationis seu divini intuitus gradum non explicant modo a fidelibus, etiam spiritualibus, perceptibili : quid scilicet sit videre Deum in caligine, et quid tunc videatur ; et an in aliquo medio, et in quo. Unum inter tot mysticos inveni, qui modo perceptibili aliqualiter declarat, Henricus quidam ; hic enim longo discursu rem istam pro meo captu et forte pro captu aliorum declarat. Adducam propositiones quæ pro-

[1] Dion. Cart. *In Exod.*, art. 41. — [2] Rich. de S. Vict. *De 4 grad. viol. carit.*

xime faciunt ad rem, relinquam digressiones et ampliationes. Sic rem explicat [1] :

Doctrina Henrici cujusdam circa contemplationem in caligine.

Dicit primo, quod, anima contemplativa assueta contemplari divina et Deum ipsum eo modo quo regulariter fit,— in imaginibus tam corporeis quam intellectualibus, in quibus divina et Deus ipse, non ut in se est, et ex facie, sed tanquam per indumenta quædam cognoscitur,— quamvis istæ cognitiones unitatis Dei, simplicitatis, bonitatis, trinitatis, et cetera, contemplanti magnæ et præcelsæ videantur, tamen Deum ut est in se non repræsentant, sed aliquid ejus, animæ intelligentiæ proportionatum ; at aliquando, etsi raro, contemplans sublevatur a Deo ad intuendum seu cognoscendum ipsum Deum ac Trinitatem sine ulla imagine etiam intellectuali, absque eo quod Deum videat, sed solam caliginem. Quod sic declaratur :

Dicit secundo, quod tunc Deus, qui summa lux est, præsens (ut semper est) suum admirabile lumen in anima contemplante diffundit, quod tamen anima præ nimio fulgore respicere non potest ; scit tamen in lumine illo sibi tenebroso Deum suum dilectum secum esse, eumque videre amorose anhelat, quasi dicens : *Ostende mihi faciem tuam* [2].

Tria tunc adsunt.

Dicit tertio, quod hæc amorosa anhelatio in ea caligine tria complectitur, nempe tædium, desiderium et spem. Tædium quidem, sed amorosum, quod nequit videre illa quæ sub caligine continentur, sciens quod dilectus suus in ea manet occultatus et ex proprio defectu non se sibi ostendit, et ob sui intellectualis oculi debilitatem nec lumen illud, in quo dilectus habitat, videre potest ; sed, quamvis lætus, in caligine tamen manere compellitur. Secundum est inflammatum desiderium videndi nudam et gloriosam dilecti faciem, eaque fruendi in amoris plenitudine, quam nunc velatam in sua caligine credit ac diligit. Tertium est secura spes videndi Deum facie ad faciem, quum e corporis carcere liberabitur anima quæ tunc in ænigmate et velatum videt, nec ipsum videt.

[1] Henric. *Myst. theol.* lib. III, p. 3, c. 23.— [2] Cant. II, 14.

Dicit quarto, quod, quum anima in tali caligine constituta Dei faciem videre anhelat, licet non videat, audit tamen verba Dei absconditi, id est revelationes et inspirationes quas dignatur Deus ei communicare quasi per modum susurri, sicut testatur Job : *Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus* [1]. Animæ ergo tunc contemplanti in caligine, dulci susurro illuminando ac inflammando loquitur Deus. Hæc ex prolixo hujus auctoris discursu excerpere potui pro istius contemplationis in caligine declaratione theorica.

Restat modo ut aliquam animam audiamus quæ practice caliginosam hanc contemplationem ex Dei favore experta est. B. Angela de Fulgineo, de qua P. Lucas Vadigus, anno millesimo trecentesimo nono, mira pro ejus vitæ sanctitate dicit ; item de magnis favoribus spiritualibus ei a Deo collatis, et quod per annos duodecim nullo alio cibo quam sanctissimæ Eucharistiæ nutriebatur, et usque nunc integrum ejus corpus in ecclesia sancti Francisci Fulginei asservatur ; et quod jussu confessarii multa spiritualia et totius suæ vitæ cursum scripsit ; hæc, inquam, in capitulo vigesimo quinto suæ Vitæ de caliginosa hac contemplatione sic habet, de septima consolatione et visione loquens : « Et post istud, vidi Deum in tenebra una, et ideo in tenebra quia est majus bonum quam possit excogitari aut intelligi, et omne quod potest cogitari vel intelligi non attingit ad illud ; et tunc data fuit animæ fides certissima, una spes secura et firmissima, una securitas de Deo continua, ita quod abstulit omnem timorem ; et in illo bono, quod videtur ita in tenebra, recollegi me totam, et effecta sum ita secura de Deo quod nunquam possum dubitare de eo, quin Deum habeam certissime ; et in illo bono efficacissimo, quod videtur in tenebra, est modo spes mea recollecta et secura. Frequenter igitur video Deum illo modo et in illo bono quod narrari exterius non potest,

B. Angelæ relatio.

[1] Job IV, 12.

nec etiam cogitari corde. In illo, inquam, bono certissimo et incluso, quod intelligo cum tanta tenebra, habeo totam spem meam; et in videndo, quidquid volo habere totum habeo, quidquid volo scire totum scio, et video omne bonum. Nec anima mea in videndo potest cogitare de discessu illius boni vel de discessu ab illo bono, sed delectatur ineffabiliter in illo omni bono; et nihil videt omnino anima quod narrari possit ore nec etiam concipi corde; et nihil videt, et videt omnia; et quia illud bonum est cum tenebra, ideo certissimum et magis superans omnia, quanto magis videtur in tenebra, et est serenissimum [1]. » Et post multa sequitur : « Quando videtur Deus in tenebra, non apportat risum in ore, nec fervorem nec devotionem in corde, nec ferventem amorem; quia corpus non tremit nec movetur, nec sic alteratur sicut consuevit fieri in aliis; corpus enim nihil videt, sed anima videt, et corpus quiescit ac dormit, et truncatur lingua quia tunc nihil potest loqui [2]. » Et post aliqua : « Ad istum autem prædictum modum altissimum et omnino ineffabilem videndi Deum cum tanta tenebra et supermirabili gratia visionis, est mens mea tribus tantum vicibus elevata, quamvis multis et innumeris vicibus viderim istud omne bonum semper cum tenebra, sed non prædicto altissimo modo cum tanta tenebra [3]. » Et post alia : « Video enim sanctissimam Trinitatem in tenebra; et ipsa Trinitas, quam video in tanta tenebra, videtur mihi quod ego stem et maneam in ejus medio; et illud trahit me plusquam alia res aliqua quam hactenus habuerim, vel aliud bonum quod viderim... [4] » Placuit dictum hoc diffuse referre, ut appareat quod servi Dei, quum ejusmodi gratiam contemplationis a Deo obtinent, Deum non vident; et tamen cognoscunt et sentiunt se cum Deo immediate manere, eum sibi loqui interne, in isto lumine illuminare, magno fervore inflammare et maxima jucunditate perfundere, talisque ordinis esse ejusmodi dona ut exprimere aliis nequeant in par-

De facto proprie loquitur.

1 Ang. de Fulg. *Vita sua*, c. 25. — 2 *Ibid.* — 3 *Ibid.* — 4 *Ibid.*

ticulari. Hæc autem Dei cognitio in caligine a mysticis existimatur sublimior quæ de Deo haberi potest in præsenti vita, nec datur alia nobilior aut perfectior supra illam, nisi quæ habetur de essentia Dei immediate et in se evidenter visa, ut est illa Beatorum in patria.

Sic vidit Moyses.

Imo, qui docent Moysen in monte Horeb aut Sinai aut alibi etiam Dei essentiam non vidisse, — ut cum innumeris Patribus ego teneo, quia Deus ipse dixit ei : *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet*[1], — docere tenentur quod hoc modo in caligine Deum viderit et audierit dum in monte Sinai per dies quadraginta duplici vice cum Deo fuerit, et legem ab eo acceperit et revelationem Genesis, omnium faciendorum in formatione tabernaculi, consecratione sacerdotum, et ceteris; tunc enim fuit cum Deo in caligine nedum materiali, quæ super monte etiam a populo videbatur, sed fuit in caligine morali ac intellectuali, quia Deum sibi præsentem speciali modo cognoscebat, illum audiebat sibi loquentem, cum eo colloquebatur, ejus lumine perfundebatur, caritatis in eum flamma accensum se sentiebat; et tamen eum non videbat, sed caliginem tantum, umbram ac tenebras, ita quod vehementi desiderio eum videndi inflammatus, quadam vice confidenter dixerit : *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*[2], et responsum ut supra acceperit, hoc esse impossibile in hac vita. Si ergo visionem istam evidentem non habuit, in caligine habuit.

S. Paulus in caligine vidit.

Idem existimo cum S. Dionysio dicendum de visione S. Pauli, si teneatur eum in raptu usque ad tertium cœlum non vidisse Deum immediate et evidenter, sicut ego teneo cum aliis, doctus ab ipso, qui dicit : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*[3]; et tamen dicit : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*[4]. Si ergo non fuit visio illa sublimissima, quæ est Dei in se et secundum

[1] Exod. XXXIII, 20. — [2] *Ibid.*, 13. — [3] I Tim. VI, 16. — [4] II Cor. XII, 4.

essentiam cogniti, fuit ista in caligine, quæ post eam primum tenet locum.

Et hæc sunt quæ audire et discere potui ab habitatoribus hujus regionis infusæ contemplationis mihi incognitæ, ut in hujus Opusculi initio asserui. Precor Deum ut lectori gratiam concedat experiendi in praxi quæ ego in theoria dixi. Amen.

OPUSCULUM OCTAVUM

DE

UNIONE MYSTICA ANIMÆ

CONTEMPLATIVÆ CUM DEO

Postquam de viis ducentibus ad perfectionem, id est de purgativa et illuminativa, nempe de contemplatione tam acquisita quam infusa, compendiose pro modulo nostro egimus, restat ut de illarum termino pro præsenti vita, id est, de via unitiva seu unione supernaturali animæ contemplativæ cum Deo, quæ est ultima viatoris perfectio, breviter agamus : de quo argumento ea tantum dicemus quæ a mysticis expertis auctoribus didicimus.

CAPITULUM PRIMUM.

AN ET QUOTUPLEX UNIO DARI POSSIT INTER ANIMAM ET DEUM.

Unio quid significat.

Adverto primo, quod, tam apud philosophos quam apud theologos, unio significat connexionem seu conjunctionem atque colligantiam, sive physicam sive moralem, duarum aut plurium rerum aut personarum inter se ; sive unio importet qualitatem sive relationem (ut putat Scotus),

sive subjectetur in utroque extremo unito, sive in altero tantum, parum in nostro casu refert. De unione et unitis physice in naturalibus obvia sunt exempla omnium compositorum, sive elementorum sive mixtorum, quæ per unionem conjuncta sunt; et hæc in utroque extremo recipitur et subjectatur. Patent etiam exempla de unione accidentali et de unitis accidentaliter, ut sunt composita substantialia informata ab accidentibus, ut album, dulce, latum, longum, et cetera. Patent exempla de unitis per aggregationem, ut murus, acervus lapidum, exercitus, et cetera omnia similia, siquidem extrema istorum copulantur ad faciendum unum aliquod.

Exempla unionum physicarum.

Accidentalis unio.

Unio moralis. Adverto secundo, quod, præter unionem physicam, agnoscunt theologi unionem moralem inter plures homines, qui, ratione vel mutui affectus vel convenientiæ ad volendum unam et eamdem rem, dicuntur uniti, imo unum. De affectu habemus exempla duo Scripturæ, unum de impura unione affectus, aliud de pura : de Sichem impure adamante Dinam filiam Jacob a se defloratam, de quo dicitur : *Conglutinata est anima ejus cum ea* [1]; de pura, de Jonatha filio Saul, amante ardenter David præ virtute ejus post interemptionem gigantis Goliath, dicitur : *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David* [2]. Et, ut infra dicemus, inter omnes veros amicos hæc adest unio ; amor enim, ex S. Augustino, copulat amantem cum amato, et quia reciprocus esse debet, in utroque extremo subjectatur causa nexus : at de hoc postea.

Unio per affectum.

Unio voluntatum. De unione animorum ex unitate voluntatum circa rem eamdem eumdemque finem habemus pariter Scripturæ exempla ; nam dicitur : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una* [3]; et S. Paulus ad Galatas dicit : *Vos unum estis in Christo Jesu* [4], quia unam et eamdem fidem profitebantur, et per amorem seu caritatem uniti et incorporati erant spiritualiter Christo, et membra corporis mystici, scilicet Ecclesiæ, cujus caput est Christus, et ideo

[1] Gen. xxxiv, 3. — [2] I Reg. xviii, 1. — [3] Act. iv, 32. — [4] Gal. iii, 28.

membra Christi. Videndum ergo an et qua ex his unionibus anima hominis potest uniri Deo ; deinde videbimus an detur in contemplativis perfectis aliqua alia unio inter animam et Deum, quæ sit perfectior istis, et quæ sit.

Cur auctor tractat de qualicumque unione animæ cum Deo.

Adverto tertio, quod, licet ad nostrum propositum de alia unione loquendum non esset nisi de mystica et perfecta, quæ sequitur regulariter ex Dei favore ad contemplationem infusam animæ perfecte purgatæ, tamen ad Christianorum consolationem breviter dicemus aliqua de omni specie, imo de omni gradu unionis quo anima aliqua unitur, vel physice, vel moraliter per affectum seu amorem et unitatem voluntatis cum divina, id est volendo quod vult Deus, et ob eumdem finem ob quem vult Deus, ut quisque, quantum in se est, curet unionem aliquam cum Deo habere, sciens quomodo haberi possit.

De admirabili autem illa unione quam cum Christo habet homo per sacramentum Eucharistiæ, quando hoc sumitur, et quamdiu species sacramentales durant in stomacho, hic non loquor, quia hæc omnibus fidelibus nota est et quisque scit quomodo obtinenda est; sed de aliis unionibus non ita notis loquar. Ideo

Unio illapsus inter omnem creaturam et Deum.

Dico primo : Inter animam, imo quamcumque creaturam et Deum datur realis et physica unio per illapsum generalem Dei exsistentis in omni re creata, per essentiam, præsentiam et potentiam, subjectata in anima, terminata ad Deum.

Deus præsens intime in omnibus rebus.

Probatur et declaratur prima pars : Deus ratione suæ immensitatis diffusus est per totum mundum ; est intime præsens omnibus rebus intus et extra, ut ex Jeremia : *Numquid non cœlum et terram ego impleo* [1] ? et ex Psalmista : *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades* [2] ; et ex Actibus Apostolorum : *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum ; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* [3].

Secunda pars, quod nempe unio ista subjectetur in crea-

[1] Jer. XXIII, 24. — [2] Ps. CXXXVIII, 8. — [3] Act. XVII, 27, 28.

Ista unio subjectatur in creatura.

turis et terminetur tantum ad Deum, probatur, quia, sive unio hæc per illapsum ac præsentiam sit accidens absolutum, sive relatio (ut ego teneo), non potest subjectari in Deo, qui non est capax accidentium et novitatis seu mutationis : quod contingeret quoties nova creatura in mundo produceretur, quia de novo esset ei præsens ; sed sicut tenemus de unione hypostatica quod subjectatur in humanitate Christi et terminatur ad Verbum, et sicut tenemus de relationibus creationis, conservationis, justificationis et ceteris quæ subjectantur in creaturis et terminantur ad Deum, ita de hac unione illapsus ac præsentiæ Dei nobiscum dicendum est, eo vel maxime quia, ut dicemus postea, Deus semper est in nobis per suam influentiam quæ in nobis recipitur.

Humanitas Christi realiter est unita Verbo.

Dico secundo : Alia unione reali et physica una sola res creata, nempe humanitas, corpus scilicet et anima Christi, unita est Verbo divino unione recepta in humanitate et terminata ad Verbum.

Hæc conclusio supponitur probata in tractatu *De Incarnatione;* de fide enim est quod *Verbum caro factum est* [1]*;* de fide pariter quod una tantum persona, scilicet divina, sit in Christo, contra Nestorium ; de fide quoque est quod non sint permixtæ in Christo natura humana cum divina, ita quod transierit in unam naturam, contra Eutichen, sed remanserint impermixtæ seu conjunctæ, et unitæ realiter ac physice supernaturali modo. Quod autem unio in sola natura subjectetur humana, est eadem ratio quæ supra de illapsu, quia Verbum, quum sit Deus, non potest esse subjectum accidentium; ideo, quum realiter sit unitum, ut terminus est tale, non ut subjectum unionis.

Aliæ uniones cum Deo sunt morales.

Dico tertio : Omnes aliæ uniones, quæ ex sacra Scriptura vel ex Sanctis asseruntur inter hominem et Deum, morales seu supernaturales dicendæ sunt per adhærentiam affectualem cum eo, ratione amicitiæ, filiationis, hereditatis et conformitatis in volendo quod vult Deus.

[1] Joann. I, 14.

Probatur primo : His omnibus modis dantur morales uniones inter homines; igitur, quum Deus ex sua benignitate sub eisdem titulis permittat homines multos sibi adhærere, dicendum est moralem unionem inter homines et Deum intercedere posse ex præfatis titulis.

Ratione duplicis filiationis, prima naturalis.

Probatur modo quod adsint tituli hujusmodi unionum : Omnes homines sunt filii Dei per naturam; justi autem sunt etiam in ordine supernaturali filii Dei per gratiam; igitur habent unionem filiationis. De prima filiatione patet, quia Deus est creator omnium animarum, et cum genitoribus concurrit principaliter ad productionem corporum; hinc merito omnes vocamus eum Patrem : *Pater noster, qui es in cœlis* [1].

Secunda supernaturalis.

De secunda filiatione, in ordine supernaturali et gratiæ, patet ex S. Joanne : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* [2]; et ex epistola prima ejusdem S. Joannis : *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* [3]; et ex Apostolo : *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* [4]. Ideo de filiis ingratis conquerebatur Deus : *Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* [5]; et alibi : *Filius honorat patrem, et servus dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus* [6] ? Et Salvator pro hoc divini Patris omnium titulo sæpe Apostolos consolabatur : *Nolite ergo solliciti esse... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis* [7]. Item : *Si ergo vos, quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se* [8] ! Et alibi : *Ut... glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* [9]; item : *Et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est* [10]; et propterea præcepit cum hoc titulo ad Deum recurrendum : *Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es*

1 Matth. VI, 9.— 2 Joann. I, 12.— 3 I Joann. III, 1.— 4 Rom. VIII, 14. — 5 Is. I, 2. — 6 Malach. I, 6. — 7 Matth. VI, 31, 32. — 8 *Ibid.* VII, 11. — 9 *Ibid.* V, 16. — 10 *Ibid.* XXIII, 9.

in cœlis[1], et cetera. Igitur adest in homine titulus filiationis, et unionis cum Deo ex hoc titulo, quæ moralis et supernaturalis est et realis.

Unio ex titulo heredis cum Deo.

De unione ex titulo heredis, qui consequitur filiationem, ex Apostolo : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*[2]. Ex quo filiationis et hereditatis titulo, ex S. Petro, *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*[3].

Unio ex titulo amicitiæ cum Deo.

De unione ex titulo amicitiæ seu dilectionis atque caritatis, quæ idem sunt, probatur quod hoc titulo amoris homo uniri possit cum Deo et Deus cum homine. Primo, ex sacra Scriptura, quod hoc honore dignatur Deus homines justos decorare, S. Jacobus apostolus in sua epistola ait : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est*[4]. In Exodo dicitur quod Deus loquebatur cum Moyse ore ad os, *sicut solet loqui homo ad amicum suum*[5]. Psalmista dicit : *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus*[6]. Salvator dicit : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*[7]; et infra : *Jam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos*[8]. Et de digna ejus amicitia nobiscum inquit Salvator : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*[9]; et de facto ipse pro humano genere posuit. Amicitia autem ab *amando* derivatur, quia veri amici amant se ex motivo virtutis, ut late docui[10] cum S. Augustino. At certum et notorium est quod nihil unit et copulat animos sicut facit amor ; unde S. Augustinus ait : « Amor est quædam vita duo aliqua copulans vel copulare appetens, amantem scilicet et quod

1 Matth. VI, 9. — 2 Rom. VIII, 15-17.— 3 II Petr. I, 4.— 4 Jac. II, 23. — 5 Exod. XXXIII, 11. — 6 Ps. CXXXVIII, 17. — 7 Joann. XV, 14. — 8 *Ibid.*, 15. — 9 *Ibid.*, 13. — 10 Auct. *De virt. card.*, disp. *De amic.*

amatur[1]. » Hæc ergo est vera et potior unio quæ cum Deo obtineri potest in via. Habet tamen gradus, et pervenire potest ad summum ex Dei speciali favore, ita ut sit inchoatio unionis beatificæ eique similis, quæ mystica et secreta est, ut dicemus postea.

Unio per amorem reciprocum.

De hac unione per amorem reciprocum inter animam et Deum sæpe loquebatur Salvator, ut animas ad eam excitaret. Primo inquiens : *Si diligitis me, mandata mea servate*[2] ; deinde : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*[3]. Ecce reciprocus amor uniens animam Deo ! unde S. Joannes ait : *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*[4]. Mirum ergo non est si, interrogatus Salvator : *Quod est mandatum magnum in lege ?* respondit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... Hoc est maximum et primum mandatum*[5] ; sciebat enim quod qui diligit Deum diligitur a Deo, et ita obtinetur unio hæc moralis, supernaturalis, affectualis et amicitiæ cum Deo, qui *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis*[6]. Et Salvator ipse dicit : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*[7]. At de gradibus istius unionis per amorem seu caritatem in sequenti capitulo loquemur.

Producit unionem cum Deo per conformitatem voluntatis.

De unione per conformitatem voluntatis cum divina, ut anima velit quod vult Deus,— qui quidem est effectus unionis per amorem seu caritatem erga Deum,— probatur quod obtineri possit ex gratia Dei ; ideo hoc orabat David : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*[8] ; et alibi dicit : *Beatus vir qui non abiit... ; sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte*[9]. Et hoc est quod petimus in Oratione dominica : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra*[10], id est, fac, Domine,

1 Aug. *De Trin.*, lib. VIII, c. 10. — 2 Joann. XIV, 15. — 3 *Ibid.*, 23. — 4 I Joann. IV, 16.— 5 Matth. XXII, 36-38. — 6 Ephes. V, 2. — 7 Joann. III, 16. — 8 Ps. CXLII, 10. — 9 Ps. I, 1, 2. — 10 Matth. VI, 10.

ut nos exsequamur voluntatem tuam et faciamus quod tu vis. Et hoc existimo Christum pro nobis postulasse a Patre : *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* [1], id est, ut velint idem sicut nos volumus. Et inde provenit quod Salvator, ut cordibus audientium imprimeret esse semper faciendam Dei voluntatem, declarabat voluntatem suam etiam humanam semper velle quod volebat Pater : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me* [2]; idem pluries repetit, et in horto ter dixit : *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* [3]; et ad hoc hortabatur omnes : *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est* [4]; et quod refertur a S. Paulo, quia Deus sic laudavit David : *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* [5]; et ejusmodi formulis de conformatione ad voluntatem Dei plenæ sunt epistolæ SS. Pauli, Joannis et Petri.

Semper facienda Dei voluntas.

Quod vero in conformitate voluntatum detur unio et unitas, patet ex supra relatis; omnes enim primi Christiani dicebantur habere cor unum et animam unam, id est, omnes credebant et volebant idem, nec unus quidem ab alio discrepabat in exsequendis Christi mandatis et apostolicis traditionibus. Ideo qui vult quod vult Deus, unam dicitur habere cum eo voluntatem; et hoc est quod dicit S. Paulus : *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* [6] : sed de hoc argumento fusius infra loquemur.

Conformitas ista facit unionem.

Patet ergo quod variis modis et communibus pro omnibus justis obtineri potest aliqua moralis ac supernaturalis unio cum Deo.

Alius tandem exstat titulus unionis animæ justæ cum Deo, isque nobilissimus, nempe sponsalitii et matrimonii cum Deo; anima enim justa eligitur a Deo in sponsam : *Et*

Anima justi fit sponsa Dei.

[1] Joann. XVII, 20, 21. — [2] *Ibid.* IV, 34. — [3] Luc. XXII, 42. — [4] Matth. XII, 50. — [5] Act. XIII, 22. — [6] I Cor. VI, 17.

sponsabo te mihi in fide[1], ait Propheta; et in Canticis pluries hæc nomina Sponsi et Sponsæ tropologice replicantur. Et S. Paulus, ut clarius declaret mortalibus hanc unionem, exemplo unionis carnalis viri cum muliere explicat spiritualem unionem : *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur;... qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*[2]. Hæc autem adhæsio per fidem et caritatem fit, ut postea patebit. Unde S. Bernardus hanc unionem connubii inter animam ac Deum considerans ait : « Nec sunt inventa æque dulcia nomina, quibus Verbi animæque dulces ad invicem exprimerentur affectus, quemadmodum sponsus et sponsa; quippe quibus omnia communia sunt, nihil proprium, nil a se divisum habentibus... Una utriusque hereditas, una domus, una mensa, unus thorus, una etiam caro[3]. » Et post multa ait : « Amat sancte, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus[4], » et cetera. Et proinde Sponsus ait : *Veni de Libano, sponsa mea;... vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa;... hortus conclusus, soror mea, sponsa;... veni in hortum meum, soror mea, sponsa*[5], et cetera.

CAPITULUM II.

DE GRADIBUS UNIONIS CUM DEO PER AMOREM SEU CARITATEM.

Finis vitæ spiritualis est unio cum Deo per caritatem

Advertо quod, sicut in præcedenti capitulo dictum est, et S. Augustinus et ex eo S. Thomas[6] docuit, finis spiritualis vitæ est ut homo uniatur Deo, quod fit per caritatem. Et uterque ac omnes theologi hoc didicerunt a S. Paulo, qui dicit se sine caritate nihil esse, etiam si linguis Angelorum loqueretur, vel etiam si omnem scientiam et fidem haberet, ita ut montes transferret, vel etiam

[1] Osee II, 20. — [2] I Cor. VI, 16. — [3] Bern. *In Cant.*, serm. 7. — [4] *Ibid.* — [5] Cant. IV, 8, 9, 12; V, 1. — [6] 2. 2, q. 4, art. 1.

si omnes facultates distribueret in cibos pauperum, vel etiam si corpus suum traderet, ita ut arderet[1]. Et S. Joannes in sua prima epistola tam efficaciter commendat caritatem, ut dicat quod, si hæc habeatur et exerceatur, sufficit ; illa enim (supposita fide, sine qua *impossibile est placere Deo*[2]) vivificat et unit animam Deo.

Caritas duplex.

At quoniam caritas duplex est, habitualis et actualis, id est habitus caritatis et actus, scilicet dilectio, et utraque uniri potest, et utraque pariter admittit latitudinem et gradationem, ut aliquando vel in aliquo sit major aut minor, sequitur quod diversos gradus unionis majoris vel minoris pariant : ideo de horum graduum diversitate aliqua dicemus ; quamvis enim unio per amorem et multi ejus gradus justis omnibus ex Dei gratia esse possint communes in vita etiam activa, quia tamen disponere possunt ad gradum perfectissimum unionis mysticæ in vita contemplativa, quam hic inquirimus, quamque Deus perfectis spiritualibus tantum concedit, ideo operæ pretium duxi de communibus his gradibus unionis et de eorum causis loqui. Unde

Cur auctor de his unionis gradibus hic loquitur.

Dico primo : Primus et fundamentalis gradus unionis animæ cum Deo (licet respective infimus) est ille qui est in parvulis baptizatis, absque propriis actibus credendi, diligendi ac pœnitendi, recipientibus habitum caritatis.

Unio per caritatem habitualem in pueris.

Probantur singulæ partes : Quod parvuli baptizati in baptismo recipiant habitum caritatis fuit definitum in Concilio generali Viennensi, confirmatum in Concilio Tridentino[3]. Quod tunc uniantur Deo probatur ex Apostolo[4], quia tunc induunt Christum eique incorporantur, fiuntque illius membrum ; et ex Concilio Tridentino per baptismum « Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur[5]. » Ideo actu quidem, sed per habitum tantum sunt Deo uniti.

[1] I Cor. XIII, 3. — [2] Hebr. XI, 6.— [3] Sess. VII, c. 7.— [4] Rom. VI, 3 ; Galat. III, 27. — [5] Conc. Trid. Sess. V, c. 5.

Est fundamentum aliorum.

Quod gradus iste unionis sit fundamentalis probatur facile, quia sine illo habitu caritatis nihil in christiano ædificio potest superædificari, nullumque opus Deo placens ac meritorium (ut nuper cum S. Paulo dixi) potest fieri. Quod autem ille solus sit infimus gradus unionis, respective tantum et non absolute, patet, quia et sine ullo actu proprio antecedenti et sine actu aliquo simultaneo recipientis facta est a Deo talis unio, ad differentiam unionis quæ fit in adultis qui baptizantur et Christum induunt; isti enim prævis et simultaneis actibus credendi diligendique Deum ac pœnitendi recipiunt habitum illum caritatis, et sic perfectius uniuntur, habitu nempe et actu; illi autem infantes solo habitu. Secundo dicitur infimus respective in ordine ad eumdem parvulum postea adultum; is enim, retinens habitum caritatis in baptismo receptum, si, dum adolescit, se exercet in actibus credendi diligendique Deum, sperandi, et in ceteris virtutum actibus, ut oportet, unio cum Deo augetur, et qui prius habitu tantum uniebatur, unitur postea etiam actu proprio. At nihilominus unio illa per habitum in pueris absolute sufficit ad salutem, ut ex Concilio Tridentino nuper diximus; et si in statu illo moriantur, evolant ad cœlum, ut unione beatifica perfruantur.

Quare est infimus gradus.

Secundus gradus unionis major.

Dico secundo : Major est unionis gradus cum Deo in adultis qui, habitum caritatis retinentes, Dei præcepta fidei, spei, caritatis et alia Decalogi observant, et in aliis cardinalium virtutum operibus se exercent.

Probatur primo ex modo dictis, secundo ex eo quod Deus id exigit a nobis, ut eum diligamus et proximum. Et hoc fuit etiam præceptum in lege tam naturæ quam scripta : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* [1], et cetera; et Christus dixit hoc esse *maximum et primum mandatum* [2]; et Deus dicit : *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* [3]; Deus enim nec nostri nec bonorum nostrorum indiget, exigit autem cor nostrum et dilectionem nostram, ut per

1 Deut. VI, 5. — 2 Matth. XXII, 38. — 3 Prov. XXIII, 26.

hæc ei uniamur. Et hoc testatur Salvator : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [1]. Ecce unio et mansio divina, quæ per proprios actus dilectionis Dei et observantiæ mandatorum ejus obtinetur!

Major præfatis duabus unio.

Dico tertio : Major duobus præfatis est gradus unionis cum Deo in iis qui, præter habitualem caritatem et observantiam mandatorum, observant etiam propter Deum consilia evangelica.

Observans etiam consilia est perfectus.

Probatur facile : Homo perfecte justus magis est unitus Deo, quia magis ei adhæret magisque a Deo diligitur ; sed justus habens habitum caritatis, observans præcepta et consilia evangelica, est perfectus : ergo... Minor a Salvatore docetur ; is enim interrogatus a quodam : *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo* [2] ? respondit : *Serva mandata* [3] ; et declaratis mandatis observandis, dixit ille : *Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest* [4] ? Dominus dixit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me* [5]. Paupertas ergo voluntaria cadit sub consilio et facit perfectum ; item castitas, quia Salvator in præfato loco ait : *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat* [6] ; et S. Paulus [7] dicit castitatem virginalem cadere sub consilio. Alia multa sunt in Evangelio consilia, quorum observantia spectat ad perfectionem, quæ Dominus Jesus Christus et facto et verbo docuit,— verbi gratia, consilium de sufferendis injuriis malisque nobis illatis, — quorum observantia facit hominem magis Deo carum magisque dilectum. Propterea observantiam consiliorum eligentes et exercentes, puta castitatis, paupertatis et obedientiæ, dicuntur Religiosi, id est iterum ligati et conjuncti Deo ; prima enim vice ligantur et conjunguntur ac uniuntur Deo per baptismum, in quo renuntiant Satanæ et pompis

Regulares cur dicti Religiosi.

[1] Joann. XIV, 23. — [2] Luc. X, 25. — [3] Matth. XIX, 17. — [4] *Ibid.*, 20. — [5] *Ibid.*, 21. — [6] *Ibid.*, 12. — [7] I Cor. VII, 25.

ejus, et incorporantur ac uniuntur Christo, promittentes præcepta ejus servare; per professionem vero votorum religionis secundo vinculo se ligant cum Deo, promittendo ex ejus amore observare etiam consilia. Et sic veri ac regulam servantes Religiosi, per consiliorum observantiam, sunt in statu perfectionis acquirendæ, et magis uniti Deo quam alii, solum habitum caritatis, fidei et cetera habentes, ut pueri et alii qui habitus illos habent et divina præcepta observant, non autem consilia.

Unio major præfatis tribus.

Dico quarto : Major his tribus gradus unionis cum Deo reperitur in illis qui habitum caritatis habent, præcepta ac præfata tria consilia observant, et alia insuper duriora consilia exsequuntur vel parati sunt exsequi, vel opera alia supererogationis faciunt, quæ sub explicito consilio non cadunt, Deo tamen cara sunt.

Consilia duriora.

Probatur et declaratur quoad singula : Adsunt in Evangelio duriora quædam consilia; verbi gratia, dicit Salvator : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris*[1]; et sic de aliis multis, quæ quidem dura sunt, sed cum Dei auxilio facile agibilia sunt et aguntur. Et Salvator noster in se illa comprobavit, nobis, ut ait S. Petrus[2], relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus; et propterea ad ejus exemplum plures perfecti ipsum sunt imitati. Hi ergo habitu caritatis pollentes, præcepta et consilia hæc dura servantes, perfectiores quidem sunt et Deo magis placentes, cari magis magisque uniti.

Supererogationis opera facientes perfectiores sunt

De supererogatoria exercentibus, si habitu caritatis pollent ac præcepta observant, probatur quod magis uniti sint Deo quam tres illi primi; sed declaro prius quæ sint opera supererogatoria. Dico ergo esse omnia heroica virtutum opera, quæ præcepta non sunt nec explicite

1 Matth. v, 39-42. — 2 I Pet. II, 21.

consulta, verbi gratia, vitam eremiticam degentes, solitarii, macerantes se jejuniis ac flagellis, aliisque cruciatibus corpus suum torquentes, et voluntarie alia similia propter Deum facientes; vel patienter sufferentes mala ab aliis in famam, bona aut eorum vitam illata, exemplo sancti Job et aliorum sanctorum de quibus loquitur S. Paulus ad Hebræos: *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ*[1]. Hi quidem magis uniti sunt Deo, propter quem talia patienter patiuntur, quam ceteri de quibus supra.

Quo major eo intimior unio.

Dico quinto: Universaliter loquendo, quo major exstat in aliquo caritas actualis et habitualis, eo major est in eo gradus unionis cum Deo; et quia major omnium caritas in martyrio exercetur, in martyribus major est unio cum Deo.

Prima pars declaratur et probatur ex singulari quadam S. Thomæ, quam per extensum retuli in Opusculo quinto[2], conclusione. Sanctus hic Doctor[3] omne bonum omnemque profectum in vita spirituali tribuit caritati tanquam parenti omnium bonorum, assignatque præcipuos ejus effectus quando est perfecta. Quo ergo major est caritas in hominibus activam vel contemplativam vitam degentibus, et in plures ac præstantiores effectus in Deum ac proximum se extendit, eo perfectior est, proindeque quum per eam magis quis diligat Deum magisque diligatur ab eo, major est inter eos unio.

Secunda pars, de caritate exercita in martyrio, probatur ex Christi oraculo: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*[4]. Et facto proprio comprobavit, quum pro nobis ipse Dominus vitam posuit et occidi passus est, ut a dæmonis potestate nos liberaret et æternæ vitæ redderet capaces.

[1] Hebr. xi, 36-38.— [2] Cap. 2.— [3] 2. 2, q. 4, art. 9.— [4] Joann. xv, 13.

Dico sexto : Præter gradus istos unionis cum Deo, qui vita activa obtineri possunt, admitti debet alia quædam perfecta unionis species in perfectis et heroicis contemplativis, pro qua sit

CAPITULUM III.

AN IN PERFECTIS CONTEMPLATIVIS DETUR UNIO SPECIALIS CUM DEO, QUÆ « MYSTICA » DICITUR.

In perfectis contemplativis perfectissima unio.

Adverto quod inter theologos mysticos communis est sententia, nec ab ullo impugnata, dari in perfectis contemplativis unionem quamdam cum Deo ita perfectam, qua dari nequit perfectior in hac mortali vita ; perfectus autem contemplativus regulariter ille est qui, in vita purgativa et illuminativa, id est meditativa et contemplativa, diu exercitatus, ex specialissimo Dei favore ad infusam contemplativam evectus est : hunc autem dicunt hac perfecta unione a Deo donari. Hic ergo prius videbimus an unio ista peculiaris admittatur ; postea videbimus per quas causas efficiatur et in quo consistat, et quæ sint ejus proprietates et effectus transeuntes et permanentes.

Dico ergo : Datur in contemplativis perfectis specialis quædam unio cum Deo, « *mystica* » dicta, id est secreta et præstantissima ac supernaturalis.

Probatur : S. Dionysius ad hanc procurandam hortatur Timotheum : « Tu autem, o amice, circa mysticas visiones corroborato itinere, et sensus desere,... et ad unitatem (ut possibile est) inscius restituere ipsius qui est super omnem essentiam et scientiam [1]. »

1 *De myst. theol.*, c. 1.

Hæc unio est osculum quod petit Sponsa.

Hanc unionem significat osculum illud quod anima sancta, Sponsa Dei, petit a Sponso : *Osculetur me osculo oris sui* [1]. S. Gregorius in hunc locum ait : « Dicit ergo Sponsa, desiderio æstuans et in amplexum Sponsi sui inardescens : *Osculetur me osculo oris sui,* ac si diceret : Ille, quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat; quia, quum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor [2]. » Et post aliqua : « Osculum Sponsi quærit, quia, si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc, vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat omnino non invenit; sed pius Sponsus, anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, vocem exaudiens, osculum porrigit; et ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit, et dum suam præsentiam exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit [3]. »

Unio exemplis descripta a S. Gregorio Nazianzeno.

S. Gregorius Nazianzenus nedum hanc unionem animæ sanctæ admittit, sed variis exemplis eam explicare conatur, inquiens : Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino a se tota deficere videtur, dum et saporem vini induit et colorem; et quomodo ferrum ignitum et candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non jam illuminatus, sed lumen ipsum esse videatur : sic omnem tunc (id est eo tempore quo anima Deo est intime unita) in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a seipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Hæc Nazianzenus.

S. Bernardus de hoc osculo multa dicit ad rem nostram, sed magis clare in sermone nono in Cantica ait : « Rogo, supplico, flagito, osculetur me osculo oris sui. »

Idem in *Epistola ad fratres de monte Dei* inquit : « Hæc est, de qua jam aliquanta dicta sunt, in tantum

[1] Cant. 1, 1. — [2] Greg. apud Corn. a Lap. — [3] *Ibid.*

proprie propria, ut jam non similitudo sed spiritus nominetur; quum fit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiori quadam unitate virtutis (sicut dictum est) aliud velle non volendi. Dicitur autem hæc unitas spiritus non tantum quia efficit eam vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia ipsa est Spiritus Sanctus, Deus, caritas, quum per eum, qui est amor Patris et Filii, et suavitas et bonum et osculum et amplexus et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis et veritate unitatis : hoc idem homini suo modo sit ad Deum quod consubstantiali unitate Filio est ad Patrem vel Patri ad Filium, quum in amplexu et osculo Patris et Filii mediam quodammodo se invenit beata conscientia, quum modo ineffabili inexcogitabilique meretur fieri homo Dei, non Deus; sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia[1]. » At post aliqua subdit : « Quidquid tamen de visione et cognitione Dei hic fidelibus impartitur, speculum est et ænigma, tantum distans a futura visione et cognitione quantum a veritate distat fides vel tempus ab æternitate[2]. » Et idem de anima sponsa ait : « Nisi speciali prærogativa intimis illum (id est Sponsum) affectibus atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipiat habeatque præsto quem desiderat non figuratum, sed infusum, non apparentem, sed efficientem, non contenta erit[3]. »

Quomodo anima unitur et fit una cum Deo, ex S. Bernardo.

Probatur secundo : Hæc est unio ex amplexu, quam Sponsa, id est anima sancta, exspectabat a Deo : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*[4]; quem locum, ut ibi notat Cornelius a Lapide, contemplativi mystici omnes intelligunt de unione animæ cum Deo quæ habetur in « summo contemplationis gradu, quo anima intime Deo per contemplationem intellectus et per ardorem voluntatis unitur, eumque quasi duobus hisce

Unio est amplexus.

1 Bern. *Epist. ad fratr. de mont. Dei*, c. 16. — 2 *Ibid.* — 3 *Id. In Cant.*, serm. 31. — 4 Cant. II, 6.

brachiis stringit et amplectitur; tunc enim Deus cor allicit, suisque quasi illuminationis et inflammationis brachiis mulcendo, trahit ad altiorem quemdam et puriorem amoris amplexum [1]. » Hæc ille.

S. Basilius de hac unione

S. Basilius de hoc amplexu et unione animæ sanctæ cum Deo inquit : « Quare eam quæ Christo per virginitatis promissionem copulata est, ut quæ sapientiæ et Verbo semetipsam per totam vitam desponderit, sapientem convenit et prudentem esse, ita ut omnis quidem stultitiæ et insipientiæ turpitudinem continua rerum divinarum meditatione ejiciat, sapientiæ autem pulchritudine, cui conjuncta est, mentem exornet; donec, totam se cum tota sapientia conjungens, unum fiat cum eo cui adhæret, atque ex corruptibili incorruptibilis, ex imperita prudens ac sapiens tanquam costa Verbi cui adhæret, ac uno verbo, ex homine immortalis Deus, sicut ille cui adhæret, omnibus manifestetur [2]. » Hæc et alia plura S. Basilius.

Ex unitate spiritus.

Probatur tertio : Hæc unio facit unum ex unitate spiritus, quem acquirit anima cum Deo : *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?... Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* [3].

S. Bernardus seu alius auctor *De vita solitaria* inquit : « Unitas spiritus cum Deo homini cor sursum habenti, proficientis in Deum voluntatis est perfectio, quum jam non solum vult quod Deus vult, sed sic est non tantum affectus, sed in affectu perfectus, ut non possit velle nisi quod Deus vult; hoc est jam esse quod Deus est, cui velle et esse idipsum est [4]. » Sed de hoc argumento unitatis spiritus animæ cum Deo iterum recurret sermo, quum de termino resultante ex hac unione loquemur.

Ex transformatione in Deum.

Probari potest quarto hæc unio ex eo quod anima sancta transformatur in Deum, et ex Apostolo : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem,*

[1] Corn. a Lap. *In Cant.* II, 6. — [2] Basil. *De Virg.*, n. 50. — [3] I Cor. VI, 16, 17. — [4] Bern. *De vita solitaria*, c. 16.

tanquam a Domini Spiritu [1]. Quæ quidem transformatio non est essentialis, ut fatue putavit Almaricus, sed accidentalis et affectualis, ut in sequenti dicetur, per modum perfecte cognoscentis et cogniti, perfecteque amantis et amati.

Ex adhæsione cum Deo per cognitionem et amorem.

Probari quoque potest quinto hæc unio ex adhæsione cum Deo per meditationem seu contemplationem atque amorem ejus; id enim Deus exigebat a populo suo, ut scilicet de eo frequenter cogitaret eumque diligeret; nam in Deuteronomio sic habetur : *Ponite hæc verba mea in cordibus et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris; scribes ea super postes et januas domus tuæ* [2]; et post alia præcipit dilectionem Dei : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* [3], et cetera. Hoc ergo modo poterat homo uniri et unitus cum Deo manere; ideo David inquit : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte;... et omnia quæcumque faciet prosperabuntur* [4]. In his autem se exercebat David, et meruit illud Dei elogium : *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* [5]. Id docuit Salomon : *Quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper* [6]. Deus autem præcepit unum colere Deum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* [7] : hoc ergo modo, frequenter scilicet cogitando de Deo ejusque lege eumque diligendo, unitur homo cum Deo et in unione perseverat.

Quum autem tot modis (sed pro multis communibus) possit haberi aliqua unio cum Deo, videndum erit quænam sit illa unio perfectorum amicorum Dei quæ a mysticis tantum laudatur et exaltatur; ideo sit

[1] II Cor. III, 18. — [2] Deut. XI, 18-20. — [3] *Ibid.* VI, 5. — [4] Ps. I, 1-3. — [5] Act. XIII, 22. — [6] Eccli. III, 22. — [7] Deut. VI, 5.

CAPITULUM IV.

IN QUO CONSISTAT MYSTICA HÆC UNIO CONTEMPLATIVORUM, ET QUÆ SINT ILLIUS IMMEDIATÆ CAUSÆ.

Cur duo simul quærunt.

ADVERTO primo hæc duo simul quæri quia de ratione cujuscumque unionis est inter duo saltem esse, quum quælibet sit habitudo quædam relativa uniti ad terminum cui unitur; et capi ac intelligi nequit unio ulla nisi capiatur fundamentum seu ratio et causa producens seu efficiens unionem, seu, ut philosophice loquar, id ex quo resultat unio : et sic intellectis causis nobilissimæ hujus unionis, facile intelligitur ejus natura.

Sermo est de causis immediatis.

Adverto secundo, quod hic loquimur de causis immediatis et proximis unionis, non vero de mediatis ac remotis; de his enim agetur postea. Quum autem unio hæc sit affectualis et vitalis, causæ ejus vitales esse debent.

Unio supponit multa.

Adverto tertio, quod, quum unio hæc mystica intercedat inter animam justam contemplativam et Deum, et sit reciproca, ex parte utriusque multa sunt supponenda. Nam ex parte animæ uniendæ supponendum est quod debet esse in statu gratiæ et ornata donis Spiritus Sancti, regulariter exercitata in operibus virtutum cardinalium et theologalium, et in meditatione ac contemplatione, quæ dicemus postea esse principia seu causas ac dispositiones remotas istius unionis. Ex parte autem Dei, cui anima unitur, supponendum est quod effective ac terminative ad talem unionem concurrit : effective quidem per influentiam ad opera ex quibus nascitur unio, et ad unionem quæ in anima recipitur, ut mox declarabitur; terminative vero, quatenus est terminus talis unionis, sicut diximus supra [1]. Omnes etiam theologi docent de unione Dei cum

[1] Cap. I.

creaturis per illapsum generalem ac per immensitatem, de unione hypostatica Verbi cum humanitate Christi et de unione beatifica Dei cum Beatis ; in quibus unionibus creaturæ sunt subjectum unionum, Deus vero efficiens ac terminus earum. His positis,

Ex parte animæ causæ unionis sunt contemplatio perfecta et amor Dei perfectus.

Dico primo : Ex parte animæ justæ contemplativæ unitæ seu uniendæ mystice ac supernaturaliter cum Deo, causæ morales ac immediatæ talis unionis regulariter sunt duæ, scilicet perfecta contemplatio ac perfecta caritas seu amor Dei ; quando autem istæ actiones sint perfectæ dicam postea.

Dixi *ex parte animæ,* quæ est unum extremum uniendum aut unitum, quia ex parte Dei est alia causa, ut mox dicetur. Dixi *causæ morales,* quia totum quod est in creatura respectu supernaturalium donorum quæ Deus ex sua liberalitate concedit creaturæ, quum non sit causa efficiens physica, restat ut sit moralis, id est, talis conditionis ex Dei voluntate, ut ad ejus positionem statuerit Deus donum aliquod concedere ; sicut dicimus de sacramentis respectu gratiæ, de meritis respectu præmii, de precibus respectu favoris ac beneficii obtenti, ita se habent operationes illæ respectu unionis cum Deo. Dixi *regulariter,* quia posset Deus absque magna exercitatione in contemplatione et amore ipsius admittere hanc perfectam unionem animæ justæ secum. His ergo prænotatis,

Argumentum a paritate unionis beatificæ.

Probatur quod illæ sint causæ unionis mysticæ ac supernaturalis animæ justæ cum Deo : Primo a pari : illæ duæ sunt causæ unionis beatificæ in patria ex parte animæ ; ergo etiam in via. Antecedens est clarum ; eo enim modo Angeli et animæ beatæ sunt perpetuo unitæ cum Deo, scilicet per visionem ac fruitionem seu caritatem consummatam aut amorem, quæ idem sunt. Consequens est evidens ; nam, ex sæpe dictis cum S. Gregorio[1], beatitudo in hac vita per contemplationem inchoatur, et in

1 *In Ezech.,* hom. 14, al. lib. 2, hom. 2.

altera vita perficitur : ergo eædem sunt causæ utriusque ex parte animæ.

Ex theologis.

Probatur secundo ex theologis : S. Thomas inquit : « Unio nostra ad Deum est per operationem, inquantum scilicet eum cognoscimus et amamus [1]. » Et alibi dicit conjunctionem animæ cum Deo per fruitionem consistere in operatione intellectus et voluntatis [2]. Dionysius Cartusianus, de causis unionis loquens, inquit : « Itaque via perfectiva seu unitiva est studium, occupatio seu actio ad sincerissimæ caritatis ardorem, ad Deitatis extaticum flammigerumque amorem, ad mysticæ sapientiæ æstuantissimum, quietissimum et secretissimum tendens intuitum. Consistit namque hæc via in hoc ut ex contemplatione Dei per negationem mens divino amore tota accendatur et velut ignea ac seraphica efficiatur, sicque, seipsam et cuncta creata relinquens, transcendens ac obliviscens, superincomprehensibili Deo tanquam prorsus ignoto, per hierarchicæ lucis illapsum, per occultissimæ inspectionis alloquium, per supersplendentem caliginem ac sapientissimam ignorantiam uniatur [3]. » Igitur duæ illæ operationes intellectus et voluntatis, intuitus nempe seu contemplatio et amor Dei, sunt causæ istius unionis : neque quælibet contemplatio aut quilibet amor, sed perfecta contemplatio ac perfectus amor, ut in conclusione dixi et infra dicam, id est infusa contemplatio in caligine, quæ maxima est et ardentissimus amor, ut postea dicam.

Contemplatio perfecta et amor perfectus causant unionem.

S. Bonaventura de utraque causa admirabilis istius unionis sæpe loquitur ; sed præcipue in tractatu *Incendium amoris* sic habet : « Postremo sequitur qualiter nos exercere debemus ad igniculum sapientiæ. Hoc autem faciendum est hoc ordine : iste igniculus sapientiæ sollicite ac diligenter est primo congregandus, secundo inflammandus et tertio sublevandus. Congregatur autem per reductionem affectionis ab omni amore creaturæ a cujus

S. Bonaventura de utraque causa unionis loquitur.

[1] Thom. 3 p., q. 6, art. 6 ad 1.— [2] *Id. In 3 sent.*, dist. 2, q. 1, art. 3. — [3] Dion. Cart. *De fonte lucis*, art. 12.

amore revocari debet affectio. Quoniam amor creaturæ non proficit; et si proficit, non reficit; et si reficit, non sufficit. Ideo omnis amor talis ab affectu debet omnino elongari. Secundo, inflammandus est igniculus iste, et hoc ex conversione affectionis super amorem Sponsi; et hoc quidem fit vel comparando ipsum amorem ad seipsum, vel ad affectum supernorum civium, vel ad ipsum Sponsum. Tunc autem hoc fit, quando attenditur quod per hunc amorem suppleri potest in nobis omnis indigentia, et quod per amorem est in Beatis omnis boni abundantia, et quod per amorem habetur ipsius summi Boni præsentia; hæc enim sunt quæ inflammant affectum. Tertio, sublevandus est igniculus iste, et hoc supra omne sensibile, imaginabile et intelligibile, hoc ordine ut homo immediate de ipso quem perfecte optat diligere, primo meditando discat quod ille quem diligit non est visibilis, audibilis nec odorabilis, gustabilis, tangibilis, ut sensibilis : imo totus desiderabilis; secundo, cogitet quod ille quem diligendo quærit non est terminabilis, figurabilis, numerabilis, circumscriptibilis, commutabilis aut imaginabilis, sed totus desiderabilis; tertio, cogitet quod ille quem diligit non est demonstrabilis, definibilis, opinabilis, æstimabilis, investigabilis aut intelligibilis, sed totus desiderabilis. Ex his autem liquide patet qualiter ad sapientiam sacræ Scripturæ perveniri potest, meditando circa viam purgativam, illuminativam et perfectivam; et non solum sacræ Scripturæ continentia, imo omnis meditatio nostra debet circa ista versari[1]. » Et prosequitur quod omnis meditatio nostra in hoc consistere debet, nempe in considerando magnitudinem Dei, et quod hæc est vera sapientia; « nam in hujusmodi meditatione ratio percunctando affert propositionem, synderesis sententiando profert definitionem, conscientia testificando infert conclusionem, et voluntas præeligendo defert solutionem[2] : » hæc S. Bonaventura. Ex Seraphico ergo Doctore patet quod,

1 Bonav. *Incend. amoris*, c. 1. — 2 *Ibid.*

ad unitivam viam, id est ad unionem cum Deo acquirendam, Dei meditatio seu contemplatio ejusque amor in gradu perfecto sunt præcipua ac proxima media ad quæ unio illa consequitur, seu sunt ipsamet actualis unio.

De caritate seu amore hac virtute pollente S. Dionysius Areopagita ait : « Est quædam virtus vivifica convertens mirificeque commiscens [1]. »

Ex S. Augustino quid amor.

S. Augustinus ait : « Quid est autem dilectio vel caritas, quam tantopere Scriptura divina laudat et prædicat, nisi amor boni? Quid est ergo amor, nisi quædam vita duo aliqua copulans vel copulare appetens, amantem scilicet et quod amatur? Et hoc etiam in externis carnalibusque amoribus ita est; sed, ut aliquid purius et liquidius hauriamus, calcata carne, ascendamus ad animum. Quid amat animus in amico, nisi animum [2]? » Amor igitur Dei aptus est copulare ac unire hominem cum Deo; ideo tam enixe cum Deo copulari optabat, inquiens : « Quis mihi dabit ut venias in cor meum et inebries illud, ut obliviscar mala mea et unum bonum meum amplectar? Noli abscondere faciem tuam. Moriar, moriar ut eam videam [3]. »

Idem S. Augustinus multa et præclara docet de effectibus dilectionis Dei ad uniendum hominem cum eo. In libro *De spiritu et anima,* qui inter ejus opera insertus est, ait : « Dilectione anima unitur Deo [4]. » Alibi dicit : « Dilectione reconciliamur Deo, qua etiam filii Dei appellamur [5]. » Alio loco ait : « Per dilectionem Deus sibi copulavit creaturam, ut ei semper inhærendo ipsum, quo beatificanda erat, bonum ex ipso quodammodo per affectum suggeret, et de ipso per desiderium biberet, et in ipso semper gaudium possideret [6]. » Dicit etiam dilectione divina succensam animam esse sacrificium Deo [7], et dilectionis seu caritatis ardorem esse bitumen violentissimum colligans diligentem cum dilecto [8]; et cetera plura.

[1] Dion. Areop. *De div. nomin.*, c. 4. — [2] Aug. *De Trinit.*, lib. VIII, c. 10.— [3] *Id. Conf.*, lib. IX, c. 5. — [4] *Id. De spirit. et anima,* c. 16.— [5] *Id. De fide et Symb.*, c. 9. — [6] *Id. De subst. dilect.*, c. 3. — [7] *Id. De civ. Dei,* lib. X, c. 6.— [8] *Id. Contra Faust.*, c. 14.

S. Ambrosius ait : « Anima justi sponsa est Verbi. Hæc si desideret, si cupiat, si oret, et oret assidue et tota intendat in Verbum, subito vocem sibi videtur ejus audire quem non videt, et intimo sensu odorem ejus divinitatis agnoscit. Replentur subito nares animæ spirituali gratia, et sentit sibi præsentiæ ejus flatum adspirare quem quærit, et dicit : Ecce ipse est quem requiro, ipse quem desidero[1]. » S. Ambrosius.

S. Gregorius de hac unione per dilectionem inquit : « Dicit ergo Sponsa, desiderio æstuans et in amplexum Sponsi sui inardescens : *Osculetur me osculo oris sui*[2]; ac si diceret : Ille, quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat; quia, quum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor[3]. » S. Gregorius.

Dionysius Cartusianus, iterum loquens de duplici unione animæ cum Deo, utramque per fervidum amorem obtineri dicit : « Porro viri fideles, heroici et perfecti longe sublimius mysticam theologiam sortiuntur per supernaturalia charismata Spiritus Sancti. Quod dupliciter accidere solet : primo per eorum præparationem, cooperationem et conatum, ad hoc dando seipsos ad abstractionem a cunctis creatis et ad fervidam unionem cum Deo per recollectionem mentis suæ ad intra, per affectuosissimam divini invocationem auxilii, ac considerando divini inflammativa amoris; secundo fit istud modo mirabiliori et eminentiori, quamvis forsan non magis meritorio semper: videlicet dum fervens amator, absque conamine proprio præparationeque prævia, repente prævenitur, præstringitur, inflammatur et super se extollitur contemplationisque luce exuberanter perfunditur, præoccupatur et vincitur, in tantum ut, etiam si velit resistere, nequeat, neque evadere possit supergratissimi amplexum Sponsi[4]. » Hæc Dionysius Cartusianus. Dionysius Cartusianus.

[1] Ambros. *In Ps.* CXVIII, serm. 6. — [2] Cant. I, 1. — [3] Greg. apud Corn. a Lap. *In Cant.* 1. — [4] Dion. Cart. *Comm. in myst. theol. S. Dion. Areop.*, c. 5.

Ex parte Dei causa unionis

Dico secundo : Causa immediata unionis cum anima justa ex parte Dei, est influentia ipsius Dei in animam contemplantem, qua se illi ostendit speciali modo in caligine, per dona Spiritus Sancti illuminans intellectum ad se sublimiori modo cognoscendum, et inflammans voluntatem ad se ardentiori modo amandum, simulque animam illam amans.

Dixi, causa *immediata* ex qua consurgit unio, quia mediata est ipsemet Deus, ut elevans seu abstrahens intellectum a sensibilibus omnibus atque intelligibilibus creatis, applicans eum et detinens in contemplatione sui, infundens animæ talis justi contemplantis dona Spiritus Sancti, intellectum et sapientiam, et cetera. Ista autem dico esse causas mediatas ex parte Dei, quia per eas dignatur disponere animam contemplantis ad suscipiendam influentiam illam objectivam qua sublimiori modo se ei ostendit, et inflammativam voluntatis qua amatur ; estque id manifestum indicium quod, ea specialissima beneficia animæ concedens, eam multum amat.

Ratio conclusionis.

Probatur nunc conclusio : Nisi Deus cum singulari illa influentia in intellectum et voluntatem contemplantis concurreret, non resultaret perfecta illa unio quam inquirimus ; nam non omnes contemplativi, neque etiam exercitati in contemplatione infusa, eam obtinent (ut dicam infra), sed vel obtinent unionem communem vel paulo perfectiorem, non autem hanc perfectissimam quæ paucissimis conceditur ; nec potest alia assignari ratio, nisi quia Deus non omnibus sic se ostendit in ratione perfecte cognoscibilis, nec omnes adeo sublimiter diligit ut eorum voluntates adeo intense inflammet, ut eum adeo ardenter diligant.

A sufficienti enumeratione argumentum.

Probatur secundo facili ratiocinio, discurrendo de omni genere unionis : Homo justus in quolibet gradu justitiæ, id est gratiæ, habet aliquem gradum unionis cum Deo, quia adhæret Deo per fidem et dilectionem ; et Deus est unitus cum illo per hoc, quia dat ei posse credere et credere, insuper dat eidem posse amare et amare : *Deus est*

enim qui operatur... et velle et perficere, pro bona voluntate [1]. Qui justior seu sanctior est, perfectiorem unionem cum Deo habet per vivaciorem et quasi minus obscuram fidem et magis fervidum amorem ; et Deus dicitur esse estque ei magis unitus in hoc genere gratiæ, quia in illos perfectiores actus magis eum diligendo influit. Præterea, qui exercitatus in meditatione et contemplatione acquisita transit ad infusam, magis unitur Deo, quia per fidem, et donis Spiritus Sancti præditus, quasi clare seu minus obscure Deum cognoscit et voluntas ferventius amat ; et Deus animæ illi esse dicitur estque magis unitus in hoc genere gratiæ quam sit unitus illis prioribus per hoc quod nedum dona illa in eo producit, sed quia ad actus illos cognoscendi et amandi ex speciali dilectione influit in gradu illo perfectissimo pro hac vita. Igitur, quum causa immediata ex parte Dei in aliis unionibus in genere gratiæ sit influentia specialis ad actus cognoscendi et diligendi Deum, eadem erit dicenda causa immediata hujus perfectissimæ unionis ex parte Dei, nempe influentia ad actus illos perfectissimos cognoscendi Deum in caligine et ferventissime diligendi illum, influentia, inquam, procedens ex specialissima Dei dilectione ; si enim sic non diligeret, ad eos actus non influeret.

Argumentum a pari de beatifica unione.

Probatur paritate unionis beatificæ : Beati enim uniuntur Deo hoc modo, quia scilicet per actus videndi et amandi tendunt in Deum sibi præsentem per modum objecti ; Deus autem unitur illis per influentiam objectivam, clare et ut in se est se illis ostendens, et per inflammationem voluntatis ad sui fruitionem perfectissimam, consummatam et externam : ergo hoc etiam modo, cum proportione, in contemplativis perfectis Deum contemplantibus et diligentibus fit unio ex parte Dei.

Ex S. Thoma.

Confirmatur ex S. Thoma, docente : « Dicitur Deus unitus creaturæ ex hoc quod creatura unita est ei, absque Dei mutatione [2]. » At alibi [3] dicit Deum appropinquare ad

[1] Philipp. II, 13. — [2] Thom. 3 p., q. 2, art. 7 ad 1. — [3] *Id.* 1 p., q. 9, art. 1 ad 3.

nos in quantum percipimus influentiam bonitatis ejus; et supra docuerat sic : « Deus est in rebus non sicut accidens aut sicut pars essentiæ, sed sicut agens ; et quia agit ipsum esse, profundissime et intime est in rebus [1]. »

Dico tertio : Theologice loquendo consequenter ad dicta, unio mystica contemplantis cum Deo, formaliter sumpta, consistit in illa colligantia seu habitudine, ac relatione insurgente ex actibus illis perfecte cognoscendi et amandi Deum, fundata in ipsismet actibus animæ et terminata ad Deum.

Probatur et declaratur : Actus illi cognoscendi et amandi Deum perfectissime, ex jam dictis, uniunt animam contemplantis cum Deo quasi efficienter, et sic faciunt unionem; ideoque non sunt ipsa formalis unio, sed quasi materialis. At nihil aliud remanet inter actus illos et Deum cognitum et amatum, nisi relatio illa et habitudo subjectata in anima mediantibus iis actibus, et terminata ad Deum : illa igitur habitudo seu relatio, vel (si velis dici) spiritualis qualitas copulans seu colligans et uniens in amore, est formalis unio.

CAPITULUM V.

QUINAM SIT TERMINUS RESULTANS EX HAC UNIONE ANIMÆ CUM DEO, QUI DICITUR UNUS SPIRITUS.

Sensus quæsiti.

Adverto quod, sicut in primo capitulo hujus Opusculi diximus, ex qualibet unione duarum rerum fit seu resultat aliquod unum : verbi gratia, ex unione materiæ cum forma fit unum compositum ; ex unione animæ et corporis fit unus homo ; ex unione Verbi cum natura humana, unus Christus ; ex unione plurium lapidum

[1] Thom. 1 p., q. 8, art. 3.

juxta se positorum, unus acervus ; ex unione plurium hominum cohabitantium in aliquo loco, unus populus, et cetera : quum ergo uniantur anima et Deus modo prædicto in præcedenti capitulo, aliquod unum ex his unitis resultare debet, sicut ex omni alia unitorum unione. Quum pariter dicat Apostolus : *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur ? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* [1], quærimus quale seu quid sit hoc unum, licet hoc quæsitum sit pure theologicum et contemplativis parum inserviens.

Adverto secundo esse omnino exsibilandam Almarici hæresim seu verius insaniam, quod nempe per hanc unionem anima converteretur in aliquod divinum, sive in ideam sui quæ est in mente Dei ; nulla siquidem in hac nobilissima unione fit conversio seu mutatio essentiæ animæ aut Dei, sed utrumque extremum permanet impermixtum ; et tamen unita aliquod unum sunt, seu, ut melius et sanius dicamus, in aliquo uno conveniunt. Ideo

Almarici hæresis fugienda.

Adverto tertio, quod, licet in omnibus unionibus et unitis creatis naturalibus extrema unita se habeant per modum partis componentis unum totum, sive essentiale sive accidentale, et unum extremum se habeat per modum subjecti, alterum vero per modum formæ, hoc non potest asseri in hac mystica unione ; siquidem, licet ex parte animæ non repugnaret, et de facto in ea recipitur nedum unio, sed causa unionis, tam ex parte sui quam ex parte Dei, — quia cognitionem et amorem erga Deum in se recipit, necnon influentiam ipsius Dei, — repugnat tamen ex parte Dei qui esse nequit subjectum recipiens unionem, neque forma informans animam sibi unitam ; ideo alius modus faciendi hoc unum seu unitum indagandus est ; et pro theologis tantum loquor in hoc puncto.

Extrema non sunt ut subjectum et forma.

Adverto quarto non posse asseri quod ex hac unione et ex his unitis fiat aliquod unum sicut per unionem

Non est similis unioni hypostaticæ.

1 I Cor. VI, 16, 17.

hypostaticam ex natura humana et Verbo factus est unus Christus; quia unio in Christo fuit, et est quidem physica, subjectata in humanitate et terminata tantum ad Verbum, at non fuit, nec modo est aliqua operatio vitalis vitaliter procedens ab humanitate Christi ac vitaliter uniens. Secus est de hac mystica unione; quia, ut dictum est, per operationes vitales intellectus ac voluntatis creatæ ex parte animæ, per influentiam pariter vitalem ex parte Dei, fit hæc unio mystica, et fit hoc unitum quod quærimus.

Non consistit in unitate operationum.

Adverto quinto hoc unitum ac unum morale ex mystica unione coalescens non posse salvari per unitatem intellectionis et amoris, quod scilicet eadem formaliter sit intellectio et amor animæ cum intellectione et amore Dei; nam contemplatio qua anima intuetur Deum, et amor quo eum amat, sunt operationes creatæ, et non mutantur aut transeunt in increatas : sic intellectio et amor Dei operationes increatæ sunt, et non commutantur in creatas. Dixi, *formaliter* non sunt eædem cum divinis, nam objective possunt esse, quum respiciant idem objectum; sed sunt similes aliquo modo, ut patebit. His ergo suppositis,

Qua unitate sunt unum.

Dico : Ista duo, anima et Deus, unita moraliter per mysticam hanc unionem, faciunt seu sunt unum unitate aliqualis similitudinis in operando et unitate volendi idem objectum et ob eumdem finem.

Probatur et declaratur : Supponatur prius communis illa Philosophi doctrina, quod illa dicuntur similia quorum qualitas est una, et illa sunt æqualia quorum quantitas est una, et illa sunt eadem quorum substantia est una. Prima unitas faciens similitudinem nobis hic sufficit; nam duæ albedines, verbi gratia, in duobus subjectis sunt similes, et tam ipsæ quam subjecta alba dicuntur unum unitate specifica, et similia sunt propter eam unitatem : hoc autem bene intellecto, facile intelligitur unitas similitudinis inter perfecte contemplantem seu intuentem ac perfecte amantem Deum cum ipso Deo perfectissime se amante ac diligente; nemo enim sic assimilatur Deo

in suis perfectissimis operationibus intelligendi ac amandi se, nisi perfectus contemplativus, qui contemplatione infusa non in aliqua specie, sed in caligine Deum per dona Spiritus Sancti intuetur, eum sibi colloquentem audit et intense atque ardenter amat; ideo in hoc, quantum patitur creata conditio, similis Deo est in eo cognoscendo et amando. Analogus ergo modus ille perfectissime cognoscendi et amandi Deum, — quamvis non omnimode idem in analogatis, Deo et perfecto contemplativo, — unus est, ideoque similitudinem in extremis fundans, ita ut extrema ista, sic unita per cognitionem et amorem, sint unum unitate similitudinis.

Ista animæ et Dei similitudo in quo consistit.

Probatur secunda pars (in qua omnes conveniunt), id est de unitate volendi idem objectum. Anima enim unita jam Deo prævia contemplatione perfecta et amore perfecto ex Dei gratia, et tunc et postea in omni sua operatione se conformat Deo, et vult quod vult Deus, non solum quoad principale et primarium objectum, quod est Deus, sed quoad omnia secundaria; et sic in unitate volendi sunt similes et unum. Et hæc est illa unitas de qua loquitur S. Paulus : *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*[1]. Glossa interlinearis dicit : « Semper ejus faciens voluntatem; » Lyranus ait : « Unus spiritus non secundum rem, sed secundum affectionem. » Et S. Augustinus hunc locum expendens ait : « Unus spiritus est per caritatem[2], » adducitque in exemplum id quod de Apostolis dicitur : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una*[3]; ait S. Augustinus, per caritatem et fidem, quia id quod credebat et amabat ac volebat unus eorum, credebant, amabant et volebant omnes alii; et pro hac unitate caritatis rogabat Christus pro Apostolis : *Pater sancte, serva eos... ut sint unum sicut et nos*[4]. Igitur ex unione illa mystica inter animam Deo copulatam per contemplationem perfectam perfectumque amorem et ipsum Deum,

Unitas volendi.

Unitas animarum per caritatem.

Unitas objecti.

1 I Cor. VI, 17. — 2 Aug. *In Joann.*, tr. 14. — 3 Act. IV, 32. — 4 Joann. XVII, 11.

id quod ex istis extremis resultat est unum seu simile in operando et volendo unum et idem objectum tam primarium quam secundarium; quia, ut ex sequenti capitulo de effectibus unionis istius patebit, anima sic unita tota in Deum absorpta ac transformata est; quasi stupida et, ut mystici dicunt, ebria, de nullo creato cogitat, sed rerum omnium et suimet oblita, solum cogitat de Deo et quomodo possit ei placere, voluntatem ipsius in omnibus, quantum fieri potest, adimplendo.

Unitas finis. Tertia pars, de unitate finis, pariter probatur; unus enim et idem finis respicitur ab anima unita Deo in operando quem Deus ipse respicit, nempe ipsemet Deus, qui *universa propter semetipsum operatus est* [1]. Anima autem sic unita Deo semper propter Deum operatur, vel actualiter eum respiciens, vel saltem virtualiter, et hoc modo implet Christi præceptum : *Oportet semper orare et non deficere* [2], et S. Pauli : *Sine intermissione orate* [3]. Neque ego video in quo alio salvari possit hæc unitas, quam faciunt hæc duo moraliter unita : anima et Deus.

CAPITULUM VI.

DE PROPRIETATIBUS ET EFFECTIBUS PRÆCIPUIS MYSTICÆ UNIONIS.

Adverto quod mystici, sive propria experientia sive ex confessione servorum Dei qui effectus hujus unionis cum Deo experti sunt, multas dignasque illius referunt proprietates quæ perfectum et heroicum describunt hominem viatorem Deo unitum; et quia aliqui aliquas proprietates et effectus referunt, alii alios, eorum dicta brevibus referemus, aliqua hic, et alia postea.

[1] Prov. xvi, 4. — [2] Luc. xviii, 1. — [3] I Thess. v, 17.

S. Bonaventura hæc de unione ista refert : « Hæc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita inhærere Deo ut, tota anima cum omnibus potentiis suis et viribus in Deum collecta, unus spiritus fiat cum eo, ut nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat vel intelligat nisi Deum, et omnes affectus in amoris gaudio uniti in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant. Imago enim Dei in anima tribus ejus potentiis expressa consistit, videlicet in ratione, memoria et voluntate : quamdiu istæ non sunt ex toto Deo impressæ, non est anima deiformis ; forma enim animæ Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum. Hoc nunquam plene fit, nisi quum ratio perfecte, juxta capacitatem suam, illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas, et voluntas perfecte afficitur ad amandum summum bonum, et memoria plene absorbetur ad intuendam et tenendam et fruendam summam felicitatem; et quia in horum consummata adeptione constat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria, liquet quod istorum perfecta inchoatio est perfectio viæ in hac vita[1]. » Hæc S. Bonaventura. S. Bonaventura multos effectus refert.

S. Bernardus de anima sponsa Deo unita, petente osculum Sponsi, id est perfectionem ac perseverantiam unionis, inducit eam sic ad Sponsum alloquentem, multis aliis præmissis : « Rogo, supplico, flagito, *osculetur me osculo oris sui*[2]; » et interim narrat Sponsa quid operatur : « En gratia ipsius multis jam annis caste sobrieque vivere curo, lectioni insisto, resisto vitiis, orationi incumbo frequenter, vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ ; sine querela me arbitror, quantum in me est, conversari inter fratres ; superioribus potestatibus subdita sum, egrediens et regrediens ad imperium senioris ; aliena non cupio, mea potius et me pariter dedi ; in sudore vultus mei comedo panem meum ; mandata forsan utcumque adimpleo ; sed anima mea sicut terra sine aqua in illis : ut igitur holocaustum meum pingue fiat, oscule- S. Bernardus refert alios.

1 Bonav. *De prof. Relig.*, lib. II, c. 71. — 2 Bern. *In Cant.*, serm. 9.

tur me osculo oris sui[1]. » Hæc ergo omnia bona operatur anima habitualiter Deo unita, cupiens frequentiam unionis actualis et osculi divini.

Secundum Gersonem per eam habetur beatitudo hujus vitæ.

Joannes Gerson mira de hujus unionis perfectionibus dicit, et præsertim quod beatitudo quæ in hac vita haberi potest per hanc unionem obtineatur. Referam ejus verba : « Per prædictam amorosam unionem, in qua mystica theologia consistere videtur, anima quietatur, satiatur et stabilitur in Deo. Facile est hanc considerationem ex priori deducere[2]. » Et assignat rationem horum quæ dixit, inquiens : « Nam quum res quælibet sit in quiete dum perfectionem suam adepta est illique conjuncta, et spiritus noster unitur et conjungitur summo perfectibili per amorem perfectum, ut exinde quietetur, satietur et stabiliatur necesse est; sic materia in forma habita, sic lapis in centro positus, sic res quælibet in adepto fine suo quietatur. Anima quippe rationalis, dum conjungitur et unitur Deo, copulatur suo summo bono; est enim Deus summum bonum ejus, est centrum ejus, finis totaque ipsius perfectio[3]. » Et post multa inquit[4] : « Oportet igitur ut, his viribus satiatis per conjunctionem cujuslibet cum suo supremo appetibili, anima rationalis totaliter satietur, quietetur et stabiliatur; nam si delectatio in bono conveniente et voluptatis suavitate quæritur, quid de anima voluptate (beata maxime) sentiendum est? Audiamus quid Propheta dicit ad Dominum : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*[5]. » Et post alia sequitur : « Deus ergo finis est animæ et ejus ultima perfectio; ipse est velut centrum et locus naturalis omnium desideriorum suorum. Dum ergo in se deficit anima in salutare Dei, velut ad nihilum redacta, nulli jam alteri nec sibimet innititur, sed soli Deo, ut suæ dulcedini, ut suæ veritati, ut suæ glorificationi : dicens pro primo : *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum*[6]; dicens pro secundo : *Non judicavi me scire aliquid... nisi*

1 Bern. *In Cant.*, serm. 9. — 2 Gerson *De myst. theol.*, consid. 42. — 3 *Ibid.* — 4 *Ibid.* — 5 Ps. XXXV, 9. — 6 Ps. LXXVI, 3, 4.

Jesum Christum[1], factus stultus propter ipsum ; dicens pro tertio : Utinam *qui gloriatur, in Domino glorietur*[2]. Ac proinde non habens quo ulterius tendat aut quid ultra requirat, quietatur anima in Deo atque stabilitur, possidens in eo omnia, ceteraque contemnens atque parvipendens[3]. » Ita Gerson. Hæc ergo sunt bona quæ connexa sunt mysticæ unioni animæ cum Deo, nec aliter esse aut dici potest; nam anima beata, unita Deo per visionem et fruitionem seu amorem ejus, possidens Deum, possidet omne bonum : et ideo, cum Boetio, beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quia per eam possidetur Deus infinite bonus, continens eminenter omnia alia creata et creabilia bona ; igitur si perfectus contemplativus, ut supponitur, unitur Deo per talem cognitionem et talem amorem quibus dari non possunt perfectiores in hac vita, possidet Deum infinite bonum eo modo quo potest perfectius in hac vita possideri, et sic beatitudinem viæ possidet ut arrham beatitudinis patriæ, et in ea unione perfecte pro via quietatur, nihilque remanet quod possit ab eo desiderari.

Paritas de beatitudine cœlesti.

Alia plura de effectibus mysticæ hujus unionis dicit Gerson[4], sic : « Hæc est *pax... quæ exsuperat omnem sensum*[5], quam mundus dare non potest; solus Spiritus Domini est qui replet in bonis desiderium nostrum, qui dat manna absconditum, quo Propheta pastus eructat : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te*[6] ! Hic est calculus filiorum Israel, habens *nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit*[7]. Hic in divinam caliginem instar Moysis vocatur spiritus ; hic in sibilo auræ tenuis sentitur Dominus; hic in thalamo dormit et requiescit Salomon pacificus, et *Benjamin adolescentulus in mentis excessu*[8]. Hic gustatur favus mellis : *favus* propter illuminationem intellectus,

Alii ex Gersone præclari effectus.

1 I Cor. II, 2. — 2 *Ibid.* I, 31. — 3 Gers. *loc. cit.* — 4 *Id.* Serm. *De Spir. S.*, consid. 2.— 5 Philipp. IV, 7. — 6 Ps. XXX, 20. — 7 Apoc. II, 17. — 8 Ps. LXVII, 28.

mel propter dulcorationem affectus. Hic Moyses mysticus ducit gregem virium suarum in interiora deserti; hic sedet solitarius et levat se supra se, ubi Dominus loquitur ad cor ejus. Hic dicit Petrus: *Bonum est nos hic esse*[1]; et Philippus: *Sufficit*[2]; et Maria Magdalena: *Vidi Dominum, et hæc dixit mihi*[3]. Hic introducitur anima *in cellam vinariam*[4], ubi bibit ebriam sobrietatem spiritus, ubi suspirabunda epithalamium canens verba dimidiat: *Dilectus meus mihi,* ait, *et ego illi*[5]*; ego dormio, et cor meum vigilat*[6]. Hic obtestatur dilectus de dilecta: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*[7]. » Magna certe, sed digna sanctæ hujus unionis elogia hæc sunt.

Alia plura ex eodem.

Sed alia plura idem auctor hujus conjunctionis animæ cum Deo recenset encomia, dum *Super canticum Magnificat* inquit sic: « Unio hæc dicitur mansio Dei in homine et hominis in Deo; dicitur vivificatio et habitatio vitæ æternæ, saltem in radice, ut hic; vivet in æternum, quia suam gratiam habet; dicit autem Apostolus quod *gratia Dei* est *vita æterna*[8]. Dicitur et osculum oris Sponsi, quod petit Sponsa. Dicitur lac, et vinum, et unguenta, et oleum effusum. Dicitur introductio in cellaria, conjunctio dilecti inter ubera sponsæ tanquam fasciculus myrrhæ. Dicitur suus decor, sua quies in lectulo florido. Hoc est *donum perfectum desursum descendens*[9], non ascendens de deorsum. Hæc est sapientia divinitus inspirata cum suis laudibus universis, hoc divinum silentium, hoc sibilus auræ tenuis, hoc susurrium verbi absconditi; et ut ad unum colligamus innumera, quidquid sonat mansionem vel habitationem vel inhæsionem vel unitatem unius corporis et unius spiritus, animæ cum Deo, sponsæ cum sponso, unicæ cum unico, unico vocabulo datur intelligi, quod est manere in Christo per mutuum gratiæ complexum[10]. »

[1] Marc. IX, 4. — [2] Joann. XIV, 8. — [3] *Ibid.* XX, 18. — [4] Cant. II, 4. — [5] *Ibid.*, 16. — [6] *Ibid.* V, 2. — [7] *Ibid.* VIII, 4. — [8] Rom. VI, 23. — [9] Jac. I, 17. — [10] Gers. *Super cant. Magnificat,* tr. 9.

S. Gregorius Nazianzenus, ut retuli supra [1], inquit talem esse hujus sanctæ unionis virtutem, ut sicut stilla aquæ multo vino infusa a se tota deficit et saporem vini induit et colorem, et sicut ferrum ignitum et candens igni simillimum fit, pristina et propria forma exutum, et sicut aer solis luce perfusus in eamdem claritatem luminis transformatur, ut non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur, sic, concludit, anima Deo intime unita, in sanctis omnem humanam affectionem a se elongari necesse est, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

S. Gregorii Nazianzeni comparationes.

Plura de effectibus istius sanctæ unionis cum Deo narrat diversis in locis S. Macarius. Primo in Homilia quarta post multa ait : Anima illum ignem cœlestem divini atque spiritualis amoris consecuta, tunc vere a mundo exsolvitur et ab omni vitio affectionum liberatur, et cuncta procul a se repellit, mutato naturali ipsius habitu atque peccati duritie, reliqua omnia pro superfluis habens, in solo Sponso cœlesti, quem recepit, quiescens per ardentem et inenarrabilem ipsius dilectionem. Et post alia, sumpto argumento de carnali amore qui hominem adeo mutat ut quasi infatuet, ait : Si ergo carnalis dilectio sic hominem solvit ab omni alio amore mundi, quicumque digni habiti sunt ut sancti, cœlestis et semper amandi illius Spiritus vere participes fierent, et cuncta videbantur eis inutilia, qui victi sunt a desiderio cœlesti, et in ipso casu illi spiritui uniti ; nam quæ illic sunt desiderant et cogitant, illic vivunt, illic cogitationes inambulant, ibi mens assidue versatur divino et cœlesti amore, atque desiderio spirituali superata. Secundo in Homilia octava addit : Interdum lumen ipsum cor illustrans aperit interius et profundius latens lumen, ita ut totus homo, absorptus ab illa suavitate et contemplatione, non sit ultra sui compos ; sed sit tanquam stultus et barbarus huic mundo propter immensam dilectionem ac suavitatem atque recondita mysteria, ita ut tunc temporis homo liber perveniat ad perfe-

S. Macarii dicta.

Anima unita Deo quid operetur.

1 Cap. 3.

ctum gradum, sitque purus atque immunis a peccato. Tertio in Homilia decima ait : Hujusmodi animæ, quæ tam ardenti ac insatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ sunt vita æterna; quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminationem et participationem sancti et æterni Spiritus ac mysticæ societatis in plenitudine gratiæ. Quarto in eadem Homilia post multa inquit : Porro anima, quæ Deum vereque Christum colit, etiam si infinita justitiæ opera ediderit, ita se habet perinde ac si nihil egisset, propter inexplicabile desiderium quod habet erga Dominum; quæ, licet jejuniis aut vigiliis corpus consumpserit, ita affecta est ac si nondum quidquam agere cœpisset quod ad virtutes pertineat. Et si varia Spiritus charismata aut revelationes ac mysteria cœlestia consequi meruerit, propter immensam et insatiabilem erga Dominum dilectionem, ita se gerit apud se ac si nihil adhuc obtinuerit; sed quotidie esuriens ac sitibunda, per fidem et caritatem perseverans in oratione, immodice ad mysteria gratiæ et ad omnium virtutum gradus adspirat, cœlestis Spiritus amore vulnerata, ardenti desiderio erga Sponsum cœlestem per gratiam, qua prædita est, agitata, desiderans habere perfecte mysticam et arcanam cum eo societatem in sanctificatione spiritus revelata animæ, fixis semper oculis intuens Sponsum cœlestem facie ad faciem, beneficio spiritualis et mirabilis luminis in eo per dulcedinem fidei plene demersa, configurata menti ipsius præ summo desiderio quo sperat perpetuo pro Christo mortem appetere, confidens sine dubio per gratiam Spiritus se plene liberatam a peccato et tenebris affectionum, ut purificata per Spiritum, et anima et corpore sanctificata, vas purum evadere mereatur ad suscipiendam cœlestem unctionem, in qua manere dignetur cœlestis ac verus Rex Christus. Hæc ille.

Omnia bona opera quæ facit videntur ei parva et nullius momenti.

S. Gregorius de hac unione.

S. Gregorius Magnus de hac mirabili conjunctione animæ cum Deo ejusque effectibus pluries loquitur. In primo Canticorum ait : « *Osculetur me osculo oris sui*[1]*;*

[1] Cant. 1, 1.

ac si diceret : Ille quem super omnia, imo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat ; quia, quum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe sancta mens omnia quæ per corpus sentit, et in illa spiritualia tota transmutari concupiscit et, dum ista obstrepunt, in illa fugit atque abscondere, ne hæc sentiat, appetit ; ideoque osculum Sponsi quærit, quia, si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc, vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat omnino non invenit ; sed pius Sponsus, anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, votum exaudiens, osculum porrigit ; et, ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit, et, dum suam præsentiam exhibet, eam ad majus delectationis osculum accendit ; unde hæc, illum sentiens, ad eum se convertit, et quem præsentem habet, mox gaudens, voce mutata alloquitur et dicit : *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*[1]. »

S. Gregorius Magnus de hac unione.

Iterum S. Gregorius Magnus de effectibus sanctæ hujus unionis hæc habet : « Prius a mentis acie, exurente tristitia interposita, malorum caligo detergitur, et tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Quo utcumque conspecto, in gaudio cujusdam securitatis absorbetur, et, quasi post defectum vitæ præsentis, ultra se rapta, in quadam novitate aliquo modo recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris adspergitur ; ibi non se sufficere ad id quod rapta est contemplatur, et veritatem sentiendo, videt quia quanta est ipsa veritas non videt. Cui veritati tanto magis se longe existimat quanto magis appropinquat, quia nisi illam utcumque conspiceret, nequaquam eam se conspicere non posse sentiret[2]. » Et cetera plura ibi dicit S. Gregorius.

Ex Hugone de S. Victore magna vis hujus unionis.

Hugo de S. Victore inter alia quæ dicit de hac unione animæ cum Deo et de illius effectibus mirabilibus, sunt

1 Cant. I, 1, 2. — 2 Greg. Mag. *Moral.* XXIII, c. 6.

hæc : Nihil sensualitas, nihil agit imaginatio, sed omnis inferior vis animæ proprio interim (id est dum supernaturaliter contemplatur et diligit ardenter Deum) viduatur officio ; purior autem animæ pars in illud intimæ quietis secretum et summæ tranquillitatis arcanum felici jucunditate introducitur ; *vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* [1]. Et ideo nihil in creaturis hac divisione mirabilius cernitur, ubi id quod essentialiter unum est atque indivisum in seipsum scinditur, et quod simplex in se est et sine partibus constat, quasi quadam partitione dividitur. Neque enim in homine uno alia essentia est ejus spiritus atque alia est ejus anima, sed prorsus una eademque simplicis naturæ substantia ; sed gemina vis ejusdem essentiæ, una superior per spiritum, altera inferior per animam designatur. In hac itaque divisione anima et quod animale est, in imo remanet ; spiritus autem et quod spirituale est, ad summa evolat, ab infimis scinditur, ut ad suprema sublimetur. Ab anima scinditur ut Domino uniatur, quoniam qui adhæret Deo unus spiritus fit cum illo. Felix divisio et mirabilis separatio, ubi quod corpulentum et fæculentum est deorsum remanet, quod spirituale et subtile est usque ad speculationem divinæ gloriæ sublimatur et in eamdem imaginem transformatur. Pars inferior componitur ad summam pacem et tranquillitatem, pars autem superior ad gloriam et jucunditatem. Hæc munera sunt unionis mysticæ proprietates ac effectus ex Dei dono.

Richardus alia multa ac mira dicit de hac unione.

Alia et multo clariora ac stupenda de hac unione dicit Richardus de S. Victore super illud Psalmi : *In pace in idipsum dormiam et requiescam* [2], inquiens : « Pax illa, per quam et in qua anima obdormit, per quam exteriorum omnium interim memoriam amittit, per quam ipsa sibi in oblivionem venit, per quam seipsam supergressa tota in Deum transit, pax, inquam, illa quid aliud esse videtur

[1] Hebr. IV, 12. — [2] Ps. IV, 9.

quam internum illud verum et plenum gaudium, quædam, ut sic dicam, supereffluentia spiritualium deliciarum, mira scilicet et ineffabilis quædam satietas cœlestium desideriorum [1] ? » Et post multa inquit : « Contemplationem admiratio, admirationem vero sequitur exsultatio. In hac autem exsultatione perfunditur animus mira quadam et ingenti dulcedine, quam nullus sensus potest æstimare, nullus sermo valet explicare ; quum enim cœlestis ille Sponsus Sponsæ suæ caritatis amplexibus conjungitur et ad ejus osculum inclinatur, ad ejus attactum subito cœlesti quadam dulcedine animus perfunditur, quam quidem sentire potest, sed nulla sermonis latitudine explicare potest. Ille enim divinorum labiorum favus distillans fixis Sponsæ labiis fortiter expressus, incipit distillare dulcedinem et emanare suavitatem. Influens itaque ille cœlestis suavitatis dulcor incipit quidem primo Sponsæ interiora replere, postmodum autem usque ad os effluere, tandem vero per labia emanare, in tantum ut a Sponso suo statim audire mereatur : *Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua* [2], eo quod ex abundantia cordis os loquatur [3]. » Hæc Richardus.

Dulcedo et suavitas unionis explicari nequeunt.

De hoc osculo Sponsi pluries et distincte loquitur Joannes Gerson quum hoc osculo declaretur mystica unio ejusque effectus, tam in actuali quam in habituali unione. Primo enim ait : « Amor expositus in Canticis Canticorum fruitio Dei vel osculatio oris nominatur aptissime, non solum habitualis et tepida, sed actualis, fervens et extatica, et præcipue seraphica, cujus est immediate ferri in Deum, quamvis ex parte animæ concurrat multitudo habituum et influentiarum ; *omne* præterea *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* [4] *:* quæ omnia tanquam virtus univoca (tradente Dionysio) replent et restituunt et convertunt ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem,

Per osculum declaratur unio et illius effectus.

1 Rich. de S. Vict. *In psalm.* IV. — 2 Cant. IV, 11. — 3 Rich. *loc. cit.* — 4 Jac. I, 17.

ubi tunc apex vel seraph mentis ineffabili et ignoto Deo infallibiliter et ignote conjungitur : ignote quidem quia infinite et immense, quum virtus cognoscentis et actus prout et natura sint finiti[1]. » Et post pauca : « Osculum Sponsi vel osculatio est dignissima impressio cujusdam suavitatis et intimæ consolationis per illapsum secretum in anima[2]. » Et infra : « Et in statu præsenti Deus gerit amicitiam erga animam sanctam, quia communicat illi seipsum et amorem suum et dona sua ad fruendum et utendum et universaliter pertractandum, quantum ipsa rationabiliter voluerit et potuerit accipere, plus vel minus pro varietate statuum in quibus est constituta[3]. »

Quid sit osculum, et quid facit in anima.

Idem Gerson de hoc osculo et unione et amore Sponsi ad Sponsam et e contra ait : « Amor non est nisi convenientia et adaptatio rei ad suum conveniens. Porro nullum est objectum convenientius Sponsæ quam ipse Deus, summum bonum, ad quod capiendum et possidendum facta est. Quare superest, dum sibi conjungitur, inhæret et unitur tanta propinquitate quanta sunt os et os osculantia se mutuo, quod causatur ex hac unitionis perceptione delectatio non qualiscumque, sed in suo genere suprema, quia superius esse bonum non potest : propterea quietatur, gaudet et lætatur in hac unica operatione, nullum aliud objectum petens, quamvis ipsius continuationem possessionemque securam amare non cesset[4]. »

Ratio cur unio tanta bona efficiat in anima.

Idem Gerson de hac unione ejusque dignis effectibus sic loquitur : « Mansionis hujus convenientiam gratuitam profecto felix qui possederit habitualiter, felicior qui actualiter cum habitu, sed felicissimus qui *revelata facie* transformatus fuerit *in eamdem imaginem... a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu*[5] actus, ductus et tractus, ita quod sentiat per *illuminatos oculos cordis*[6], sicut precatur Apostolus, *supereminentem scientiæ caritatem Christi*[7], hoc est, gratiam hanc conjungentem et

Modus diversus habendi unionem.

1 Gerson *Tract. Sup. Cant.*, consid. 3. — 2 *Ibid.* — 3 *Ibid.* — 4 *Id. Sympsalma I in Cant.*, propr. 2. — 5 II Cor. III, 18. — 6 Eph. I, 18. — 7 *Ibid.* III, 19.

caram unitatem ad simplificam Deitatem. Multi quidem sunt qui habent in habitu, sicut pueri noviter baptizati, multi qui in actu possident et exercent dum merentur, sed paucissimorum est sentire distincte et aperte nexum istum, mansionem istam, vocem istam, propter occursationes curarum in memoria, phantasmatum in intelligentia et concupiscentiarum in affectiva. Sentiunt hanc gratiam inhabitationis Christi et Spiritus Sancti qui cum Apostolo mente excedunt Deo; præterea sentiunt operationem intra se Verbi Dei [1]. » Hæc doctissimus auctor; et alia plura in aliis locis diffuse de hac unione et effectibus ejus refert.

Angela de Fulgineo de hac unione.

Qui vero plura de sanctæ hujus unionis effectibus ac proprietatibus scire vult ab expertis in ea, legere poterit quæ se expertas fuisse, suorum confessariorum jussu, scripta reliquerunt beatæ virgines Angela de Fulginio et Theresia de Abula, quorum fragmenta retulimus supra [2]. B. Angela enim, præter ea quæ dicit in capitulo vigesimo septimo suorum scriptorum de visionibus et modo videndi in contemplatione, et de difficultate enarrandi illa visa et modum videndi, quæ certe mirabilia sunt et maxima cum humilitate relata, in capitulo quinquagesimo secundo refert effectus mirabiles qui ex Dei dono in anima perfecte Deo unita producuntur. Sic autem ait : « Scien-

Dubium deceptionis.

dum est quod venit Deus in animam quandoque non vocatus, nec deprecatus seu rogatus ab ipsa, et ponit in anima unum ignem, unum amorem, unam suavitatem alias inconsuetam, in qua multum delectatur et gaudet, et credit quod hoc sit a Deo ibi præsentialiter operante ; tamen hoc non est certum. Item cognoscit anima Deum esse in ea, quia, quamvis non videat ipsum esse in anima, videt tamen gratiam suam esse in anima, in qua multum delectatur; et tamen adhuc non est certum. Item cognoscit quod Deus venit ad eam, quia Deus loquitur ei verba

1 Gerson *Tract. IX sup. Magnif.*, partit. 4. — 2 Opusc. IV, c. 5 ; VII, c. 17, 18.

dulcissima, in quibus verbis anima multum delectatur ; et sentit cum sentimento valde delectabili, in quo sentimento anima valde delectatur. Sed adhuc remanet aliquod dubium, quamvis sit parvum ; adhuc enim anima nec perfecte nec ex toto est certa si Deus est in anima, quia tales locutiones etiam cum sentimentis possunt fieri ab alio spiritu ; remanet enim dubium sibi ; et videtur mihi quod hoc accidat aut propter multam malitiam et defectum ejus aut propter Dei voluntatem, quia non vult Deus eam facere magis certam nec securam. Certificatur autem anima quod Deus est intus in ea quando sentit eum aliter quam consuevit, et sentit eum notabili et duplicato sentimento, et cum tanto amore et igne divino quod aufertur ei omnis amor animæ et corporis, et loquitur et cognoscit et intelligit ea quæ nunquam audivit ab aliquo mortali, et intelligit ea cum magno lumine ; et est ei maxima pœna tacere illa ; et si tacet, tacet propter zelum, ne displiceat amori et ne scandalizet, et propter humilitatem, quia non vult dicere ita altissima, ne notetur. Item in illo sentimento quo anima certificatur quod Deus omnipotens est in ea, datur animæ ita perfecte velle quod concordat in hoc tota anima veraciter et in omnibus et omnimode, et concordant cum anima omnia membra corporis, et fiunt unum cum anima veraciter, nec repugnant voluntati ejus, et vult perfecte ea quæ Dei sunt, quæ tamen ante veraciter non ex toto volebat. Et istud velle datur per gratiam, in quo cognoscit anima Deum omnipotentem esse in se, et dat ei securitatem ; datur enim animæ velle Deum et quæ Dei sunt veraciter ad similitudinem amoris veracis, sicut Deus dilexit nos ; et sentit anima quod Deus immensus est mixtus secum et fecit societatem cum ea.

Quomodo certificabatur quod Deus loquebatur.

Effectus varii.

« Item quando venit altissimus Deus ad animam rationalem, quandoque datur ei ut eum videat, et videt sine forma corporali in se, et videt eum clarius quam possit homo mortalis videre alium hominem mortalem ; oculi enim animæ vident unam plenitudinem spiritualem, non corpo-

Unio quid operatur.

ralem, de qua non possum aliquid loqui, quia deficiunt verba et imaginatio. In illo autem videre delectatur anima delectatione ineffabili, et tunc anima ad nihil aliud respicit nisi ad illud ; est enim id quod replet animam inæstimabiliter. Et istud respicere et videre est ita profundum quod doleo quia nequeo aliquid manifestare ; non enim est res tangibilis nec imaginabilis, sed est inæstimabilis [1]. »

Duo modi cognoscendi Deum.

Sequitur narrare mirabilia Dei quæ in hac unione accidere solent, inquiens : « Cognoscit anima quod Deus est in ea sine dubio multis modis, de quibus dicamus duos. Unus est una unitio, quæ ita subito renovat animam, et omnia corporis membra reddit mansueta et cum anima concordantia, quod non potest tangi vel lædi ab aliquo quo turbari possit anima in modico, et sentit et audit quod loquitur ei Deus. Et in ista tanta et ineffabili unctione intelligit anima certissime et sine dubio quod Deus omnipotens est in ea ; illud enim non potest facere aliquis Sanctus vel Angelus de paradiso ; et est hoc tam ineffabile quod multum doleo quia non possum aliquid dicere in comparatione ; et Deus mihi parcat quia hoc non facio libenter, quia ex toto corde libenter manifestarem aliquid de bonitate ejus, si possem et ei placeret.

Amplexus spiritualis.

« Alius modus quo anima rationalis cognoscit Deum omnipotentem esse intus in se, est una amplexatio quam facit Deus animæ, quia nunquam pater nec mater filium, nec aliqua alia persona cum tanto amore amplexari potest aliam personam, sicut Deus omnipotens amplexatur animam rationalem ; cum tanto enim amore Dominus noster Jesus Christus indicibiliter amplexatur et stringit animam ad se, et cum tanta dulcedine et suavitate quod non credo quod aliquis homo de mundo possit dicere nec exprimere nec credere expertus ; et quamvis possit forsitan aliquis credere aliquid, non tamen illo modo. Apportat enim Jesus Christus in animam amorem suavissimum, quo tota ardet

[1] Angel. de Fulg. *Scrip.*, c. 52.

in Christo ; et apportat secum unum lumen tam magnum, quo intelligit tantam plenitudinem bonitatis Dei omnipotentis, quam probat in se quod multo plus intelligit quam experiatur in se ; et tunc assecuratur et certificatur quod Jesus Christus est in ea. Sed nihil dicimus de omnibus istis in comparatione ad ea quæ sunt. Tunc autem anima non habet lacrimas nec lætitiæ nec doloris nec alicujus alterius generis nec alterius status... Item apportat Deus secum in anima tantam superplenitudinem lætitiæ quod anima nescit plus petere, imo si duraret, hic haberet unum paradisum. Et hæc lætitia resultat et redundat in omnibus membris corporis ; et omnis injuria quæ infertur aut dicitur, habetur pro nihilo et efficitur dulcis ; et propter talem alterationem factam in corpore, aliquando non potui latere sociam meam neque alios quia aliquando efficior (ut dixit mihi socia mea) resplendens et tota rubicunda, et oculi mei lucentes ad modum candelæ, aut pallida quasi si fuissem mortua, secundum varietatem visionum et revelationum [1]. »

Aliquos effectus parit in corpore.

Hæc et alia plura B. Angela fatetur suo confessario se expertam, ex summo Dei beneficio, ob unionem sibi a Deo impertitam in actibus contemplandi et diligendi sanctissimum et dulcissimum suum divinum Sponsum.

S. Theresiæ relatio de effectibus perfectæ unionis cum Deo.

Nec minoris considerationis sunt quæ alia Christi sponsa eique perfecte unita refert S. Theresia in sua *Vita* et *Via perfectionis,* quorum aliqua retulimus supra [2]. *In Mansione quinta* dicit : « Postquam Deus animam reddit insipientem, hoc est alienam a sensibus, ut altiori modo fiat particeps veræ sapientiæ, ita ut pro illo tempore quo extasim patitur (quod est brevissimum) nec videt nec audit nec intelligit ; ita ut Deus ipse affigitur et inhæret interiori illius animæ parti, ut ad seipsam reversa omnino sit certa Deum in se et ipsam in Deo fuisse. Et hæc veritas ita firma et stabilis manet ut, etiamsi nunquam amplius similem a Deo gratiam recipiat, nunquam tamen

[1] Angel. de Fulg. *loc. cit.* — [2] Opusc. IV, c. 5 ; VII, c. 17.

obliviscatur [1]. » Deinde objicit sibi : « Dices : Qua ratione anima nostra Deum vidit aut intellexit, si in hac unione, ut dictum est, nihil videt aut intelligit? Respondeo me non dicere quod in unione ipsa tunc videat Deum, sed quod, transacta unione, aperte videat Deum in ipsa fuisse; non quod ista sit visio, sed potius quædam certitudo quæ in anima manet de illo contactu seu unione : quam certitudinem solus Deus potest infundere animæ. Et illum in quo hæc certitudo non manserit vere affirmarem non pervenisse ad perfectam unionem [2]. » Et alio loco, de hac unione pariter loquens, inquit : « Tandem, quum Deus incipit misereri afflictionum et laborum quos anima quam spiritualiter sibi in sponsam elegit passa est propter amorem suum, antequam celebretur matrimonium spirituale, — quod licet in hac vita ingens sit donum, non tamen ex omni parte perficitur, quia in hac vita a Deo semper separari potest, — eam in sua mansione collocat, qui eodem modo in cœlo ac in anima propriam mansionem in qua ipse immoretur sibi elegit. Non autem divina Majestas sicut ante in raptibus præfatis collocandam assumit, quia, etiamsi verum sit quod in ipsis ac etiam in oratione unionis prælibata hanc mansionem præoccupat Deus ac tunc ipsam animam secum copulat, non tamen animæ visum est ad hoc vocari ut ad centrum suum ac si alia esset, sed tantum partem superiorem ingreditur. At parum refert an hoc fiat uno vel alio modo. Illud scitu dignum erit, magnum videlicet inter spirituale matrimonium et sponsalia discrimen versari, sicut versatur inter sponsos et inter eos qui ab invicem separari nullatenus possunt. Has appono comparationes non ideo ut hic aliqua de corpore detur recordatio eodem modo ac si anima in illo non esset, sed tantum in solo spiritu; ac multo magis in spirituali matrimonio, quoniam in interiori centro animæ hæc arcana unio celebratur, ubi Deus ipse perpetuo inhabitat [3]. » Hæc S. Theresia.

Signum perfectæ unionis

Quæ facit Deus animæ unitæ.

Sponsalium a matrimonio spirituali differentia.

Ther. *Mans.* 5, c. 1. — [2] *Ibid.* — [3] *Id. Mans.* 7, c. 1.

Quæ inferuntur ex S. Theresia.

Ex quibus patet quod duos perfectæ hujus sanctæ uniones modos admittit, unum altero perfectiorem magisque unientem et alligantem, unum fere insolubilem, alterum solubilem, cosque comparat matrimonio et sponsalibus, quorum primum indissolubile est inter homines, posteriora vero solubilia. Quæ quidem S. Theresiæ dicta in consolationem contemplativorum sunt valde ponderanda, quum possit aliqua anima in hac vita ex Dei gratia ita Deo uniri ut ex ejusdem Dei beneficio hic nunquam aut difficile ab illo etiam in hac vita separetur. Prius tamen dixit quod quælibet unio potest separari ; et ita est.

Differentiæ duæ inter has uniones.

Deinde, in eadem *Mansione* et capitulo, declarat discrimina inter has duas uniones, scilicet sponsalitii et matrimonii, animæ contemplativæ perfectæ cum Deo, inquiens : « Primum discrimen erit, quod in raptu sive unione potentiæ suspenduntur, anima cæca et muta remanente, nec percipere valet quæ et qualis est gratia qua fruitur; quoniam illa ingens delectatio (de qua supra mentio facta est) quam anima experitur quando conspicit se habere Deum, dum jam ipsi copulatur nihil penitus sentit, quum potentiæ omnes deperdantur. Hic valde diverse res se habet : vult siquidem ibi Dominus Deus squamas ab oculis evellere, et ut de gratiis et donis ab ipso collatis aliquid anima et videat et intelligat, etiamsi modo mirabili id fiat; eo quod in hac mansione (in qua Deus per matrimonium copulatur) constituta, visione intellectuali per modum repræsentationis veritatis, sanctissima Trinitas, id est tres Personæ eidem manifestantur cum quadam inflammatione, quæ prius spiritum ejus ad similitudinem perlucidissimæ nubis perlustrat, ac admirabili quadam notitia unius substantiæ, unius potentiæ, unius sapientiæ ac unius divinitatis tres Personas esse cognoscit ; et ita, id quod fide intelligimus, ibi anima, ut ita dixerim, visu percipit : non tamen oculis corporis hæc visio efformatur, quum non sit imaginaria visio. Neque hoc tantum, sed ibi totæ tres Personæ ei communicantur, eamdem alloquuntur, ac Evangelii verba, *Pater meus diliget eum, et*

ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus[1], eidem experientia ipsa manifestantur[2]. » Hæc sancta virgo Theresia; et alia multa dicit in sua Vita[3].

Dignitas mysticæ unionis.

Ex quibus omnibus Sanctorum et aliorum piorum dictis clare patet quanta sit et excellentissima dignitas mysticæ unionis istius quam acquirit anima perfecte purgata et illuminata per contemplationem infusam, quæ, prædita dono intellectus et dono sapientiæ in caligine, absque specie repræsentante intuetur Deum ignotum, id est obscure, perfectissimo modo quo potest in via intueri, et ardentissima caritate eum diligit, eum loquentem interne audit et quasi tangit, licet clare non videat. Hæc, inquam, est præcellentissima unio quam præelectæ animæ experiuntur; et quia non omnes eodem modo, nam Deus prout vult exaltat, ideo sit

CAPITULUM VII.

AN HÆC UNIO MYSTICA ADMITTAT GRADUS, SEU MAGIS AC MINUS.

Diversi gradus mysticæ unionis.

Adverto quod omnes mystici docent in unione hac mystica dari gradus quosdam minoris aut majoris perfectionis qui ex effectibus cognoscuntur, eo quia ex Dei liberalitate, pro diversitate tamen suorum incomprehensibilium judiciorum, alicui animæ unitæ aliquos et sublimes impertitur favores, alteri plures ac sublimiores, tam in cognoscendo quam in amando seu fruendo, tam in elevatione a creaturis et in oblivione suimet quam in adhæsione ad ipsum Deum. Ideo ipsimet mystici asserunt quod unio ista mystica, ex perfecta ac infusa contemplatione ut ex perfecto ac infuso amore seu fruitione Dei

1 Joann. xiv, 23. — 2 Ther. *loc. cit.* — 3 *Id. Vita*, c. 14, 15.

exorta, aliquando ad talem pervenit gradum ut dici debeat spirituale sponsalitium tantum inter Deum et animam sic contemplantem et amantem Deum, aliquando vero ad altiorem et magis copulantem gradum, ut dici possit spirituale matrimonium, ex similitudine talium contractuum inter homines.

Quædam unio sobria, quædam ebria.

Adverto secundo ex eisdem mysticis, quod ex unione hac mystica, per dictam infusam perfectam contemplationem perfectumque amorem, tales in aliquo ex Dei favore oriuntur effectus ut quædam anima dicenda sit *sobria,* in alio vero alii diversi effectus per quos dicenda sit *ebria,* deducta similitudine a potantibus vinum ad sobrietatem vel ebrietatem : quibus tropis utitur Scriptura, ut patebit, et Sponsa ipsa tropologica, nempe anima dilecta a Deo, hac phrasi utitur : *Introduxit me rex in cellaria sua* [1]; et : *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem* [2], ut infra. De his ergo diversis unionibus diversisque earum effectibus brevissime hic ex mysticorum doctrina loquemur. Ideo

Aliqua unio cum Deo dicitur sponsalitium.

Dico primo : Aliquando unio hæc mystica talis naturæ ex Dei dispositione est ut spirituale sponsalitium tantum inter animam contemplativam et Deum dici debeat. Est communis inter mysticos ; et omnium postrema sic docuit S. Theresia, ut in fine præcedentis capituli retulimus.

Sponsorum affectus qui.

Probatur exemplo eorumdem : Sponsi ardenter se amant, vellent semper sibi præsentes esse, absentia eos affligit, continuo de se alteruter de altero cogitat ; quilibet ex sponsis studiose meditatur quid facere possit quod alteri placeat, omnemque movet lapidem ut alterius votis satisfaciat ; de alterius virtute, dotibus corporis ac animi sæpe cogitat, sæpe de eisdem cum aliis loquitur, loca quærit in quibus alterum videre eumque alloqui possit : ita, uno verbo dicam, sic vehementer se diligunt ut alter in altero potius quam in se vivere dici possit ; anima enim, dixit Philosophus, magis est ubi amat quam

[1] Cant. I, 3. — [2] *Ibid.* II, 4.

ubi animat. Sed, hac maxima animorum conventione non obstante, contractus ille sponsalium ex aliquibus capitibus solubilis est.

Ita prorsus se habet aliqua etiam per contemplationem infusam perfectumque amorem exorta inter animam et Deum mystica unio; sponsa quidem Dei facta est anima illa sic contemplans et amans, Sponsum ardenter diligit, ab eo diligitur, illum incessanter videre quærit et viso gaudet, commendat ejus bonitatem, famam, pulchritudinem. *Osculetur me,* inquit, *osculo oris sui; quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum*[1]. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*[2]. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur*[3]. *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*[4]. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea... Paululum quum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam*[5]. *Dilectus meus mihi, et ego illi*[6]. Et alia plura in omnibus illis octo Canticorum capitulis, in quibus apparet quanta diligentia et anxietate Sponsa spiritualis, anima, quærit suum Sponsum, Deum, quantoque amore eum diligit et quanto desiderio ejus colloquium et conversationem exoptat.

Animæ sponsæ erga Deum affectus.

Et e contra in eisdem Canticis legitur reciproca spiritualis Sponsi in Sponsam dilectio; nam post præfata Spon-

Sponsi erga Sponsam affectus.

[1] Cant. I, 1-3. — [2] *Ibid.*, 6. — [3] *Ibid.*, 12. — [4] *Ibid.* II, 3-6. — [5] *Ibid.* III, 1, 2, 4. — [6] *Ibid.* II, 16.

sæ verba inquit Sponsus : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum... Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis ; collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* [1]. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum* [2]. *Ego flos campi et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* [3]. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem,... ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit* [4]. *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni* [5]. Et alia multa in eisdem octo Canticorum capitulis, in quibus manifestissime apparet qualis quantaque sit inter Sponsos spirituales, animam sanctam ac Deum, reciproca dilectio atque unio, quam ex parte in postremis duobus Opusculis declaravimus ; mirabiles enim sunt effectus quos Deus in anima dilecta producit, et quos ab anima ipsa facit producere, ut ex interpretibus libri Canticorum legere licet.

Mirabiles utriusque effectus.

Omnis unio est solubilis.

At quoniam unio hæc est sponsalitium tantum et non matrimonium, id est, habet conditionem seu naturam sponsalitii, quod solvi potest, Sponsa Dei, id est anima dilecta et evecta ad infusam contemplationem et amorem Dei perfectum, timere debet ne unionem hanc ex sua culpa amittat; Deus enim non deserit, nisi prius deseratur, dicit S. Augustinus ; et ideo inquit S. Theresia [6], ut in præcedenti capitulo retulimus, quod aliqua mystica unio comparatur sponsalitio, quia separari seu perdi potest. Quod S. Theresiæ dictum sic intelligendum puto, non quod detur aliqua mystica contemplativorum unio cum Deo quæ solvi ac separari non possit, et faciat eos impeccabiles, ut falso dicebant Illuminati, seu verius cæci illi hæretici ; — nullus enim hominum, per quoscumque etiam perfectos virtutis cujuscumque etiam frequentatos actus,

[1] Cant. I, 7, 10. — [2] *Ibid.*, 14. — [3] *Ibid.* II, 1, 2. — [4] *Ibid.*, 7. — [5] *Ibid.*, 10. — [6] *Mans.* 7, c. 1.

evadit impeccabilis, nisi a Deo sit confirmatus in gratia; — sed forte dicere vult S. Theresia quod aliqua unio cum Deo in contemplativis dicitur sponsalitium quia facilius potest solvi et amitti, alia vero datur perfectior, quæ comparatur matrimonio, ut mox dicam, estque talis ut difficilius solvatur quam prima, quæ tamen, ut ipsamet Sancta dicit, absolute solvi potest.

Dico secundo : Datur quædam unio mystica inter animam contemplativam perfectam et Deum quæ dici potest spirituale matrimonium. Est communis inter mysticos.

Datur unio quæ est spirituale matrimonium.

Probatur : Aliquando ex specialissimo Dei favore anima contemplativa sic unitur Deo ut unio illa ex eodem Dei favore inamissibilis sit; et sicut conjuges, secuto matrimonio, non possunt separari, ita, Deo sic interdum favente alicui perfecto contemplativo, hic illi unitur ut nunquam ab eo separetur, et hæc unio, usque ad exitum vitæ perseverans, commutetur de perfecta in perfectissimam, de amicitia et notitia cum obscuritate in evidentem, de temporali in æternam in patria.

De hac unione sub symbolo matrimonii S. Bernardus sic loquitur : « Talis conformitas maritat animam Verbo, cui similem se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit[1]. » Et post aliqua[2] : « Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste; parum dixi contractus, complexus est. Hic nexus vincit etiam quod natura arctius vinxit, vinculum parentum ad filios; et propterea ait [Dominus] : *Dimittet homo patrem et matrem et adhærebit uxori*[3]. » Et infra : « Propterea sic animæ nupsisse est, quoniam non potest sic diligere, et parum dilecta esse, ut in consensu duorum integrum stet perfectumque connubium : quod non est aliud quam amor sanctus et castus, amor suavis et dulcis, amor mutuus, intimus validusque, qui non in carne una, sed uno plane in spiritu duos jungat, duos faciat non jam duos, sed unum[4]. » Et alibi ait : « Quando videris animam, relictis

Unio matrimonialis per S. Bernardum

Magna hujus matrimonii encomia.

1 Bern. *In Cant.*, serm. 83.— 2 *Ibid.*— 3 Matth. XIX, 5.— 4 Bern. *loc. cit.*

omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo, quæ possit dicere : *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum* [1]; puta conjugem Verboque maritatam [2]. »

S. Theresia, ut in præcedenti capitulo retulimus, sic habet : « Quum Deus incipit misereri afflictionum et laborum quos anima quam spiritualiter sibi in sponsam elegit passa est propter amorem suum, antequam celebretur et consumetur matrimonium spirituale, — quod licet in hac vita ingens sit donum, non tamen ex omni parte perficitur, quia in hac vita semper a Deo separari potest, — eam in sua mansione collocat, qui eodem modo in cœlo ac in anima propriam mansionem in qua ipse immoretur sibi elegit [3]. » Et post aliqua sic prosequitur : « Illud scitu dignum erit, magnum videlicet inter spirituale matrimonium et sponsalia discrimen versari, sicut versatur inter sponsos et inter eos qui ab invicem separari nullatenus possunt [4]. » Et ne forte pusilli scandalizentur, hanc sancta virgo apponit cautelam : « Has appono comparationes non ideo ut hic aliqua de corpore detur recordatio eodem modo ac si anima in illo non esset, sed tantum in solo spiritu ; ac multo magis in spirituali matrimonio, quoniam in interiori centro animæ hæc arcana unio celebratur, ubi Deus ipse perpetuo inhabitat [5]. » Deinde assignat differentias favorum et gratiarum quas Deus concedit animæ in unione matrimonii, ab iis quas concedit in unione sponsalitii ; et ait : « Sic igitur primum discrimen erit, quod in raptu sive unione potentiæ suspenduntur, anima cæca et muta remanente, nec percipere valet quæ et qualis est gratia qua fruitur ; quoniam illa ingens delectatio (de qua supra mentio facta est) quam anima experitur quando conspicit se habere Deum, dum jam ipsi copulatur nihil penitus sentit, quum potentiæ omnes deperdantur. Hic (id est in matrimonio) valde diverse res se habet : vult siqui-

Differentia inter sponsalia et matrimonium.

S. Theresiæ cautela.

Differentiæ gratiarum in sponsalitio et matrimonio.

1 Philipp. 1, 21. — 2 Bern. *In Cant.*, serm. 85. — 3 Ther. *Mans.* 7, c. 1. — 4 *Ibid.* — 5 *Ibid.*

dem ibi Dominus Deus squamas ab oculis evellere, et ut de gratiis et donis ab ipso collatis aliquid anima et videat et intelligat, etiamsi modo mirabili id fiat; eo quod in hac mansione (in qua Deus per matrimonium copulatur) constituta, visione intellectuali per modum repræsentationis veritatis, sanctissima Trinitas, id est tres Personæ eidem manifestantur cum quadam inflammatione, quæ prius spiritum ejus ad similitudinem perlucidissimæ nubis perlustrat, ac admirabili quadam notitia unius substantiæ, unius potentiæ, unius sapientiæ ac unius divinitatis tres Personas esse cognoscit; et ita, id quod fide intelligimus, ibi anima, ut ita dixerim, visu percipit : non tamen oculis corporis hæc visio efformatur, quum non sit imaginaria visio. Neque hoc tantum, sed ibi totæ tres Personæ ei communicantur, eamdem alloquuntur, ac Evangelii verba, *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [1], eidem experientia ipsa manifestantur [2]. » Hæc et alia plura S. Theresia.

Unio sobria et ebria.

Dico tertio : Unio hæc mystica perfecta contemplativorum dividitur secundo in sobriam seu activam et ebriam seu passivam aut extaticam. At notandum quod loquor de actuali unione, quæ in actibus consistit et iis cessantibus cessat, non de habituali, quæ radicata jam est in contemplativis perfectis, et aliquando juxta Dei voluntatem in actualem unionem sobriam seu activam, aliquando in actualem ebriam seu passivam aut extaticam prorumpit.

Activa seu sobria cum proprio labore.

Probatur et declaratur hæc conclusio : Contemplativus perfectus, qui ad infusam contemplationem a Deo fuit elevatus, dicitur habitualiter Deo unitus, etiam quando actu non contemplatur. Iste autem aliquando ex Dei gratia proprio studio ac labore se recolligens (sicut diximus de acquisita cum S. Bonaventura) contemplatur Deum, et actum dilectionis pro suo posse erga Deum, summum bonum summeque amabile, elicit, et in ea contemplatione aliquantisper moratur; quia tales perfecti contemplativi

1 Joann. XIV, 23. — 2 Ther. *Mans.* 7, c. 1.

non semper et in omni actu a Deo rapiuntur seu distrahuntur, sed aliquando sic, aliquando non. Illa contemplatio, proprio actu procurata, a mysticis vocatur activa, quia ipsi agunt, et sobria, quia non totaliter excedens statum naturæ ipsius contemplantis ; est etiam actualis, quia in actu consistit et transeunte actu transit.

Passiva seu ebria absque proprio labore.

Ebriam autem seu passivam aut extaticam doctores mystici appellant eam actualem quæ oritur ex actu contemplationis infusæ, quando scilicet Deus, absque studio, labore ac operatione ipsius contemplativi, elevat illum, distrahendo et alienando a sensibus, applicando ejus intellectum ad sui contemplationem et voluntatem ad sui amorem.

Cur passiva.

Hanc dicunt actualem quidem unionem, sed passivam, quia eam non agit anima suo labore, sed patitur quoad illam distractionem et applicationem ac detentionem ; non vero dicitur passiva quoad ipsum actum intuendi et amandi, quia isti sunt vitales qui a potentiis ipsis eliciuntur.

Cur ebria.

Dicitur ebria quia eam patiens extaticus extra se fit, sicut fiunt ebrii a vino ; et propterea ebrii spiritu vocantur. Hac similitudine utitur Sponsa tropologica seu moralis : *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem* [1]; statimque quasi ebria spirituali amore subdit : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* [2]. Glossa ordinaria ex S. Ambrosio ait : « Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attigit, ita me recreatam spiritu et ab amore terrenorum in superna translatam sentio, ac si, in cellam vinariam introducta, novi sim meri odore et poculo refecta [3]. »

De ebria S. Bernardus.

Et S. Bernardus ait : « Habito pro votis dulci admodum familiarique colloquio cum dilecto, illo abeunte, sponsa regreditur ad adolescentulas, adspectu ita ipsius affatuque refecta atque accensa quatenus ebriæ similis appareret. Et quasi illis stupentibus novitatem et quærentibus causam, respondit mirum minime esse si vino æstuaret quæ in cellam vinariam introisset. Et secundum litteram

[1] Cant. II, 4. — [2] *Ibid.*, 5. — [3] *Gloss. ord.*, in Cant. II, 4.

ita, secundum spiritum quoque non negat se ebriam, sed amore non vino, nisi quod amor vinum est[1]. » Hæc S. Bernardus. Et idem Sponsus ad hanc ebrietatem invitat fideles : *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi*[2]. Glossa interlinearis « *inebriamini,* ait, integra caritate me amplectendo. »

Idem de utraque.

De utraque hac unione sobria et ebria, sub nomine et proprietate activæ ac passivæ seu extaticæ, loquitur S. Bernardus sic : « Alii trahuntur, qui dicere possunt : *Trahe me, post te*[3]...; alii ducuntur, qui dicunt : *Introduxit me Rex in cellaria sua*[4]; alii rapiuntur sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas ; secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur ei; tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodo sepulta jam arbitrii sui libertate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, qui, spreto ac supergresso adminiculo rerum ac sensuum, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis instantaneisque excessibus feruntur in Patrem[5]. » Et sic patet duas primas uniones activas esse, quia cum proprio etiam labore efficiuntur, tertiam vero passivam, quia a solo Deo rapiente fit.

Dionysius Cartusianus de duplici unione.

Dionysius Cartusianus de hac duplici unione sic loquitur : « Viri fideles, heroici et perfecti longe sublimius mysticam theologiam sortiuntur, experiuntur et venantur per supernaturalia charismata Spiritus Sancti. Quod et dupliciter accidere solet : primo per eorum præparationem, cooperationem et conatum, ad hoc dando seipsos ad abstractionem a cunctis creatis et ad fervidam unionem cum Deo, per recollectionem mentis suæ ad intra, et per affectuosissimam divini invocationem auxilii, ac considerando inflammativa divini amoris; secundo fit istud modo mirabiliori et eminentiori, quamvis forsan non magis meritorio semper : videlicet, dum fervens amator, absque conamine

[1] Bern. *In Cant.*, serm. 49. — [2] Cant. v, 2. — [3] *Ibid.* 1, 3. — [4] *Ibid.* — [5] Bern. *De Ascens.*, serm. 1.

proprio præparationeque prævia, repente prævenitur, præstringitur, inflammatur et supra se tollitur, contemplationisque luce exuberanter perfunditur, præoccupatur et vincitur, in tantum ut, etiam si velit, resistere nequeat, neque evadere possit supergratiosissimi spiritualem amplexum Sponsi, a quo in regione luminis infiniti transfertur, in quo vere idem sunt regio et habitator [1]. »

Iterum de hac duplici unione loquitur idem Dionysius[2], eadem fere referens verba de iis qui proprio conamine cum Dei gratia ad eam unionem se disponunt contemplando ac intense amando, et hæc est activa unio; et de iis qui sine sua operatione a Deo trahuntur et rapiuntur ad contemplandum et ardenter amandum, et hæc est unio passiva. Et adducit exemplum fratris Rogerii Ordinis mei S. Francisci, qui dicebat de viro quodam (et erat, ait, idem) dicente facile esse rapi a Deo ad contemplandum, sed non posse resisti raptui quantacumque adhibeatur vis ; et quod Deus tantum se communicabat animæ suæ quod præ nimia dulcedine non valeret eum sustinere, sed compellebatur dicere : Domine, recede a me, quia sustinere non possum multitudinem dulcedinis tuæ ; et cetera.

F. Rogerii dictum.

Et quoniam passiva unio mystica dicitur etiam extatica, licet de extasi plura dicta sint in Opusculo quinto a capitulo quinto usque ad octavum inclusive, quia tamen non omnis extasis, etiam supernaturalis ac divina, eodem modo perfecto animam cum Deo unit, aliqua insinuanda sunt. Primo, quod extases quas Deus in incipientibus vitam spiritualem et contemplativam efficit non faciunt perfectam mysticam, de qua loquimur, unionem; quia hæc perfectorum est, supponens in anima perfectam caritatem et dona Spiritus Sancti intellectum et sapientiam in gradu excellenti, quæ non supponuntur in incipientibus ac proficientibus ; secundo, quia hæc perfectorum supponit perfectam purgationem passionum, quæ non

Non omnis extasis eodem modo perfecto cum Deo unit.

[1] Dion. Cart. *Comment. in myst., theol. S. Dion. Areop.*, c. 5. — [2] *De fonte lucis*, c. 14.

supponitur in illis; tertio, effectus extasum perfectorum sunt excellentiores et sublimiores, et multo plures quam sint effectus eorum; quarto, quia hæc perfectorum unio extatica difficilius acquiritur et perditur quam illa.

Aliud notabile de extasi.

Secundo supponendum quod extasis perfectorum cum alienatione sensuum aliquando, Deo sic efficiente, procedit ob nimium lumen seu illustrationem intellectus, in quo casu Deus plura et diversa et clariori modo ostendit contemplanti, sed non cum tanta inflammatione voluntatis; aliquando extasis procedit ex maxima inflammatione voluntatis, sed cum minori illustratione intellectus; aliquando tandem ex maxima illustratione intellectus et pari inflammatione voluntatis : et hæc tertia sublimissima extasis est et spiritualis contemplatio perfectissimam pro mortali vita unionem efficiens.

Unio osculi.

Aliam omniumque supremam animæ contemplativæ cum Deo unionem admittunt et exaltant mystici, quam dicunt osculi, sed inquiunt esse explicatu difficilem. S. Augustinus [1] ait fieri ineffabili et incogitabili modo. S. Bernardus ait : « Hodie de summo, id est de oris osculo, disputare propositum est. Audite attentius quod sapit suavius, et gustatur rarius, et intelligitur difficilius [2]. » S. Thomas inquit : Quum senseris tactu, qui cognoscis de proximo labia illa Jesu animæ tuæ labia non abominari, sed mirabiliter ipsis imprimi, ineffabiliter osculari. Et infra : In hoc autem gradu, anima admodum et indicibili modo rapit et rapitur, tenet et tenetur, stringit et stringitur, et una uni per amoris copulam sociatur.

Aliæ subtiles differentiæ captu difficiles.

Alii gradus alios admittunt, ut contactus divini, illapsus, et cetera : quæ quidem differentiæ subtiles sunt, quas illi tantum exprimere possent qui eas experiuntur, dummodo possint; experimentalis etenim notitia est, sed arcana, quæ communi eloquio exprimi nequit, nisi quantum Deus ad sui honorem et gloriam (confessariorum ac prælatorum talium contemplativorum jussu) manifestari permiserit, ut

1 *In Joann.*, lib. 83, q. 60. — 2 Bern. *In Cant.*, serm. 8.

de B. Angela et S. Theresia præ ceteris in præcedentibus vidimus; ita ut merito exclamandum sit : O quanta et quam mirabilis est benignissimi Dei nostri in animas se timentes, quærentes, invenientes ac diligentes dignatio! cui gloria in sæcula. Amen.

CAPITULUM VIII.

DE STATU ET VITA PERFECTE UNITORUM, TRANSACTA ACTUALI UNIONE CUM DEO.

Aliqua supponenda.

Advertо primo declarari non posse sufficienter sensum hujus dubii neque sufficienter solvi, nisi explicite supponantur aliqua quæ quidem quasi implicite in toto hoc Opusculo dicta sunt. Suppono igitur quod perfectus contemplativus, id est infusa contemplatione a Deo donatus, multiplici unione considerari potest unitus; cujusque gradus sint istæ uniones nunc non curo. Prima unio est per habitum gratiæ et caritatis, qua unione gaudent omnes justi; et hæc, ut sæpe dixi, dicitur habitualis. Secunda est unio aliis etiam justis communis, quam quis acquisivit per proprios actus virtutum in activa vita et in contemplatione acquisita, licet ista in rigore dici non possit secunda unio, sed intensio seu augmentum primæ per habitum gratiæ ac caritatis obtentæ; quo enim plura et majora virtutum opera quis justus exercet, eo magis Deo unitur; ideo dicitur : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc* [1]; et Salvator inquit : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [2]; sicut autem crescit perfectio in anima, ita adhæsio seu unio cum Deo, et ita prior augetur.

Multæ uniones in perfecto contemplativo considerari possunt.

[1] Apoc. xxii, 11. — [2] Matth. v, 48.

Tertia unio quæ consideratur in contemplativo infusa contemplatione pollente, quæ est propria ac specialis ejusmodi heroicorum hominum, est unio illa actualis quæ habetur per actus contemplandi et diligendi Deum perfectos, utpote procedentes ab iis potentiis intellectu et voluntate, et donis Spiritus Sancti intellectu ac sapientia, ac specialissimo Dei concursu ad eos actus. Cujuscumque gradus sint, et qualescumque secum effectus in anima afferant, parum refert, quia semper unio illa actualis est perfectissimi et supernaturalis ordinis; unio ergo illa consistens in illis actibus, seu resultans ex illis, dicitur et est actualis mystica.

Quarta unio quæ in contemplativo perfecto considerari potest, est habitus quidam consurgens ex frequentatione talium nobilissimorum actuum contemplandi et diligendi per infusam contemplationem. Quum enim in cujuslibet virtutis exercitio habitus aliquis efficiatur, et in exercitio virtutum supernaturalium, puta fidei, spei et caritatis, Deus quidem augeat habitus illos, tamen operans per eos habitus, promptitudinem, habilitatem et facilitatem quamdam ad eos actus eliciendos acquirit, quam antea non habebat; ita de contemplativo perfecto videtur dicendum quod, ex frequentatione illorum actuum supernaturalium, a Deo augeantur quidem in illo principia unionis ipsaque unio, et remaneat in eo aliquis habitus seu habilitas, promptitudo et facilitas, vel ad similes actus faciendos, vel ad aliquos alios ad statum ejus perfectionis spectantes.

Duplex quæsitum.

His autem suppositis, duo quærimus : primum, ad quid faciendum inclinant ac disponunt actuales illæ uniones (quibus interdum potitur contemplativus) post actus contemplandi et amandi? et, si aliquis habitus ex illis generatur, ad quid faciendum inclinat et disponit aut concurrit? Secundum quod quæritur est, quomodo talis unitus se gerere debeat cum Deo et cum hominibus? de hoc vero loquemur postea.

Dico igitur primo : Homo qui, post purgativam et illu-

Post actualem unionem in infusa quid remanet.

minativam acquisitam, elevatur a Deo ad contemplationem infusam, post actualem unionem contemplandi ac diligendi Deum perfecte, et post actuales favores, gratias, delectationem, suavitatem, jucunditatem, et cetera in superioribus relata quæ in his duobus actibus, Deo largiente, experitur, virtute talium actuum et habitualis unionis ex eorum frequentatione jam genitæ, ex ejusdem Dei benignitate, remanet in statu mox dicendo quousque ad alios similes actus contemplandi et diligendi denuo elevetur, et sic deinceps.

Status animæ sic unitæ.

Status ergo illius, cessantibus actibus illis unitivis, est iste regulariter, Deo favente : In anima illa remanet pax interna, etiam transacta contemplatione ; remanent profunda humilitas et dispositio ad exercitia spiritualia, lux quædam cœlestis in intellectu, et in voluntate firmitas ad bonum et ad virtutes, quas Deus ipse concedit multo excellentiores quam anima possit propria industria acquirere; et humilitas hic concessa propriam generat confusionem, et certam nostræ infirmitatis cognitionem adducit, qua homo vellet coram Deo se annihilare. Ita docent mystici.

Specialis effectus unionis

Specialis tamen hujus unionis effectus est desiderium proficiendi in oratione et ejus exercitium non dimittendi, etiam si multum foret laborandum; deinde quædam spes moraliter certa de propria salute ex Dei misericordia, sed conjuncta humilitati, excludens servilem timorem, adducens filialem purumque Dei amorem, absque intuitu mercedis propriæque utilitatis.

Gustus in Dei servitio.

Alii effectus in tali anima remanentes sunt gustus et suavitas in Dei servitio et virtutum operibus; quia anima illa Deum ut principium et ut finem habet, qui cor dilatat : ex qua dilatatione ac suavitate procedit quod multum audet quando aliquid ad majorem Dei gloriam faciendum occurrit; expellitur timor amittendi serenitatem in orationis exercitio ; videt se omnia posse in Deo qui illam confortat ; non formidat labores, ut antea solebat, imo eos desiderat ; mundi gaudia despicit, et in omni virtute pro-

fectum experitur. Hæc P. Philippus a sanctissima Trinitate, quæ alia vice [1] retuli.

Alii mystici magis distincte conantur declarare effectus et favores ac beneficia quæ Deus dignatur concedere animæ contemplativæ, transacta unione actuali habita per contemplationis infusæ actum seu extasim; dicunt enim quod, transacta extasi, in intellectu remanet lumen quoddam seu splendida notitia rerum agibilium et continua quasi illuminatio ac inspiratio ad opera virtutum omnium pro opportunitate exercenda; et istæ animæ vere Spiritu Dei aguntur, ut dicit Apostolus [2], et habent promptitudinem ad considerandum et contemplandum extra extasim et raptum divina mysteria et omnia revelata, et ad operandum quodlibet opus virtutis ac perfectionis, nec aliud cogitant aut cogitare posse eis videtur. In voluntate vero, transacto, ut dixi, extatico contemplationis exercitio et magno illo ac suavissimo et fruitivo amoris actu in quo unio mystica perfectissima consistit, remanet magnus caritatis ardor, ex quo anima manet quasi ebria et stupida, quieta tamen ac tranquilla, Dei voluntati conformis; qui quidem amoris in Deum æstus quasi habitus quidam in ea perseverat, reddens illam ad omnem Dei nutum ac inspirationem prompte mobilem ac vertibilem. Alii plures effectus.

Richardus de S. Victore diffusius declarat statum animæ contemplativæ, transacto extatico contemplationis actu, sic: « Quum anima in hunc modum divino igne fuerit decocta, medullitus emollita penitusque liquefacta, quid jam supererit nisi ut proponatur ei quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, quasi quædam, ad quam informetur, consummatæ virtutis formula? Sicut enim excusores, liquefactis metallis propositisque formulis, quamlibet imaginem pro voluntatis arbitrio excudunt, et vasa quælibet juxta modum congruum formamque destinatam producunt, sic anima in hoc esse ad omnem divinæ voluntatis nutum facile se applicat, imo spontaneo Richardi sententia.

1 Opusc. IV, c. 5.— 2 Rom. VIII, 14.

quodam desiderio ad omne ejus arbitrium seipsam accommodat, et juxta divini beneplaciti modum omnem voluntatem suam informat; et sicut metallum liquefactum quocumque ei via aperitur, facile ad inferiora currendo delabitur, sic anima in hoc esse ad omnem obedientiam se sponte humiliat, et ad omnem humilitatem juxta divinæ voluntatis ordinem libenter inclinat. In hoc igitur statu animæ ejusmodi proponitur forma voluntatis Christi, *qui, quum in forma Dei esset..., humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*[1]. Hæc est forma humilitatis Christi, ad quam conformare se debet quisquis supernum consummatæ caritatis gradum attingere volet[2]. » Hæc ergo sunt bona Deique dona ac beneficia quæ consequuntur ad actualem mysticam unionem, quam sortitur anima cum Deo per exercitationem actuum contemplationis perfectique amoris Dei.

Alios plures effectus narrat Richardus

Neque hic sistit Richardus, sed multo post, de effectibus sequentibus ad actualem illam unionem extaticarum contemplationum prosequens, inquit tales contemplativos ex Dei favore ita fortes ac stabiles in Dei amore et habituali unione remanere ut cum Apostolo dicere possint : *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*[3]. « Nonne et ille secundum aliquem modum impassibilis videri possit, ait Richardus, qui illata damna non sentit, qui semper ad omnem injuriam hilarescit, et quidquid infertur ad pœnam totum præsumit ad gloriam, juxta illam Apostoli sententiam : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi ; propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo*[4] ; et

[1] Philipp. II, 6, 8. — [2] Rich. de S. Vict. *De 4 grad. viol. car.* — [3] Rom. VIII, 38, 39. — [4] II Cor. XII, 9, 10.

ad Philippenses ait : *Omnia possum in eo qui me confortat*[1]; et alibi[2] : *Caritas patiens est, benigna est..., non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt,... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*[3] ? »

Alii permulti effectus etiam in proximum

Neque hic finiunt secundum Richardum effectus remanentes in perfectis contemplativis post perfectos illos extaticos actualis unionis actus, sed erga proximum quoque extenduntur. Tanta siquidem est in eis erga proximum caritas ut cum Apostolo dicere possint : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*[4]; imo anathema a Christo fieri cupiebat pro fratribus suis. Et subdit Richardus : « Quid ergo dicemus ? Nonne hic amoris gradus videtur animum hominis in amentiam vertere[5] ? » Et exaggerans excessum caritatis erga proximum, multa præclara dicit tam de S. Paulo, qui anathema cupiebat esse a Christo pro fratribus, quam de Moyse, qui, ut liberaret populum idololatram ab ira Dei, quamvis justa, dixit ad Deum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti*[6].

Alios effectus refert Dionysius Cartusianus.

Alia quædam notat Dionysius Cartusianus de ejusmodi perfectis contemplativis, qui extaticis contemplationibus actualibusque his unionibus a Deo donantur ; hi enim perfecte purgati a vitiis et passionibus supponuntur et mundo corde. De his ergo ait Dionysius : « Quum amor privatus omnium radix sit vitiorum, constat quod, eo evulso, cuncta eradicentur peccata. Quo facto, insunt cordi interna munditia et caritas Dei pura, fortis, fixa et fervida ; sicque ad omne bonum et illuminationes altissimas ac frequentes et quasi continuas, ad inflammationes æstuantissimas, ad transformationem deificam, ad raptum et extasim, ad exercitationem secretissimam, ad tranquillationem dulcissimam, imo ad vitam Angelis proximam, est anima tunc disposita, statque velut in contactu continuo solis æterni, solis justitiæ, solis sapientiæ infinitæ, ut

[1] Philipp. IV, 13. — [2] I Cor. XIII, 4, 5, 7. — [3] Rich. de S. Vict. *loc. cit.* — [4] I Cor. IX, 22. — [5] Rich. *loc. cit.* — [6] Exod. XXXII, 31, 32.

exuberantissime ac indesinenter illustretur, calefiat, penetretur, impleatur et inundetur ab illo ; et instar speculi tersi, pervii ac politi, luminosi atque clarissimi, objecta, substrata ac applicata est superlucidissimo soli immenso. Idcirco non cessat sol ille liberalissimus stillicidia gratiæ, fluenta sapientiæ, caritatis scintillas in illa diffundere [1]. » Hæc Dionysius Cartusianus. Felix ergo homo ille, qui ad talem devenit et actualis et habitualis ex ea sequentis unionis statum, et ejusmodi donis et gratiis ex Dei liberalitate potitur.

Notabile dignum : non dicitur concedi impeccabilitas.

At valde notandum est quod, — quamvis præfati et alii auctores doceant quod perfecti etiam contemplativi præfato modo per actus contemplandi et diligendi Deum actualiter, pluries, imo et frequenter cum Deo uniantur, et postea habitualiter quasi post actus illos uniti remaneant et ad omnia virtutum opera inclinati, ut hucusque dictum est, — nullus tamen eorum dixit quod remaneant confirmati in gratia, vel omnino impeccabiles, ut falso et erratice docebant Beguardi damnati in Concilio Viennensi, et postea Illuminati seu verius cæci, et tandem nefarii quidam elapsis annis, qui simplici orationi mentali impeccabilitatis donum vel saltem maximæ difficultatis ad peccandum privilegium concedebant ; at hi omnes damnati sui erroris pœnas luerunt.

Nullus per contemplationem evadit impeccabilis.

Nullus ergo, sive contemplativus simplex sive infusa contemplatione pollens, putet se, quantumvis hoc et aliis donis a Deo donatum, ad statum impeccabilitatis pervenisse ; sed cum humilitate, metu et tremore, ut ait Apostolus, suam salutem operetur ; etsi enim Deus non deserat, ut ait S. Augustinus, nisi prius deseratur, potest a quocumque viatore deseri per peccatum mortale, et ita illum deseret Deus ; et proinde Apostolus ait : *Qui se existimat stare, videat ne cadat* [2]. Glossa ordinaria, quæ tribuitur S. Augustino, dicit : « Superbiam amputat ne tentetur, sicut Judæi tentati sunt et periere. » Interlinearis

[1] Dion. Cart. *De fonte lucis*, art. 14. — [2] I Cor. x, 12.

dicit : « Ne cadat peccando vel peccare faciendo. Et si Deus id permittit, facit ad bonos probandos et malos puniendos. » Clarius S. Augustinus dicit : « Utile est omnibus vel pene omnibus (nam quales futuri sunt, scire non possunt), ut quisque, dum nescit an sit in bono perseveraturus, humiliter et sollicite Dei gratiam imploret, cum eaque casum cavere et in gratia perseverare satagat[1]. » Et ipsemet Apostolus multum de suo casu timens dicebat : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*[2]; sed de hac cautela ac timore iterum loquar infra. Omnes ergo de casu timeant.

CAPITULUM IX.

AN LICITUM SIT HANC MYSTICAM UNIONEM DESIDERARE ET PROCURARE.

Adverto primo, quod hæc difficultas eadem fere est cum illa quæ fuit resoluta supra[3] de infusæ contemplationis desiderio et procuratione ; hæc enim mystica unio, ut in præcedentibus patuit, vel est ipsamet contemplatio infusa et amor, vel sequitur regulariter ad infusam contemplationem perfectamque Dei dilectionem : ideo eisdem fere principiis erit resolvenda.

Hæc unio est maxime appetibilis.

Adverto secundo, quod, licet unio hæc perfecta cum Deo non sit simpliciter ad salutem necessaria, sicut neque infusa contemplatio, neque acquisita, — quia ad salutem sufficit unio per habitum caritatis tantum pro infantibus decedentibus, in adultis vero habitus idem caritatis cum actibus ejusdem, necnon fidei ac spei et

[1] Aug. *De bono patientiæ*, c. 8. — [2] I Cor. IX, 27. — [3] Opusc. VII, c. 10.

observantia mandatorum Dei et Ecclesiæ, — tamen unio hæc adeo perfecta maximum bonum est, amabile et appetibile ratione sui termini cui animam unit, nempe Dei, qui est summum ac infinitum bonum; et rationalis natura summe inclinatur ex Dei elevatione ad supernaturalem ordinem.

Licitum est optare et procurare unionem perfectam cum Deo

Dico igitur : Licitum et bonum est optare et sanctis operibus procurare unionem quamcumque cum Deo, etiam mysticam et perfectissimam, quæ per infusam contemplationem vel alio supernaturali modo solet a Deo perfectis hominibus concedi.

Rationes evidentes.

Probatur eisdem argumentis quibus cum aliis usi sumus pro desiderio et procuratione contemplationis infusæ et acquisitæ. Bonum et honestum est optare et procurare statum gratiæ et caritatis per infusionem talis habitus, cum quo habetur primus gradus unionis cum Deo, etiam in pueris; et qui talem unionem non procurat, est in statu damnationis. Secundo, bonum et honestum est, imo de necessitate salutis pro adultis, actus fidei, spei et caritatis pro aliquo tempore elicere, et præcepta divina atque ecclesiastica observare, negativa quidem semper, affirmativa vero pro certo tempore; per hos autem actus homo magis unitur Deo. Tertio, bonum et honestum est, cum habitu caritatis et observantia præceptorum, observare etiam consilia evangelica, per quorum observantiam homo magis quam in duobus primis modis unitur Deo. Quarto, bonum et honestum, imo laudabilius est, cum habitu caritatis et observantia præceptorum et consiliorum, exercere opera supererogatoria, quæ nec præcepta sunt, nec explicite consulta propter eorum arduitatem; per hæc autem omnia opera homo magis unitur Deo quam per tres modos tantum, et quo majora et duriora seu difficiliora sunt opera, eo major est unio : igitur si isti gradus unionis optari possunt et procurari, omnes alii superiores quoque optari et procurari possunt, quum non sit major ratio.

Argumenta a pari.

Confirmatur : Perfecta Dei cognitio perfectaque dile-

ctio, quæ in hac vita obtineri possunt, desiderabiles sunt; sed ex his duobus actibus insurgit perfecta et mystica unio, seu sunt ipsamet unio : ergo si actus illi sunt optabiles ac procurabiles, etiam sequens unio.

Confirmatur secundo : Unio realis cum Christo in sacramento Eucharistiæ est optabilis ac procurabilis; quæ tamen maxima est : ergo etiam quælibet alia moralis et affectualis cum Deo unio.

Confirmatur tertio : Unio beatifica in patria optabilis et procurabilis est, totaque humana vita omnisque ejus actio ad eam ordinatur : ergo etiam unio major et maxima quæ in hac vita potest obtineri, optari potest ac procurari.

In Scriptura præcipitur.

Probatur secundo : In nulla lege prohibitum reperitur ne quis desideret aut procuret esse Dei amicus aut amicissimus, eum omni conatu diligendo et in qualibet sua actione ei placere procurando, imo in utroque Testamento reperitur positive etiam præceptum quod diligatur Deus toto corde, tota anima ac tota virtute; per hanc autem dilectionem homo fit Dei amicus eique unitur; *qui* enim *manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo* [1], inquit Joannes apostolus.

Probatur tertio : In sacro Textu pluribus in locis præcipitur vel consulitur acquisitio perfectionis ac sanctitatis, nec limitatur gradus ut tanta vel tanta acquiratur et ultra non procedatur; igitur quum hæc unio perfectionem importet, optari et procurari potest. Antecedens clarum est. Salvator ait : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [2]; et S. Petrus inquit : *In omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est : Sancti eritis; quoniam ego sanctus sum* [3]; et S. Paulus : *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi* [4], et S. Joannes in Apocalypsi : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus, sanctificetur adhuc* [5].

1 I Joann. IV, 16. — 2 Matth. V, 48. — 3 I Petr. I, 15, 16. — 4 Ephes. V, 1. — 5 Apoc. XXII, 11.

Ex facto Sanctorum qui pro ea laboraverunt.

Probatur quarto ex facto : Complures Sancti pro ea acquirenda multum laboraverunt in vita activa, in purgativa et illuminativa per acquisitam contemplationem, et ex ea pervenerunt ad infusam; « per istam enim, ait Dionysius Cartusianus, Deo favente, perveniri potest ad infusam[1] ; » at in infusa contemplatione obtinetur perfecta et mystica unio cum Deo : igitur si totis viribus, quantum in se erat, et ex Dei speciali gratia contendebant ad perfectam contemplationem, contendebant ad perfectam unionem.

Reliqua argumenta quæ pro hoc puncto adduci possunt, videri possunt supra[2].

CAPITULUM X

QUIBUS MEDIIS OBTINERI POSSIT PERFECTA HÆC UNIO CUM DEO.

Eadem ratio quæ de infusa contemplatione.

Adverto quod solutio hujus quæsiti affinis et quasi eadem est cum solutione quæsiti, *Quibus mediis obtineri possit contemplatio infusa,* de qua locuti sumus supra[3], eo quod per hanc obtinetur unio ista ; nihilominus pro majori commodo lectoris etiam hic de mediis quibus ad unionem hanc perfectam perveniri potest, aliqua ex eodem capitulo replicabimus et alia adjiciemus.

Quomodo procurari possit, quum sit supernaturalis.

Adverto secundo, quod nemini debet admirationem parere si quærimus quibus mediis acquiri potest unio hæc perfecta, quum supernaturalis sit, a Dei voluntate ac omnipotentia totaliter dependens ; siquidem omnia Dei supernaturalia sunt hujus generis, et tamen assignata sunt media ex parte hominis quibus possunt ea obtineri. Pro exemplo sit primo justificatio in baptismo per infusionem

1 Dion. Cart. *De fonte lucis,* art. 8. — 2 Op. VI, c. 11 ; VII, c. 10. — 3 Op. VII, c. 10.

gratiæ et donorum : supernaturale quidem donum est, et tamen dispositio datur ad illud in adultis ex Tridentino : « Disponuntur autem ad ipsam justificationem[1]... ; » idem dicendum de justificatione per Pœnitentiæ sacramentum, ita de receptione augmenti gratiæ in omnibus aliis sacramentis, pro quibus necessariæ sunt dispositiones aliquæ ex parte recipientium ; idem diximus de infusa contemplatione, imo etiam de perfecta acquisita : quæ quidem omnia Dei dona sunt, et tamen media seu dispositiones ad ea acquirenda adhiberi debent. Ratio autem generalis horum omnium est quia benignissimus Dominus, qui pro nobis nostroque beneficio vult bonum aliquod tanquam finem nostrum, concedit etiam media ad finem illum ; alioquin non vellet efficaciter illum finem, ad quem non possemus nostris viribus pertingere, dicente Apostolo : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est*[2] ; Salvator enim dixerat : *Sine me nihil potestis facere*[3] ; et idem Apostolus ad Philippenses, hortans eos : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*[4], subdit singulare quoddam, quod Deus ipse non solum dat nobis posse velle et facere, sed velle et facere, inquiens : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate*[5]. Et sic adjutus et munitus homo divinis supernaturalibus adjutoriis, potest adspirare ad alia supernaturalia bona ; et quamvis hæc etiam supernaturalia adjutoria, quibus dona illa consequimur, Dei etiam dona sint, quia tamen benignissimus largitor vult esse nostra merita quæ sunt sua dona, ut cum S. Augustino dicit Concilium Tridentinum, « confidenter dicimus opera hominis, facta cum supernaturali Dei auxilio in ordine ad dona supernaturalia, gratiam,... ipsamque beatitudinem æternam, esse media ad ea consequenda[6]. » His ergo positis,

Ad omnia sacramenta sunt necessariæ dispositiones.

Deus vult esse nostra merita quæ sunt sua dona.

Dico : Omnia opera omnesque dispositiones quas su-

1 Conc. Trid. Sess. VI, c. 7. — 2 II Cor. III, 5. — 3 Joann. XV, 5. — 4 Philipp. II, 12. — 5 *Ibid.*, 13. — 6 Conc. Trid. Sess. VI, c. 16.

Quæ sunt media ad contemplationem infusam, sunt etiam media ad unionem.

pra[1] diximus esse media ad obtinendam a Deo contemplationem infusam, sunt etiam media ad obtinendam unionem mysticam seu perfectam cum Deo, et sunt infrascripta.

Probatur evidenter : Contemplatio infusa, id est fixus et simplex Dei aut divinorum revelatorumque intuitus cum saporosa dilectione, est vel ipsamet actualis unio cum Deo, vel est immediata illius causa ; ergo media pro obtinenda contemplatione infusa, a Dei benignitate donata, sunt etiam media pro obtinenda unione, ex communi axiomate quod causa causæ est causa causati.

Septem dispositiones ad hanc unionem requisitæ.

Dispositiones autem seu media quibus ad infusam contemplationem et consequenter ad hanc unionem potest homo pervenire, ex Dei misericordia ac benignitate, sunt ista : efficax Dei vocatio, quia, ut ex S. Ambrosio docet S. Augustinus, Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit; et Salvator ait : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*[2]; Apostolus : *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*[3]. Secunda dispositio est munditia cordis, id est status gratiæ, quia Deus non *habitabit in corpore subdito peccatis*[4]. Tertia dispositio est perfecta purgatio a vitiis et passionibus tam sensitivis quam intellectualibus, ex eodem capitulo. Quarta dispositio est frequens exercitium in contemplatione acquisita, quia, ut ibi diximus ex Dionysio Cartusiano[5], acquisitæ contemplationi in animabus purgatis regulariter ex Dei favore succedit infusa, in qua consistit felicitas quæ haberi potest in hac vita de cognitione Dei. Quinta dispositio est frequens exercitium orationis, precum et meditationis, seu, ut nuper diximus, contemplationis, ex S. Bernardo *De scala claustralium,* ubi ait : « Contemplationis adeptio sine oratione aut rara aut miraculosa[6]. » Sexta dispositio est frequens et longum exercitium in vita activa, ex S. Gregorio dicente : « Quisquis

[1] Op. VII, c. 10. — [2] Joann. VI, 44. — [3] Rom. VIII, 14. — [4] Sap. I, 4. — [5] Dion. Cart. *De fonte lucis,* art. 8. — [6] Bern. *De scal. claustr.,* c. 12.

jam in se carnis contumelias edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat, et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc usque ad secreta intimæ contemplationis studia extendat[1].» Et infra ait : « Qui culmen apprehendere perfectionis nituntur, prius se in campo operis per exercitium probent[2].» Septima dispositio, ex Dionysio Cartusiano, est multiplex : abstrahere se ab exterioribus negotiis, mentem recolligere, vagationes ac distractiones abjiciendo, convertere se ad radium, supremam illustrationem optando, pro ea orando seque ad Dei contemplationem pro viribus elevando, et cetera plura, ut in dicto capitulo decimo retulimus ; ex iis enim pius Dominus movetur ad elevandum hominem ad perfectiorem cognitionem cum infusa contemplatione, et consequenter ad sui perfectam unionem.

Documentum notabile pro spiritualibus.

Et Richardus de S. Victore, ut ibidem diximus, considerans difficultatem perveniendi ad perfectam seu infusam contemplationem unionemque cum Deo, dicit : *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus*[3]? Respondet et multa dicit, sed præ ceteris : « In stando quidem labor, sed in ascendendo major. Multi quidem in ipsa ascensione defecerunt propter nimium laborem ascendendi ; multi ab arduo ejus vertice ocius descenderunt propter laborem standi. Hoc fortasse eis intolerabile videbatur, quoniam non solum in hunc montem nisi per magnum laborem non ascenditur, verum etiam sine magna difficultate ibi immorari non datur[4]. » Notabile documentum pro omnibus spiritualibus, etiam iis qui perfecti sibi videntur, ut caveant sibi Deumque continue precentur ut eos protegat, ne cadant. Ista ergo sunt media ad infusam contemplationem perfectamque unionem ex Dei benignitate ac misericordia obtinendam.

Hominem ergo spiritualem ita dispositum, ex Dionysio Cartusiano, ut alibi etiam diximus, explicante illud Job : *In*

1 Greg. Mag. *Moral.* VI, c. 37. — 2 *Ibid.*— 3 Ps. XXIII, 3.— 4 Rich. de S. Vict. *Benj. min.*, c. 76.

Quomodo Deus elevat ad unionem hominem jam dispositum ex Dionysio Cartusiano

manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat[1], Deus ex sua liberalitate ad infusam contemplationem perfectamque unionem sequenti modo elevat : « Deus sublimis, quum viderit mentem hominis spiritualis zelo justitiæ penetratam, caritate flammigeram, puritate ac omni virtute fulcitam, ad divina fortiter adspirantem, mox dignantissime, exuberantissime, amorose ac frequentissime ei occurrit, succurrit ac cooperatur, seque ei communicat, manifestat, infundit, eam ad se elevat, intra se rapit, deosculatur, amplectitur, atque se intuendum, gustandum, fruendum offert ac exhibet, habetque complacentiam magnam in ea, ac tanquam amicam ac sponsam apprehendit, fecundat ac sibi adstringit ; eamdem lucem quoque quam in manibus suis tenebat absconsam, ei propalat ad horam aut horulam, prout sibi omnium sapientissimo moderatori placuerit[2]. » Et post aliqua sequitur : « In quo lucis hujus reditu annuntiat Deus per allocutionem internam dilecto (cum quo tam gratiose operari dignatur) quod lux ista possessio ejus sit ita ut eam possit stabiliter possidere ; et si ad horam amiserit, ad eam rursus recuperandam possit ascendere, et per eam ad lumen gloriæ pervenire. Insuper lucem contemplationis theoricæ ac mysticæ visionis radium tenens Deus in manibus, eamdem lucem pulcherrime radiantem ad libitum suum menti purgatæ nunc pandit et influit, nunc retrahit et abscondit ; sicque lux ista venustissima ad tenentis Dei arbitrium latet ac patet, et nunc copiosius clariusque refulgens, nunc minus[3]. » Et post alia multa, insinuat quid operatur Deus in anima illa sic per contemplationem, lucem illam inflammationemque sibi actualiter unita, inquiens : « Quumque hanc lucem Omnipotens menti ostenderit, mox mole magnitudinis suæ, actualitate ac excellentia majestatis, perfectionis ac luciditatis suæ immensæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, sic dulciter vincit et opprimit, ut ipsa defluat atque deficiat a seipsa, et victa amore et stupens præ admi-

Mira Dei in unitum hominem dignatio.

[1] Job xxxvi, 32. — [2] Dion. Cart. *De fonte lucis*, art. 16. — [3] *Ibid.*

ratione ejus, quam contemplatur, majestatis ac claritatis immensæ, præ Deitatis, quam cernit, deliciosissima serenitate, nesciat de seipsa. Sic quidem repente tam valide illustratur ac inflammatur ut, prorsus succumbens, vires et sensus corporales amittat. Tunc mens, in increatæ lucis secretum inducta, in infinitæ lucis abysso demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur, in amoris immensi igne revoluta comburitur, atque in supervastissimæ ac superplanissimæ solitudinis impertransibili ac immensa amplitudine securissime errat, feliciter deviat, perdens seipsam, nesciens ubi vel quando[1]. » Deinde admonet quod hæc visio ac delectatio aliique præfati divini favores animæ unitæ non durant continue, sed interpolate a Deo conceduntur, inquiens : « Verum in hac intuitione tranquillissima ac cherubica mens humana ut plurimum non diu defigitur, sed Deus lucem, quam paulo ante infudit, retrahit et abscondit in manibus, atque post modicum denuo præcipit ei ut menti adveniens oriatur majori nonnunquam cum claritate quam ante. Qua luce menti fulgente, mens iterum intus splendescit, ignescit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Tuncque Deus amœnitatis immensæ annuntiat electo ac dilecto, fervido scilicet amatori, quod possessio ejus sit[2]. » Hæc Dionysius Cartusianus. Placuit has periodos referre, quia dignæ sunt.

Visio hæc et unio actuales parum durant

Alii autem favores et honores ad quos evehit divina dignatio illos qui ex ejusdem misericordia ac liberalitate per jam dicta media se disponunt ad mysticam hanc perfectamque unionem, relati sunt et in toto opusculo septimo et in præsenti, maxime autem in capitulis sexto et septimo ; quos omnes, oro Deum, ut et mihi et omnibus eum diligentibus largiri dignetur. Amen.

Alii favores et honores animæ unitæ alibi relati sunt.

[1] Dion. Cart. *Loc. cit.* — [2] *Ibid.*

CAPITULUM XI.

DE MODO VIVENDI HOMINIS UNITI DEO.

Advertо quod hucusque locuti sumus de unione mystica seu perfecta hominis contemplativi perfecti cum Deo, de ejus effectibus quum actu exsistit, item de effectibus quos relinquit in unito postquam cessat ; remanet modo videndum quomodo gerere se debet ex parte sua homo qui tali gratia unionis a Deo honoratur, ut possit in tali honore perseverare ex Dei gratia, et eo non privari; et sic documenta valde utilia pro viris spiritualibus ex aliis spiritualibus trademus.

Monitum primum est, ut humiliter vivat.

Dico primo : Homo contemplativus, qui per infusam contemplationem perfectamque dilectionem, ex Dei benignitate, solet actualiter cum Deo uniri, cessante actuali unione, in reliquo vitæ tempore magna cum humilitate vivere debet.

Probatio ex veteri Testamento.

Probatur primo sacræ Scripturæ locis in quibus humilitas etiam perfectis præcipitur : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ; quoniam magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur*[1]. *Humiliare Deo, et exspecta manus ejus. Attende ne seductus in stultitiam humilieris*[2]. *Ubi autem est humilitas, ibi est sapientia*[3]. Judith dicit Deo : *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio*[4]. In Isaia legitur : *Hæc dicit Excelsus et Sublimis, habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus : In excelso et in sancto habitans et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum*[5]. Et alia plura suppetunt loca ex veteri Testamento.

[1] Eccli. III, 20, 21. — [2] *Ibid.* XIII, 9, 10. — [3] Prov. XI, 2. — [4] Judith IX, 16. — [5] Is. LVII, 15.

Probatur ex novo Testamento : Dicit Salvator : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* [1]; et alibi : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum* [2]. *Qui se humiliat, exaltabitur* [3]. Et B. Virgo dicit : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* [4]. Ex novo Testamento.

Confirmatur ex S. Petro : *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* [5]. Ibidem : *Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [6].

Confirmatur secundo ex Apostolo : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes* [7]. *Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem* [8]. Ad Philippenses : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, quum in forma Dei esset,... humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* [9], et cetera.

Confirmatur tertio ex S. Jacobo : *Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos* [10].

Probatur exemplo servorum Dei, etiam perfectorum, qui ei erant uniti et maxima cum humilitate Deum deprecabantur. Abraham sic ait ad Dominum : *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis* [11]. David, reprehensus a Michol uxore quod male fecisset vilem se faciens, et fuisset quasi unus de scurris nudatus ludens ante arcam Domini, respondit : *Et ludam et vilior fiam plus quam factus sum; et ero humilis in oculis meis, et... gloriosior apparebo* [12]. Per exempla Sanctorum.

Ex novo Testamento, S. Paulus, vas electionis, ait : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus* [13]. Et alibi ait : *Mihi, omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc* [14]. B. Virgo, audiens a Gabrie-

1 Matth. v, 3. — 2 *Ibid.* xviii, 3, 4. — 3 Luc. xviii, 14. — 4 *Ibid.* i, 52. — 5 I Petr. v, 6. — 6 *Ibid.*, 5. — 7 Rom. xii, 16. — 8 Coloss. iii, 12. — 9 Philipp. ii, 5, 6, 8. — 10 Jac. iv, 10. — 11 Gen. xviii, 27. — 12 II Reg. vi, 22. — 13 I Cor. xv, 9. — 14 Ephes. iii, 8.

le quod esset jam electa Mater, humiliter respondit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*[1]. Deinde, factum narrans S. Elisabeth, ait : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*[2]. Et Salvator ipse, humiliatus in forma servi, obediens usque ad mortem, quum in præcedenti sero abluisset pedes Apostolorum, inquit : *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*[3]. Et sæpe hanc virtutem Apostolos docebat, præsertim ex S. Matthæo : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*[4]. Et sæpe testabatur quod humilibus tantum (quos nomine parvulorum appellabat) confert dona sua, eisque revelat, illuminando ac inspirando, secretiora sua ad salutem necessaria et utilia, inquiens : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*[5]. Et sæpe dicebat : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*[6]. Et hoc est quod per Isaiam prædixit Deus : *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos*[7] ? Et David : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit*[8] ? et : *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit*[9].

Humilibus Deus confert dona.

His ergo doctrinis eruditus Dei servus, Deo unitus per infusam contemplationem perfectamque dilectionem Dei, quum ab illis actibus recedit quousque iterum ad eos a Deo elevetur, humilis permaneat ac si vilissimus inter homines esset ; et illis Dei favoribus indignum se existimet, omnesque in Dei misericordiam ac liberalitatem refundat, timens ac tremens ne ex propria culpa in sui confusionem convertantur.

Qui hac contemplatione gaudet, humilis permaneat.

[1] Luc. I, 38. — [2] *Ibid.*, 48. — [3] Joann. XIII, 14, 15. — [4] Matth. XI, 29. — [5] *Ibid.*, 25. — [6] *Ibid.* XVIII, 3. — [7] Is. LXVI, 2. — [8] Ps. CXII, 5, 6. — [9] Ps. CXXXVII, 6.

Dico secundo : Contemplativus iste, tali favore contemplationis et unionis a Deo donatus, debet secreto et cum silentio favore illo frui, neque aliis propalare, nisi sui superioris aut directoris jussu ad Dei gloriam ei præcipiatur manifestare ea quæ habet dona ; et tunc humiliter sine ambitione aut affectatione aut gloria aliqua id debet exsequi. Abscondere debet hunc favorem.

Probatur ex libro Tobiæ, ubi angelus Raphael, postquam incognitus tot beneficia contulerat juniori Tobiæ, custodiendo, protegendo, liberando a pisce, et Saram conjugem a spiritu maligno, et cum felle piscis cæcitatem patris sanando ; quum parentes ipseque filius vellent eum donis remunerare, putantes esse hominem, Raphael recusans munera dixit : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est ; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est*[1]. Considerans autem quia manifestare secretum illud cedebat in gloriam Dei, paulo post dicit : *Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem*[2]*;* et revelat quis ipse sit, quid pro eis fecerit, quare Deus Tobiam senem cæcitate afflixerit, quare ipsum Angelum Deus ad eos miserit, quod orationes ejus et opera misericordiæ in vivis pascendis et mortuis sepeliendis semper Deo obtulerit ; et his aliisque dictis, ab oculis eorum evanuit, nec amplius eum videre potuerunt. Magnum documentum est hoc pro spiritualibus, ut interna beneficia, visiones aut revelationes occultas, si quas aliquando a Deo obtinent, non promulgent, sed in corde abscondant, nisi ad Dei gloriam ex directoris seu confessarii aut superioris jussu manifestare compellantur. Exemplum angeli Raphaelis.

Idem habetur ex Isaia qui, quum multa mala futura nedum populo judaico, sed toti humano generi prædixisset, ait : *Secretum meum mihi,* et replicat, *secretum meum mihi*[3]. Prædixerat ante : *A finibus terræ laudes audivimus,* Secretum Isaiæ.

1 Tob. XII, 6, 7. — 2 *Ibid.*, 11. — 3 Is. XXIV, 16.

gloriam Justi[1]; deinde ait : *Secretum meum mihi.* Interpretes dicunt quod tunc prædixit gloriam Messiæ cum promulgatione Evangelii per universam terram ; at quale esset hoc secretum pauci declarant. Chaldaicus textus sic vertit : Secretum præmium justorum monstratum est mihi, secreta vindicta impiorum revelata est mihi. Væ iis qui vim faciunt, quia vim patientur; et direptoribus, quia ecce diripientur.

Quale erat.

S. Hieronymus aliter vertit, inquiens : Non possum cuncta narrare quæ cerno ; hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur. Væ mihi, quantus ordo pœnarum ante oculos meos versatur! S. Augustinus[2] et cum eo alii dicunt hoc secretum quod revelare noluit aut non potuit Isaias fuisse mysterium reprobationis Judæorum et vocationis Gentium. Quocumque modo intelligatur, grande documentum est pro veris contemplativis, ut arcana, quæ Deus eis manifestat aliquando, secreta teneant aliisque non publicent, sed iis fruantur Deoque gratias agant.

S. Bernardus valde inculcat secretum.

S. Bernardus pluries insinuat viris spiritualibus ut bona sua spiritualia abscondant, quia possidens thesaurum, illum non manifestat ; et in sermone quarto *De Adventu Domini* ait : « Insipiens tu, qui merces congregas in saccum pertusum, qui thesaurum tuum alieno in ore constituis ; ignoras quod arca ista non clauditur nec seras habet? Quanto melius sapiunt qui thesaurum suum ipsisibi servant, aliis non committunt[3]. » Et post aliqua : « Propterea dico vobis, carissimi : utile est abscondere magis quam ostentare, si quid habemus boni ; sicut et mendici, quum eleemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra, aut ulcera, si habuerint, ut citius ad misericordiam videntis animus inclinetur[4]. » Ibique etiam ostendit quod in aliquo casu ad Dei, non ad propriam gloriam, bona ista spiritualia manifestanda sunt. Et in *Epistola ad Fratres de Monte Dei,* in calce, dicit spiritualem hominem ex amore Creatoris debere esse subjectum omni creaturæ, ex-

[1] Is. XXIV, 16. — [2] *In Ps.* VII. — [3] Bern. Serm. 4 *De Adventu Dom.* — [4] *Ibid.*

hibere corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum ; præ omnibus autem non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et concludit Epistolam sic [1] : « Et secundum datam a Deo mensuram fidei, bona sua non ponere in ore hominum, sed celare in cella sua et recondere in conscientia, ut hunc quasi titulum, et in fronte conscientiæ, et in fronte cellæ semper habeat : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* [2]. » Idem confirmat in tractatu *De septem gradibus confessionis* post medium, ubi de actibus mortificationis loquens ait : « Hoc autem occulte faciendum est, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Non enim est in ore hominum tanti boni reponenda custodia, sed in absconso cordis tui, ut sit gloria tua testimonium conscientiæ tuæ [3]. » Est optima quidem vivendi regula, pro spiritualibus præsertim ; difficile enim esset absque alicujus vanæ gloriæ gradu bona illa favoresque illos adeo sublimes aliis manifestare.

Timor casus permaneat.

Dico tertio : Contemplativus iste, tali favore contemplationis et unionis cum Deo donatus, continue timere et cavere debet, ne ex culpa sua favore illo privetur.

Hoc monet Apostolus.

Probatur : Nullus viator, quantumvis sanctus et perfectus, nisi sit confirmatus in gratia, evadit impeccabilis aut est infallibiliter securus de sua salute ; et oppositum falso et erronee docebant Beguardi in Concilio Viennensi damnati : ideo quilibet, quantumvis justus ac sanctus, timere debet ne cadat. Hoc monet Apostolus : *Qui se existimat stare, videat ne cadat* [4]. Glossa interlinearis dicit : Cadat, peccando vel peccare faciendo, et si fiat hoc, permittit Deus ad bonos probandos et malos puniendos. S. Hieronymus in eum locum dicit : Qui se existimat stare, videat ne cadat; per hoc ipsum cadat quod se stare formiter gloriatur.

Confirmatur exemplo.

Confirmatur : Ipsemet S. Paulus apostolus, vas electionis, tot donis tantaque perfectione a Deo exaltatus, cadere

[1] Bern. *Epist. ad Fratres de Mont. Dei.* — [2] Is. xxiv, 16. — [3] Bern. *De sept. grad. conf.*, al. *De diversis*, serm. 40. — [4] I Cor. x, 12.

adhuc timebat, quod pluries testatur; nam inquit : *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum ; sic pugno, non quasi aerem verberans ; sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* [1]. Glossa Lyrani dicit : Licet ipse sciret se esse de numero electorum, tamen non debebat omittere aliquid de contingentibus ad salutem. S. Hieronymus ait : *Ne forte,* et cetera, non faciendo quæ dico.

Omnis unio est separabilis.

Idem Apostolus inquit : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me* [2]*;* timebat ergo de extollentia seu vana gloria de magnis suis revelationibus. Si ergo D. Paulus a Deo sic sublimatus cadere timet, quanto magis alii timere debent ! Et ipsamet S. Theresia, quæ unionem mysticam et perfectam cum Deo distinguit in unionem sponsalium et matrimonii, asserit tamen utramque esse solubilem. Quum autem ex parte Dei adesse non possit causa solutionis, — quia ait Apostolus : *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei* [3], et ex Tridentino atque S. Augustino, Deus non deserit nisi prius deseratur, — ex parte hominis, ex defectu atque culpa ejus, adesse potest causa solutionis talis unionis ; ac propterea quilibet, quantumvis in contemplatione perfectus ac Deo habitualiter unitus, cavere debet, quantum ex sua parte potest, peccatum ipsasque peccandi occasiones, et frequenter orare debet ac dicere : *Et ne nos inducas in tentationem ; sed libera nos a malo. Amen* [4].

Octo S. Bernardi monita servanda a contemplativo.

Dico quarto : Contemplativus iste et Deo sic unitus servare ea debet quæ docet S. Bernardus in tractatu *Octo puncta perfectionis,* per quæ pervenitur ad perfectionem et perseveratur in ea Dei favore ; et sunt sequentia, quæ quidem alia vice [5] retuli, at quoniam valde proficua sunt, non piget iterum hic referre.

[1] I Cor. IX, 26, 27. — [2] II Cor. XII, 7, 8. — [3] Rom. XI, 29. — [4] Matth. VI, 13. — [5] Op. VI, c. 9.

Primum, ut sæpe confiteatur peccata, cum magno dolore et firmo proposito amplius non peccandi. Confessio peccatorum.

Secundum, ut non frangatur ab adversitate vel tentatione, sed stet in justitia ac timore, præparetque animam suam ad tentationem, quia tota hominis vita est militia super terram ; et consideret cum S. Gregorio quod Dominus permittit electos suos lacerari detractionibus, ut in humilitate conserventur. Fortitudo.

Tertium, ut non misceat se cum hominibus, nec interioribus nec exterioribus, quantum potest humano modo, sed teneat se solitarium et cum Sponso suo Christo ; fugiat rumores sæculi et vana ac sæcularia colloquia, quia mentem distrahunt et inquietam reddunt, et in pace esse non permittunt. Solitudo.

Quartum, omni tempore debet puritati cordis studere, ut continue, videlicet clausis sensibus carnalibus, in semetipsum convertatur ; et cordis ostia a formis sensibilium et imaginibus terrenorum, quantum possibile est, habeat diligenter serata. Et post aliqua ait : Super omnia autem alia sibi semper sit principalis conatus, ut animum suum semper sursum in contemplatione divinorum elevatum habeat, ut in divinas res ac Deum mens jugiter transferatur. Quæquæ autem ab iis diversa sunt, quamvis magna videantur, sicut corporis castigatio, jejunium vel vigiliæ, ac similia virtutis exercitia, quasi secundaria et inferiora judicanda sunt, tantum expedientia quantum ad cordis proficiant puritatem. Et post multa inquit : Sive igitur comedat, sive bibat, sive aliud faciat, semper hæc vox pii parentis resonet in auribus suis : « Fili mi, ad cor tuum redeas, ab omnibus, quantum possibile est, teipsum abstrahendo, mentis oculum semper in puritate et tranquillitate custodias[1]. » Hæc et alia plura in eo puncto docet S. Bernardus. Puritas cordis continua.

Quintum, ut ne contristetur vel lætetur vel sollicitetur pro amicis et cognatis suis, sed committat eos Deo, et Sollicitudo circa amicos est abjicienda

1 Bern. *Oct. punct.*, punct. 4.

spirituale subsidium, id est orationum suffragia, eis impendat; se autem mundo crucifixum reputet et mundum sibi, ad interiora extendat, tanquam omnibus amicis orbatum.

Perseverantia in bono opere.

Sextum, ut sit fervens in orationibus et meditationibus sanctis, quia sola perseverantia coronabitur, et « nulla sine labore virtus, et ad magna præmia non pervenitur nisi per magnos labores; regnum enim cœlorum non desides, non remissi, non delicati, sed violenti rapiunt illud [1]. » Hæc et alia plura in eo puncto docet S. Bernardus.

Loquela qualis.

Septimum, ut sit tacens et non multiloquens; ubicumque fuerit, loquendo vel respondendo leniter, morose, remissa voce, placido vultu et disciplinatis moribus; pauca et rationabilia verba loquatur. Bis ad limam veniant verba quam semel ad linguam; plus diligat audire quam audiri. Non innitatur suæ prudentiæ neque confidat in propriis sensibus, neque sit sapiens in oculis suis. Altiora se non scrutetur, sed discretum, modestum et ordinatum in omnibus se exhibeat; quia super humilem, ordinatum et quietum requiescit Spiritus Domini.

Otium fugiendum.

Octavum et ultimum, ut nunquam sit otiosus; nam in desideriis est omnis otiosus. Amet igitur scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabit; semper legat aut oret aut aliquid de sacris meditetur; multa enim mala docuit otiositas : est mors animæ, vivi hominis sepultura et sentina omnium malorum. Singulis horis et diebus sua tribuat exercitia, spiritualibus spiritualia, corporalibus corporalia. In omnibus sibi caveat a peccato, et proximo a scandalo. Statim ac sentit se stimulari a vana gloria vel quacumque tentatione, obstet principiis; sit agilis ad quæcumque agenda quæ ex alterius admonitione vel divina inspiratione intelligit esse facienda. Discat sibiipsi præesse, et non regere alios; propriam vitam ordinet, se judicet, se apud semetipsum accuset et condemnet, nec impunitum dimittat excessum. Sibi sit durus, nunquam aliis. Mane

Otium est malorum omnium origo.

[1] Bern. *Oct. punct.*, punct. 6.

præteritæ noctis faciat a seipso exactionem, et futuræ diei sibi indicat cautionem ; vespere præteritæ diei rationem exigat, et supervenientis noctis faciat indictionem ; sed sit cautus contra insidias diaboli, ne ab exercitiis harum virtutum ipsum abducat. Hæc quoad sensum S. Bernardus.

Apostoli monitio de agendis.

Et pro coronide harum monitionum pro ejusmodi contemplativis Deo sic mystice unitis, non omittam referre monita quæ S. Paulus insinuat Philippensibus in capitulo quarto suæ ad eos epistolæ, ut eisdem utantur contemplativi, imo et meditativi ceterique spirituales : *Nihil,* ait, *solliciti sitis ; sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum... De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate* [1].

De ariditatis remediis alibi actum.

Quoniam vero nedum contemplativi, sed meditativi omnesque spirituales ac servi Dei mirum in modum cruciantur per ariditatem seu defectum devotionis et naturalem repugnantiam ad consueta exercitia spiritualia ; — quæ quidem crebro accidere solet, Deo permittente, ad probationem ac eorum monitionem ; — agendum esset de remediis opportunis contra ariditatem : at quia de eis sufficienter locuti sumus in Opusculis secundo [2] et sexto [3], in iis locis studiosus lector illa inveniat, ne eadem frustra repetantur.

Quæ de oratione christiana, ad Dei gloriam et animarum salutem, breviter dixisse sufficiat.

[1] Philipp. IV, 6, 8. — [2] Cap. 13. — [3] Cap. 7.

INDEX

Præfatio hujus novæ editionis v
Commentarius in vitam Cardinalis Laurentii Brancati de Lauræa. ix
Præfatio ipsius auctoris xv
Monitum ad lectorem xix

OPUSCULUM PRIMUM.

DE ORATIONE CHRISTIANA.

Cap. I. Quid et quotuplex sit oratio 1
Cap. II. De necessitate orandi 3
Cap. III. De loco et modo orandi. 5
Cap. IV. De aliis corporis gestibus in oratione permissis. 11
Cap. V. De præparatione ad orationem 15
Cap. VI. De oratione vocali. 18
Cap. VII. An vocalis oratio cadat sub præcepto 19
Cap. VIII. Quænam sint formulæ orandi. 21
Cap. IX. De Orationis dominicæ præstantia 23
Cap. X. Quinam sint orandi 27
Cap. XI. An Angeli et Sancti sint orandi 33
Cap. XII. De iis qui possunt orare. 37
Cap. XIII. Quid orandum sit, et quomodo 40
Cap. XIV. De orationibus jaculatoriis, et quæ sint . . . 45

OPUSCULUM SECUNDUM.

DE ORATIONE MENTALI.

Cap. I. Quid sit, et quotuplex 51
Cap. II. De præstantia orationis mentalis 54
Cap. III. An, quomodo, et quibus sit necessaria oratio mentalis. 57

Cap. IV. De erroribus et abusibus fugiendis circa orationem mentalem. 62
Cap. V. Quid sit meditatio, et in quo consistat. . . . 67
Cap. VI. An meditatio differat a contemplatione, et per quid 71
Cap. VII. Quænam sint meditationis objecta 75
Cap. VIII. De affectiva parte in meditatione requisita . . 77
Cap. IX. An omnes homines sint capaces meditationis . 81
Cap. X. An per meditationem acquiratur unio cum Deo. 85
Cap. XI. An meditatio fieri possit cum adspectu imaginum. 89
Cap. XII. An et quantum durare debeat meditatio . . . 93
Cap. XIII. De distractione, debilitate ac ariditate occurrentibus in meditatione, et de remediis contra eas. 96

OPUSCULUM TERTIUM.

DE ORATIONE CONTEMPLATIVA SEU DE CONTEMPLATIONE.

Cap. I. An detur oratio dicta contemplatio. 101
Cap. II. Quid sit, seu in quo consistat contemplatio religiosa 105
Cap. III. An contemplatio consistat in solo actu intellectus, vel etiam in actu aliquo voluntatis. . . . 109
Cap. IV. An et per quid contemplatio differat a meditatione 112
Cap. V. An et per quid contemplatio differat a speculatione 116
Cap. VI. An contemplatio differat a cogitatione et visione 119
Cap. VII. An et per quid contemplatio differat ab actibus fidei 125
Cap. VIII. De contemplationis præstantia ac dignitate . . 127
Cap. IX. An contemplatio in uno vel pluribus actibus consistat. 131
Cap. X. An contemplatio distinguatur in acquisitam et infusam 134
Cap. XI. Quæ differentia sit inter contemplationem acquisitam et infusam 142
Cap. XII. An actus contemplandi necessario prærequirat meditationem 146
Cap. XIII. Quodnam sit contemplationis acquisitæ objectum 152

Cap. XIV. An in contemplandis præfatis objectis servandus sit aliquis ordo 158
Cap. XV. Sub quo conceptu apprehendi debet Deus in contemplatione acquisita 164
Cap. XVI. In quo medio contemplatio intuetur objecta . 171
Cap. XVII. An omnes homines sint capaces contemplationis acquisitæ. 175

OPUSCULUM QUARTUM.

DE VITA ACTIVA ET CONTEMPLATIVA.

Cap. I. In quo consistant istæ et in quo differant vitæ. 183
Cap. II. De vita mixta, ex activa et contemplativa. . 192
Cap. III. An contemplativa vita sit melior activa, an e contra, vel mixta ex utraque. 198
Cap. IV. De gradibus vitæ contemplativæ acquisitæ . . 207
Cap. V. An inter gradus contemplationis detur ille qui dicitur « oratio quietis, » et in quo consistat . 216
Cap. VI. An in contemplatione acquisita detur gradus dictus « oratio quietis, » inferior jam dicto, et in quo consistat 224
Cap. VII. Quomodo, ex præfatorum piorum dictis, « oratio quietis » facienda sit ut bona sit 236
Cap. VIII. Quinam sint capaces hujus orationis quietis . 252
Cap. IX. De nominibus quibus vocari solet oratio quietis. 258

OPUSCULUM QUINTUM.

DE CAUSIS, EFFECTIBUS AC PROPRIETATIBUS CONTEMPLATIONIS ACQUISITÆ.

Cap. I. Quænam potentiæ concurrunt ad actum contemplationis 263
Cap. II. An ex parte animæ ad contemplationem requirantur comprincipia, et quæ 266
Cap. III. De proprietatibus contemplationis acquisitæ. . 274
Cap. IV. De effectibus contemplationis acquisitæ . . . 278
Cap. V. An in contemplatione acquisita obtineatur clarior cognitio et delectabilior dilectio divinorum. 282
Cap. VI. An extases et raptus sint effectus contemplationis acquisitæ 288

Cap. VII. Quomodo cognoscatur extases esse naturales, divinas, aut dæmoniacas 297
Cap. VIII. An in extasi habeatur aliqua visio seu revelatio nova privata, et quomodo. 304

OPUSCULUM SEXTUM.

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS AD VITAM CONTEMPLATIVAM INCIPIENDAM ET PROSEQUENDAM.

Cap. I. De vocatione ad vitam contemplativam . . . 315
Cap. II. An ad vitam contemplativam acquirendam prærequiratur purgatio vitæ, et in quo consistat. 319
Cap. III. De aliis dispositionibus et purgationibus ad contemplativam vitam necessariis 326
Cap. IV. De interioris hominis purgatione ac mortificatione 334
Cap. V. De purgatione seu mortificatione passiva partis sensitivæ. 340
Cap. VI. De passiva purgatione seu mortificatione partis intellectivæ. 345
Cap. VII. De purgatione passiva partis intellectivæ per ariditatem 350
Cap. VIII. An purgationes istæ solis incipientibus sint necessariæ, an etiam proficientibus, et perfectis . 354
Cap. IX. Brevis instructio pro incipientibus ac proficientibus, ex præmissis octo capitulis excerpta . . 362
Cap. X. De duratione contemplationis. 369
Cap. XI. An honestum et religiosum sit procurare et petere a Deo virtutem contemplationis . . . 373
Cap. XII. Pro Dei servis contemplativis, ceterisque spiritualibus, qui a mundanis irridentur, consolatio. 377

OPUSCULUM SEPTIMUM.

DE CONTEMPLATIONE INFUSA AC SUPERNATURALI.

Cap. I. An detur species contemplationis dicta « infusa » ac « supernaturalis » 385
Cap. II. Quibus nominibus describatur infusa hæc contemplatio 390

Cap. III. Quomodo definiri possit infusa ac supernaturalis contemplatio 393
Cap. IV. In quibus conveniant contemplatio infusa et contemplatio acquisita 396
Cap. V. In quibus differant contemplatio infusa et contemplatio acquisita 398
Cap. VI. De objecto contemplationis infusæ 401
Cap. VII. De causis contemplationis infusæ 405
Cap. VIII. De donis intellectus et sapientiæ concurrentibus ad contemplationem infusam 407
Cap. IX. De proprietatibus et effectibus infusæ contemplationis. 412
Cap. X. An optari possit infusa contemplatio, et quibus mediis obtineri valeat 415
Cap. XI. An infusa contemplatio esse possit diuturna. . 419
Cap. XII. Quibus personis conceditur infusa contemplatio 424
Cap. XIII. In quibus mediis cognoscantur objecta per infusam contemplationem 426
Cap. XIV. An in contemplatione infusa interdum videatur essentia Dei ut est in se 431
Cap. XV. Quomodo Sancti et Prophetæ viderint Deum. 435
Cap. XVI. De gradibus contemplationis infusæ 440
Cap. XVII. De mirabilibus quæ in hac infusa contemplatione experiri se dicunt contemplativi . . . 449
Cap. XVIII. An detur contemplatio dicta in « caligine, » et quæ sit 455

OPUSCULUM OCTAVUM.

DE UNIONE MYSTICA ANIMÆ CONTEMPLATIVÆ CUM DEO.

Cap. I. An, et quotuplex unio dari possit inter animam et Deum 467
Cap. II. De gradibus unionis cum Deo per amorem seu caritatem 475
Cap. III. An in perfectis contemplativis detur unio specialis cum Deo, quæ « mystica » dicitur. . . 481
Cap. IV. In quo consistat mystica hæc unio contemplativorum, et quæ sint illius immediatæ causæ. 486
Cap. V. Quinam sit terminus resultans ex hac unione animæ cum Deo, qui dicitur unus spiritus . . 494

Cap. VI. De proprietatibus et effectibus præcipuis mysticæ unionis 498
Cap. VII. An hæc unio mystica admittat gradus, seu magis ac minus. 515
Cap. VIII. De statu et vita perfecte unitorum, transacta actuali unione cum Deo 526
Cap. IX. An licitum sit hanc mysticam unionem desiderare et procurare. 533
Cap. X. Quibus mediis obtineri possit perfecta hæc unio cum Deo. 536
Cap. XI. De modo vivendi hominis uniti Deo 542

Monstrolii. — Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis.
Ern. Duquat, direct.

47992

246.1
B733
BRANCATUS DE LAURAEA, O. MIN. CONV.
AUTHOR LAURENTIUS
De Oratione Christiana Ejusque
TITLE Speciebus Opuscula Octo.
Editio Nova.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	

47992